UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Annuae litterae Societatis Jesu

1606

urn:nbn:de:hbz:466:1-69662

Visual Library

Th. 5776.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

2 P. I, 59.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LITERÆ ANNVÆ SOCIETATIS IESV

Anni 1606. 1607. & 1608. datæ de more ex Prouinciis

AD R. P. N. GENERALEM Præpositum, eiusdemq; authoritate typis expressæ.

Ex libris Collegij Societatis Jesu Paderborn.

MOGVNTIÆ
Ex Architypographia Ioannis Albini,
Anno M. DC. XVIII.


LAVDABILE NOMEN DOMINI
IHS

Lectori Salutem.

COngregatio Generalis ſeptima, non ignara quantum emolimentum adferant annuæ Societatis literæ, ſiue ad ſpiritum adeo ſancti Inſtituti fouendum, ac promouendum, ſiue ad perfectæ vitæ, ſolidarumque virtutũ ſtudium animis Noſtrorum incendendum; concorde ſententia decreuit, *Annuas præteritorum annorum literas, per varias Prouincias primo quoque tempore imprimendas diſtribui. Inſequentium vero annorum, Pa-*

tri Nostro commendandas censuit, vt certum aliquem, totius Societatis sumptibus, si aliter commode fieri non possit, alendum, illi operi præficere dignetur, ne diutius tanto spiritualium narrationum fructu vniuersa Societas careat. Congret. 7. Decr. 15. Occasionem præbuit prior sanctionis illius pars, vt in executionis, & laboris partem vocaretur Collegium Moguntinum, destinatis ad illud trium annorum literis annuis, quæ ibidem recognitæ, typisq; creditę lucem adspicerent. En factum. Sed vt inoffenso pede Lector pergat, demẽdi de via primo sunt scrupuli. Vnus, vt ne rei agamur, si quarundam Prouinciarum desunt literæ. optaba-

mus

mus quidem omnes inſeri, verum cum priuatis vrgeremur ad vmbilicum literis, & illę non aduenirent, morâ ſuâ, non voluntate, aut incuria excluſæ ſunt. Alter, vt ne ſtili varietas teretes aures percellat. Sua cuiq; oratio nihil fere immutata relicta eſt, eo conſilio, vt ne dum verba ſectamur, ſenſus, reique veritas (quod vſu frequenter euenire ſolet) detrimentum non leue pateretur. Expuncta tamen ſunt nonnulla, quæ recognitoribus abundare viſa. Sed & admiſſa cumplura, non quia maiore quidem iniuria ſpongiæ fuiſſent incubitura, ſed quod illis in Domino ita viſum, & non raro de iis, quæ quibuſdam momenti minoris ap-

parent, aliis non exigua commoda enascantur. Verum quis è Typicorum errorum sese tot pedicis extricabit? Peritus quiuis, & prudens, non operose. Vti typos non absoluo penitus, ita neque plane condemno. Correctiora enimuero prodiissent omnia nisi tam inuenuste descripta fuissent exemplaria nõ pauca, vt vix etiam peritiores coniectando assequi possent, quid sub adeo miseris characterum inuolucris boni sensus lateret. Describenda erant illa mundiore manu; & factum foret, nisi nos ad imponendum operi finem, satiusq; ducendum, aliquid, minus etiam exactum, de annuis dare, quam tantum, tamque desideratum

tum earum fructum diutius sustinere, totius Societatis non ignotum desiderium perursisset. Nostram itaque hanc operam boni consuli rogamus, & ad multorum in Spiritu profectum prodire totis votis exoptamus Moguntiæ 7. Cal. Apr. 1618.

I.

ANNVÆ LITTERÆ PROVINCIÆ MEDIOLANENS. ANNI M. DC. VI.

HAbuit hoc anno Prouincia Mediolanenſis ſocios trecentos triginta ſex. In Domo Profeſſa Mediolani triginta duos. In Collegio Brerano ſeptuaginta tres. In Genuenſi Profeſſorum Domo duodetriginta. In Collegio tredecim. Quadraginta tres in Domo Probationis. In Taurinenſi Collegio vigintinquinque. In Monte Regali quindecim. Duodecim Vercellis. Aronæ quadraginta quatuor. Quatuordecim Cremonæ. Nouocomi tredecim. Baſtiæ in Corſica ſeptem. In Reſidentiis, Alexandrina ſex, Ticinenſi quinque. Nicææ duos. In Miſſione ad Vallem Clauenam unum. Migrarunt e vita duo. In Societatem adſciti duo ſupra viginti.

DOMVS PROFESSA MEDIOLANENSIS.

DIuturnę de cõtrouerſis bonis inter principes uiros ciuitatis compoſitæ lites, cum maximè timendum eſſet, ne multis ultro, citroq; offenſionibus exacerbatis animis, ius omne cum publica multorum pernicie ad arma transferrent. Geneuenſes duo ad auitam Religionem perducti. Turca a noſtris Chriſtiana myſteria edoctus, deſerto

Mahomete baptizatus est. E vinculis tres corrogata pecunia exempti. Omnium peccatorum Indulgentia concessa ijs, qui rite sacramentis expiati ad nostram ædem supplicatum irent. Solemnioribus diebus Diui Fidelis, cui dicatum templum est, Circumcisionis Domini, & publicarum precum quadraginta horarum bacchanalibus feriis, templum nostrum confitentium & communicantium longe solito majore frequentia magis, quam splendido de more apparatu insigne reddidit. Magni ieiunij tempore, vt ternis tantum quaque hebdomada diebus concio haberetur, fractæ senio concionatoris vires effecerunt. Sed compensauit alterius diei cessationē alterius frequētia & fructus. Sit satis uno tantū exemplo notare, ut usitata magis omittantur. Nobilis mulier difficultate partus acerbè conflictata, cum valde periclitaretur, suadente nostro sacerdote, p se ut in templo sāctissima Hostia exponeretur, cum petijsset, gratam fuisse Deo pietatem exitus comprobauit, siquidem sub vesperam incolumis mater incolumem fœtum edidit. Fuere pariter multis præsens remedium, & spectris Dæmonum absterrendis, & morbis corporis depellēdis, à nostris cereæ cœlestis Agni imagines suppeditaræ.

Sensit & muliercula nostrorum opem. Hæc mariti acerbitate in desperationem versa, ad suspendium voluntarium tamquam miseriarum vltimum confugit. Aptat trabi restem, collum inserit, desilit è scamno, sed quæ Dei misericordia est, vicini forte prospicientes per feneſtram infœlicem fœminam

minam de trabe pendentem aſpiciunt, accurrunt protinus, effringunt fores, funem reſecant, mulierem adhuc ſpirantem animaduertunt. Accerſitur vnus è noſtris non inuento Parocho; Aduolat hic; mulierem reuocato animo meliuſculè habentem magno pietatis ſenſu admiſſi facinoris admonet, tum ſcelus exaggerat; Maritum vocari jubet, eiuſdem grauibus verbis increpat ſeueritatem, denique multis aſtantibus vtrumque conciliat, mulieris prius animo Confeſsione criminum expiato, quæ non ita multo poſt conualuit. Vir æquè nobilis, & potens famulis dumtaxat quatuor comitatus, ab inimico inuaſus armata manu, uno è ſuis amiſso, duobus vulneratis, vix ipſe cum quatuor euaſit è pugna. Hæſit altius animo accepta iniuria, vt non niſi de vindicta cogitaret, ſed illi præcipuam explendi odij materiam ſubitanea inimici mors ademit. Ergo in ſuperſtites ſocios facinoris ira conuerſa, omnes ut proſcribantur impetrat.

Ex illis vnus cum non ſibi ſatis cauiſſet, in vincula conjectus ſecuri percutitur. Alterum ipſe per ſicarium è medio tollit. Sed horum ſanguine expletur vlciſcendi libido, donec unus ſuperſit.

Dum igitur reliquis numerata peccunia per nefarios homines ex inſidiis mortē molitur, fit certè Deo volente vni è noſtris obuiam, cum quo aliàs egerat. Excipit ſacerdos noſter iniuriæ tenacem hominem, atque vltionis auidum, iucundo atque hilari colloquio. Mox ſeſe paulatim ac prudenter, idē ille noſter inſinuans, cum

hujusmodi sermonem inseruisset,& quà precibus quà rationum momentis à concilio cædis deducere conatur. Quid plura sic apposita oratione iratum hominem expugnauit, ita prorsus ex animo omnem absterſit ulciscendi cupiditatem,ut paucis post diebus, quæ dederat necis mandata commutarit. Capitalis facinoris reus præteritæ vitæ peccatis apud nostrum sacerdotem depositis,ita est ab eo salutaribus monitis confirmatus, ut non modo se promptum ad noxas supplicio libenter luendas præbuerit, sed præterea magno sensu doloris prædicaret,nullum esse tam turpe genus mortis, nullos tam acerbos cruciatus, quam suis sceleribus, ac flagitijs deberentur,quosq, etiam esset hilari animo sufferre paratus; eademque constantia mentis pie mortem obiit.

Tres in societatem admissi;Aliis idē expetentibus res in præsens negata, data tamen spes in posterum, satis enim ex procellis vicinæ Prouinciæ numerus præsertim coadiutorum est auctus. Nec vero mulieres pietatis palmam viris concesserūt. Virgines multæ ex iis, quæ nostrum templum frequentant ad varia cœnobia animum appulerunt. Aliæ tenuioris fortunæ domi suæ sese DEO consecrarunt. Gubernator Ciuitatis quam sit in nos propenso animo,frequens ad ædem nostram aduentus, sæpe submissa cibaria, aliaque eleemosynæ nomine permulta aperte declarant. Illustrissimus Cardinalis Borromæus se nobis in omnibus longe quam alias beneuolum præstat. Eius est in nos tanto Præsule digna liberalitas, & mansuetudo, præsertim amplissimis beneuolentiæ verbis condita,

quæ

quæ quanti nos faciat, non obscure testantur. Deus hanc illi in nos propensam voluntatem conseruet, ut est in nobis illi quaqua ratione gratificandi studium.

Præter ea, quæ ad necessarios vsus in dies pia ciuium liberalitas suppeditat, vnus, cuius haud est jampridem in nos obscura beneficentia, centum aureos attribuit, alterius liberalitate, cuius nomen non ignorat, qui cuncta tuetur. Argenteus lychnuchus quinquaginta ferme aureorum ante aram Transfigurationis appensus est, eiq; ad ignem perpetuo alendum redditus attributi. Reliqua quæ ad templi sacram suppellectilem accessere hoc anno, trecentorum aureorum summam excedunt.

COLLEGIVM MEDIOLANENSE.

Illustrisim. Cardinalis Borromæus inuitatus a P. Prouinciali in nostro templo rem Diuinã fecit, discipulosque omnes sacro epulo excepit, ad eosdemque non elegantem minus, quam ad omnem pietatem accommodatam sub sacro adhortationem habuit. Post hæc Domum ingressus, familiariter variis de rebus differens cum P. Prouinciali aliisque Patribus, nonnihil commoratus est, futurus alioquin apud nos tota die, uti spem dederat, nisi minus commoda valetudo prohibuisset. Nostrorum Beatorum fama augetur in dies, & miraculis

raculis etiam comprobatur. Adolescens quidam tertiana laborans, cum febris accessio expectaretur, illam B. Stanislai ope implorata, non modo planè depulit, sed qui debilitatis viribus vix moueri poterat, repente exiliens è lecto, magna omnium admiratione ad nostrum Collegium conuolauit.

Alter è Societate doloribus ex intestinis obnoxius, cum is vrgeretur acerbius aliquando, ita vt prope exanimaretur, B. Aloysii Gonzagæ fama excitatus, contra vim morbi eius implorauit auxilium, plane confidens non minus benignum futurum in suos, quam quotidie in alienos fuisse referretur. Haud spe frustratus est sua. Dolor continuò remittere cæpit, omnique prorsus molestia intra dimidiæ horæ spatium liberatus est. Idem eodem B. Gonzaga deprecatore vsus, non mediocrem etiam à Deo peccatorum suorum dolorem impetrauit. Ipsis verò B. P. Ignatio, & Xauerio sacris diebus, vtriusque, quæ in templo est, magnifico apparatu exornata effigie, sacrum Scholasticitam domestici, quam externi omnes iniere conuiuium. Quod ad domesticos pertinet, non minus pietatis officia, quam ingeniorum studia vigent.

In varias Vrbis partes distributi nostri diebus festis doctrinæ studium acriter promouent. Per Quadragesimæ tempus in finitimis pagis multi conciones habuerunt. Alij vicatim per Vrbem, alij ad templi valuas, quo tempore Discipuli ad sacrum conueniunt, eleemosynam petunt pauperibus vinctis distribuendam. Res sacra Templi

pli sacrificantis sacerdotis non exigui precij ornatu, argenteo calice, quatuor item argenteis candelabris affabrè factis est aucta.

COLLEGIVM GENVENSE.

TRes à Mahomete ad Christum adducti. In ergastulis nostrorum hortatu adducti non pauci ad expiationem criminum. Domi nunc primum iis ex discipulis, qui B. V. sodalitatem non frequentant, festis diebus in ipsis exedris Catechismus explicari cœptus. Pacificationes aliquot compositæ. Nosocomiis tanto ardore sodales inseruiunt, vt nonnihil moderandi fuerint, cum præsertim increbuisset, nos Adolescentes in Societatem admittendos, hoc prius Christianæ pietatis & humilitatis officio experiri. Nouem in Societatem admissi, quinque supra triginta eandem habent in votis. Aliis Religiosis ordinibus vndecim adscripti. Quatuordecim idem meditantur.

Adolescens quidam à procaci fœmina ad facinus inuitatus, non ipse modo de se, verum etiam de impudica muliercula gloriosè victoriam reportauit. Eam siquidem genua flectere adegit, sibique coram DEO polliceri, nil tale in posterum ausuram. Adolescens natura alioquin præferuido ingenio, à petulãti socio colapho exceptus, non alia ratione, quam altera oblata maxilla, iniuriam ultus est. Alter seminudi pauperis miseria commotus, detractum à digito annulum illi ad coëmendas vestes, quibus tegeretur, dono dedit. Quidam etiam suam in Societatem beneuolentiam egregiè significauit. Is in quosdam cum incidisset B. Ignatij, ac Societatis nomen carpentes, veritatis, ac Societatis amore

impulsus facere non potuit, quin eorum verbis saltem linguæ petulantiam castigaret; idemque interrogatus, nunquid innocentiam B. P. Ignatij sanguine tueri paratus esset, prouolutus in genua, hilari vultu gladio, quem perditus intentabat, aperto sinu pectus obtulit. Etsi enim ut credibile est, mens fuit tantum nefario illi adolescentis experiri constantiam, aut à se repellere, non tamen per hunc stetit, quin suam erga B. P. Ignatium obseruantiam vere contempto vitæ periculo testaretur.

Parthenius Sodalis cum uniuersæ vitæ noxas sacra Confessione delere peroptaret, nec facile peccata reuocare posset in memoriam, id a B. P. Ignatio enixe petere instituit, voto etiam se Societatis obstringens, si fieret voti compos. Mira dictu res. Eodem puncto temporis ita sese illi vniuersæ vitæ crimina ante mentis oculos obiecere, ut plane sibi ea in tabella depicta intueri videretur.

TAVRINENSE COLLEGIVM
ac missio Bibiana.

OCto bonæ spei Adolescentes societatem sunt amplexi: Plures expectant. Alij in alias Religiosorum familias admissi. Veneratur in dies magis Ciuitas tota Beatos nostræ Societatis, præsertim B. P. Ignatium, & B. Aloysium Gonzagam, ob accepta singularia ab ijs beneficia. Seremissimus Dux pro sua erga Societatem voluntate, non desistit de nobis bene mereri.

Filios

Filios, & filias natu minores duas de Societate sacerdotem à Confessionibus habere voluit. Reliqui Aulici maximam partem expiandis animi noxis pariter nostros adhibent. Redeuntes ex Hispania maiores natu Principes, atq; præter ædes nostras procedētes honorifice à nostris excepti. Alter è nostris in vicino oppido tanta confluentium multitudine auditus est, vt cum peramplo alioquin templo excluderētur multi, scalis admotis ad fenestras plerique ascenderent, ne diuino eloquio frustarentur. Audiendi studium non magis faustæ sæpe acclamationes, gemitus, & lachrymæ, quam mutationes morum & vniuersæ vitæ expiationes comprobarunt. Doctrina Christiana non solum in multis templis vrbis, sed etiam in vicino pago rudibus magno concursu, & fructu explicata. Quo tempore maxime efferuescit stultorum insania, ornatu quam maximo hoc anno primum in nostro templo quadraginta horarum supplicatio habita, ciuitatem vniuersam à ludis ad Deum conuertit, tantique fuerunt ad ædem nostram concursus, vt maturè prę occupatis locis, multo plures, quam quibus pateret ingressus, aditu templi prohiberentur. Supremus Cancellarius ter frustra conatus multitudinis agmen perrumpere, denique per Collegium in odæum concesit. Auxit etiam Serenissimus Dux sua præsentia collaudata pietate celebritatem. Nec solum Catholicis auxilio, sed etiã Hæreticis nostri saluti fuerũt. Geneuę quidã qui apud Theodorum Bezam insignem hæresiarcham impias à puero opiniones hauserat, piorum quorundam hominum consilio ad nos diuertit. Hic à nostris exceptus, & in sutrina occupatus, donec errores de-

discerret, variis modis grauiter sæpe à Satana oppugnatus est. Nunc n. ad odium nostrorũ extimulabat, aliàs alliciebat ad amorem Patriæ, interdum vt ad vicinos hęreticos adiret, aliquando ẽt vt sese præcipitẽ daret è feneſtra, auctor erat. His perturbationũ fluctibus æstuantem forte Gallus quidã, qui & ipse non ita multo ante, dãnata perfidia, ad Catholicos se receperat, cõuenit, ex toto vultu, & sermone amicum dæmonis insidijs obnoxiũ facile deprehendit. Amicè monet, dehortatur à cõcepto scelere, sedare quacunq; ratione potest, perturbatam mentem aggreditur. Libellum etiã discedẽs ad id satis opportunum tradit. Sed Hæreticus eo perlecto, quod Pontificis authoritatem tueretur, Hæreticorumq; insaniam refutaret, ita exarsit, vt & amicũ maledictis proscindere, & fugam acrius meditari cœperit. Interea nostri salutaribus consilijs hominem iuuare, errores detegere, argumentis conuincere, instare, obsecrari, vt resipiscat, sed frustra. Deniq; moræ impatiens sacra syndone solẽni die, insalutato hospite, Geneuãversus iter corripit. Mirũ dictu, vix alterum miliare progressus vir bene robust⁹ repẽte virib⁹ destituitur, sedenti præ lassitudine liberali admodum facie adolescentulus fit obuiam, saluteq; de more dicta, mœroris, qui sese in facie prodebat, idiomate Gallico causam scisciatur. Consilio cognito: O te miserum, excepit. Ita ne suadentis Satanæ calliditates ignoras? Quid furis demens? Quid mortis laqueos repetis, è quibus Dei beneficio semel auolasti? Redime si sapis stultitiam saniore consilio, mecumque in vrbem redi. Durus, atq; obfirmatus animus his vocibus emolliri ac flecti nonnihil visus est. Saltem consilium damnare

mnare cœpit, quod tanta cum ingrati animi significatione Patres deseruisset, quorum in se per duos menses omne genus officij, & charitatis fuerat expertus. Ergo verbis adolescentis acquiescens ei se comitem adiungit, eiusque in itinere mirificè sermonibus delectatur. Vt autem appareret causa defatigationis, cum sanitate mentis rediere vires. Ad vrbis portas cum peruentum esset, dum aliò forte flectit oculos, fidus ac salutaris socius apparere desijt, repente subductum ex oculis cum diu quæsijsset, ac sæpe vocasset frustra, tandē ad Patres peruenisse rat⁹, vt tota de re certiores faceret, citato & ipse gradu ad Collegium aduolat. De adolescente percunctatur. Admirantibus illis quid hoc rei esset, magis ipse admirabundus rem totam aperit. In ipsaque narratione, quasi ea obductas nubes disiparet, miram quandam mentis serenitatem intueri cœpit. Haud dubitandum, Custodem Angelum suæ curæ commisso acceptabili forma adolescentis consuluisse. Paucis post diebus abiurata publicè Hæresi Ecclesiæ Catholicæ restitutus est, cumque ab Archiepiscopo ad amplexum admitteretur, se flammam sibi è pectore erumpentem sensisse testatus est, qua liberatus perfectam tranquillitatem inuenit. Is postea satis in fide confirmatus, conquisitis eleemosynis, Romam ad Apostolorum limina peregrinationem suscepit.

Qui Patres Bibianæ resident, haud inutiliter in locis hæresibus infectis operam posuerunt. Tenera ætas Catholicæ Religionis rudimentis magna cura instituta. Hæretici quinque à Caluino ad

Christum

Christum traducti, confirmati nutantes in fide. Ad defectionem spectantes ab incœpto deterriti. Catholici ad omnem pietatem instituti, ad eamque morum integritatem redacti, vt eos vel ipsi Hæreticorum ministri admirentur, &(quæ vis virtutis est) pro suggestu suis ad imitandum proponant. Praua etiam consuetudo omninoque à Christianis moribus abhorrens, quę his in locis inuetetauerat, debacchandi per sacri Aduentus ferias, in honorem S. Nicolai, & Catharinæ Virginis Dei auxilio sublata est.

COLLEGIVM MONTIS REgalis.

INductus frequens sacrorum vsus, cum vix præter paucos admodū reperirētur, qui sæpius quam semel aut iterū singulis annis sacrę mensę accumberent. Episcopi incredibilis est erga nos beneuolentia. Declarant hoc apertè rerum nostrarum tutela, liberales eleemosynæ, facultas omnis, quam habet à quibuscunq; conscientię vinculis peccatores eximendi, nostris sacerdotibus liberaliter concessa, ad confessiones excipiendas admissi nostri confessarij sola Patris Rectoris approbatione. Familiaritas cum nostris, vt nonunquam præmisso prandio apud nos esse non nolit. Accidit quod tantam in nos beneuolentiam augeret, & nostrorum pariter in Ciues amorē testaretur. Nocte intempesta nescio quo casu peracerbum in æde primarij ciuis incendium excitatum est. Datum campanæ, tubarumque signum notum ciuibus ad poscendam opem terruit ciuitatē vniuersam. Subito experrecti nostri sacerdotes atque

tes atque Magistri, ac fratres omnes ad propulsandum periculum primi omnium conuolant, omni ope vagantem ignem cohibere aggrediuntur. Alij flammarũ voragini rem domesticam subtrahere, alij aquarũ plena vasa conuehere, alij catenas appendere ad ea facilius ac citius vacua; ac plena sustollenda vicissim, ac demittenda, alij singulis officia distribuere, ne mutuo impedirentur. Vicit constans charitas flammarum iras, breuique omnis ignis licentia compressa. Hæc non obscuri amoris argumenta nobis ciuitatem antea beneuolam deuinxerunt, vt per multos dies, domi, foris, in cõpitis ac vicis, omnes de nostrorum humanitate singulari & charitate loquerentur. Auxit hic etiam mirum in modum nostrum nomen in Venetorum inobedientia singularis Societatis erga Pontificem obedientia, sic enim palam dictitant, eam demum esse veram virtutem, quæ rebus aduersis nitet, aurum contemnit, & opes, proprias ædes deserit, omniaque potius libenter perferat, quam vt aliquid sibi labis adspergi permittat. Accedat his quæ diximus velut in cumulum, concionatoris è Dominicana familia, propter senectutem, vitæ integritatem & doctrinam summæ apud omnes auctoritatis, atque de Religione Taurini Quæsitoris, nostræ societatis encomium. Is enim pro cõcione in æde principe nostros sacerdotes & magistros viros solidæ virtutis, sanctissimæ vitæ atque doctrinæ singularis esse, addiditque ad extremum, à ciuitate inter præcipua sui vel ornamenta, vel præsidia collocandum esse, quod nostros suo foueret amplexu. Serenissimus Sabaudiæ Dux cum duobus minoribus natu filijs, aliisduobus principibus

cipibus ex Hiſpania redeuntibus aliquot milliaria obuiam profectus, aliquandiu in hac vrbe ſubſtitit. Donauimus domeſtici horti munuſculis, eumque omnium nomine Collegij Rector inuiſit.

COMENSE COLLEGIVM.

ALiquot ex Domeſticis Rhetoricis huc miſsi ſtudiorum cauſa, & numerum noſtrorum duplo fore auctiorem credidere, & vt denuo in hoc Collegio ſublata ſuperioribus annis paucitate Diſcipulorum, Rhetoricę claſsis reſtitueretur, effecerũt. Sparſos per vrbem quorundam inuidorum opera minus honorificos de noſtrorum diſcipulorum proceſſu in literis rumores, impluuium Collegij quantum quãtum eſt, vario genere carminum in laudem B.P. Ignatij conueſtitum, & Tryphon datus ſcenico apparatu totius corcurſu ciuitatis & approbatione, nõ ſine rubore aduerſariorum, quod fere noti erãt, non modo planè compreſsit, verum etiam magnum gymnaſio nomen, & gratiam conciliauit. Mulier addicta Luthero, in eiuſque erroribus ita obſtinata, vt nulla ratione de ſententia dimoueri poſſet, aut ſi argumentis vrgeretur, obdurato ingenio ignorãtiam excuſaret, nec bonitatem cauſæ, aut magiſtris ſuis doctrinam, ſed doctrinæ cauſæque ac ſibi deeſſe magiſtros diceret, noſtri ſacerdotis multo labore ac precibus, quibus aſsiduè miſeræ ſalutem deprecabatur, ad ſanitatem mentis redijt, vniuerſæque vitæ peccata confitẽs, Eccleſiæ reconciliata eſt. Sacerdos è noſtris ab Epiſcopo diœceſim obeunte ſocius adſcitus, confeſsionibus audiendis & Cathechiſmo

tradendo, nec parum, nec sine fructu laborauit, sed dum in salutem animorum toto pectore incumbit, propius abfuit, vt salutem ipse corporis amitteret, siquidem in itinere fallente vestigio lapsus à prærupto admodum præcipitique loco, qui profundissimæ valli imminebat, tamdiu deuolutus est præceps, quam diu ad saxum imminens allisus hæsit, à quo & vitam habuit & vulnus, semiuiuus domum relatus, verum cruribus, brachiis, ac toto corpore contusus, cum sæpius in lapides & petras impegisset, breui etiam conualuit. Hæc Dei prouidentia in vno seruando in tam aperto discrimine, illustrius domi apparuit in cõmuni luctu ac mœrore ab omnibus auertendo. Nam Augusto ineunte noctu tacta de cœlo domus, cum fulmen totam pene domum oberraret, sibique per multa cubicula feciſſet iter, nostris in ijs decumbentibus audito fragore, dum alter alterum ruina oppressum credit, (quæ Dei bonitas fuit) illico omnes incolumes apparuere, nec magna admodum ruina domus consecuta est. Superioris deambulationis particula disiecta, decrustata prorsus interius cubicula, quæ illi obuiam fuerant, dum in sacrarium Dei in templum viam quærit, vbi sacræ Iconis ad aram maximam decorata ornamenta per interualla labefecit, postera luce periculo diuulgato, confluentium ad nos concursus, quibus res miraculi instar visa est, ciuitatis in nos beneuolentiam declarauit. Sodalitas etiam quædam suo præsidi reconciliata, sodalesque ipsi confirmati, ne exacerbatis animis pietatis quædam opera desererent. Ex his cum satis pateat, omnia totius fere insulæ incom-

commoda ex inteſtinis odiis naſci, quæ incredibile eſt quantum diſcordiarum foueant, vt radicitus malum aliquando extirpare poſsint noſtræ diſciplinæ alumni, ijque præſertim, qui B. V. Sodalitatem frequentant, quæ hoc anno primariæ Romanæ aggregata eſt, ad iniurias Chriſti cauſa æquanimiter ferēdas edocerent. Et ſane habet hoc in his adoleſcentibus magnā admirationem, qui ferociam parētum ſuxerunt cum lacte nutricis. Inductus etiam ſingulis annis generalis confeſsionis vſus.

DOMVS PROBATIONIS Genuenſis.

LAborauit hoc anno Domus Probationis Genuēſis anguſtia rei familiaris, quę neq; annuo reditu capita tantummodo 20. alere potuiſſet, hoc anno præter ſacerdotes 4. cum 2. adiutoribus veteranis, Nouitijs ad 40. ſumptum ſuppeditauit. Non minus capite laborarunt Tyrones aliqui: quippè à craſsiore cœlo, liberioreque vita, ad ſubtiles auras, & arctius viuendi genus traslati cum fuerint, nō mirum in ipſis nonnullam valetudinis factam mutationē eſſe. Enimuero rerum omniū ſapiētiſsimus gubernator, & moderator Deus vtrique bene prouidit incommodo, ſiquidem ad ſubleuandam inopiam plurimis hinc inde collatis eleemoſynis, aureorum quadrigentorum quinquaginta ſumma completa, & ineunte autumno partito numero Nouitiorum cum Aronenſi Probationis domo, ſumptus non parum imminuti. Acceſſere etiam ad annuos reddi:us quingenti nummi aurei

aurei huic domui in perpetuum dono dati à viro nobili, qui vna contentus diuina gloria, nomen suum vulgari noluit. Ecclesia S. Ioan. Bapt. decollato sacra, octauo ab hinc anno ab Abbate Fliſco societati donata, superatis multis difficultatib⁹, ipsis ẽt non modo nõ refragantibus, sed suffragãtibus Dominis, Pontificio diplomate obtento, nostris vsibus peroportuna hoc tandem anno concessa est. Ægræ porrò valetudini, ne progrederetur, terminum posuit Deus, tum vero etiam ampliore illam animi ac mentis robore compensatam mitigauit, tantus enim hoc anno fuit Tyronum omnium ad omnem perfectionem ardor animi, nihil vt propemodum meditari, nihil habere in animo viderentur, quam vt animi impetus ratione coërcerent, proprias cupiditates frãgerent, & vt verbo dicam, totius perfectionis exemplar Christi Domini in se effingerent. Duxit originem tam præclarus in virtute progressus ex illo vberrimo Societatis nostræ fonte virtutum omnium (hoc enim nomine B. P. N. Ignatij commentationes appellari posse vidẽtur.) Nouembri exeunte superioris anni, in eius locum, qui Collegij Genuensis moderandi munus subierat, alter Nouitiorum magister suffectus est. Huius & prima cura fuit, vt & ipse, & Tyrones omnes mentes suas ad cœlestes satus accipiendos, Beati P. Ignatij commentationibus præpararent. Et quidem pij otij constitit fructus; namque ijs sunt inflammati desideriis, mirum vt videri debeat nemini, si inter paucos dies, & menses tot, tam crebra, tamque insignia ediderint exempla virtutum. Anno vertente alter Nouitiorum magister in proximi locum successit, quod Aronam ille vete-

rem Tyronũ coloniam, nouos colonos deduxiſſet,

DOMVS PROBATIONIS Aronenſis.

EX Logicorum, & humaniſtarum noſtrorum ſeminario iterum domus Probationis conſtituta, ineunte Autumno, vt ſupra dictum ſcholaſtis per varia Collegia diſtributis. Nouitij omnes recens in Societatem admiſsi, quinq; exceptis, qui ex Genuenſi Tyrocinio huc commigrarunt, quibus haud ſalubris cœli illius ſubtilitas. Pergratum ſibi oppidani, ſed prę ſertim illuſtriſsimos Cardinalis Borromæ⁹ hanc Tyronum in antiquam ſedem reſtitutionem accidiſſe, nõ obſcurè declararunt. Conſuetæ Tyrocinij exercitationes paulatim & experimenta reſumuntur, quibus Deo bene iuuante effectum iri ſperamus, vt ſolida iaciant, & iacta confirment fundamenta virtutum.

NICÆÆ SEDES.

ADoleſcens quidam annos decem & ſeptem circiter natus, ad B. Virginis cætum inuitatus à ſociis, ægre primum id ſibi perſuaderi paſſus eſt, mox ſimulac in æde veſtigium poſuit, illico iterum mutata voluntate, nullis Sodalium ſummis vel infimis precibus retineri potuit (tunc abhorrebat ab hoſpitali domo, in qua primis menſibus degerunt noſtri) recedit ſolus, rectà natatum proficiſcitur, ſtatimque ingreſſus hauritur aquis, nec niſi efflata anima apparet. Dimiſſo Sodalitio vulgatus repentinus caſus, explicari non poteſt, quantum metum omnibus intulit, & cum, qua hora tam horribile ſpectaculum euenisſet,

nisset, secum ipsi reputarent, mirabiliter sunt omnes ad B. Virginis cultum, & pietatem excitati. Sicque vnius infelicis exitium in multorum salutem redundauit. Mahometanus iam senex triremium captiuus, quod à patruo viro docto audisset adolescens, legisse illum in suis libris, cæteras quascunque sectas in Christianorum fidem tandem aliquando desituras, essetq; ad nostram religionem vir valde propensus, hoc viso ad eandem inflammatus est. Videre sibi visus est in somnis sacerdotem è nostris, à quo manu prehensus, hilari vultu, vt secum iret inuitatus, cum petijsset quonã audijt: in hortum Domini. Annuens ergo in paruum quendam hortum perductus est, sed tanta amænitate his fructibus consitum, ac floribus suauissimum odorem afflantibus distinctum, vt omnes delitias mũdi superaret. Visum cõprobauit euentus; Ab eodem enim Patre, quem sibi videre visus erat, catechismo imbutus est, baptismumque postea susscepit.

RESIDENTIA TICINENSIS, ET Alexandrina.

ADolescens è cætu B. Virginis, animi causa è nauicula dũ piscaretur in Ticino, ea vi decurrẽtis aquæ ad molendinum allisa, ac distracta, sociis, qui cum eo erant in naui, tabulas, lignaq; alia, vltimum naufragorum effugium arripientibus, solus ipse repentino periculo correptus, inops consilij, iam iam aquarum vorticibus absorbendus erat, nisi tutela B. Virginis implorata saluti fuisset. Vix Dei parentem inuocarat, cum repente illi iniecta cogitatio est, vt se in profundum aluei sub molen-

dini rota deijceret, ſicque præter omnium opinionẽ apud quos iam erat illius deplorata ſalus, diuinitus incolumis euaſit.

Alexandriæ etiam conſueta Societatis officia magno concurſu ciuitati præſtita. Illud nouum ad ciuitatis in nos beneuolentiam declarandam, ab ea videlicet, nobis inſciis, ab admodum Reuerendo Aulerio ducentorum aureorum annui redditus impetrati, qui iam aliis deſtinati fuerant. Trium fratrum inimicitia, qui ſæpius ad arma confugerant, in amicitiá verſa. Coëmpta domus ad futuri Collegij exædificationem neceſſaria. Eluxit in hoc pia Sodalitatis B. Virginis liberalitas, quæ ad id dimidiam pecuniæ ſummam vltrò attribuit.

PROVINCIA VENETA.

VErſabantur in Prouincia Veneta initio anni 1606. ex ſociis quadringenti circiter quadraginta quinque, ſexdecim in domicilijs varijs muneribus occupati, nõ ſine magno profectu ſpirituali ipſorum, & proximorum etiam vtilitate; cum ecce tibi ob eã, quæ infra narrabitur, cauſam exturbati ex omnibus Dominij Veneti ciuitatibus, ad reliqua ſe domicilia è ſex, quæ in Venetorum ditione habebamus, recipere coacti ſunt. Deinde poſt non multos dies, cum neque ſatis loci eſſet ad habitandum, neque rei familiaris anguſtiæ tam multis ſuppetere poſſent, dimiſsi ſunt in alias Prouincias ad ſeptuaginta. Quare circa Calendas Iulias remanſere in Prouincia ſeptuaginta quinque ſupra trecentos: & quidem in Parmenſi Collegio ſex & octoginta, in Bononienſi vndequinquaginta. In Placentino quadraginta ſex. Sexaginta in domo Probationis Nouellariæ. Ferrariæ quadraginta. Mantuæ triginta quinque. Foroliuij duodeviginti. Mutinæ quinque & viginti. Imolæ quinque. Parmæ in Collegio Nobilium ſex. Poſtremo Pater Prouincialis & ſocij eius duo Prouinciam luſtrantes. Fatis octo conceſſere, tres ſacerdotes, quatuor adoleſcentes litterariis diſciplinis addicti, vnus è Coadiutoribus.

bus. In eorum locũ quatuordecim ſuffecimus: plurium votis quo minus ſatisfieret, fecit communis Prouinciæ calamitas. Hæc in vniuerſum trium ſacerdotum, quos hoc anno vita functos prædiximus, acta, & virtutes, hoc loco referre cogimur, breuius quidem quam par eſſet, & ſeparatim à priuata Collegiorum hiſtoria, quòd ij ex locis illis vita migrarunt, vnde litteras nullas habuimus.

Et primus quidem Pater Ioannes Baptiſta Sortes patria Nouocomenſis, annorum circiter triginta duorum, ſua morte multis nos commodis priuauit, quæ opera eius ad plurima vtiliſsima præbuiſſet. Is maioribus diſciplinis tradendis occupatus, quæſtiones conſcientiæ, & Philoſophiam etiam Brixiæ docuerat. Demum Venetias ad nouum Philoſophiæ curriculum aduocatus, in ipſo laborum initio in grauiſsimum morbum incidit, deinde in ſtudiorum noſtrorum familiarem phtiſim incidens, magno ſui nobis deſiderio relicto deceſsit, paulo ante quam Veneti tumultus excitarentur.

Alter fuit Pater Octauius Gondius, quatuor iam ante multos annos vota profeſſus, concionator in hiſce regionibus celeberrimus. Omnibus fermè in huius prouinciæ ciuitatibus duos, tres alicubi, alibi quinque annos concionem tenuit, magna ſemper cum populorum approbatione, fructu maximo: Vere enim de eo illud affirmari poteſt, magnæ vtilitatis concionatorem fuiſſe. Inſigni erat apud omnes authoritate, inſigni in vi-

in vitiis reprehendendis libertate, ita tamen vt neminem offenderet. Extant Parmæ, Mutinæ, Rhegij, Lepidi, Placentiæ, Salodij, & in aliis, in quibus concionatus est ciuitatibus, laborum & industriæ eius perpetua monimenta. Orphanotrophia, Xenodochia, domus mendicantium, loca, in quibus vel puellæ, virgines ante lapsum, vel lapsæ mulieres post naufragium necessariis ad vitam subsidiis subleuantur. Extant multis in locis erectæ ab eo Christianæ doctrinæ Sodalitates, extant alicubi cætus Virginum, quæ sub Diuæ Vrsulæ tutela in priuatis domibus suam DEO virginitatem dicatam summa cum laude conseruant.

Homo fuit orationi, & voluntariis corporis pœnis apprimè deditus. Ante concionem binas ferme horas ante CHRISTI crucifixi imaginem prostratus, multis cum lachrymis ea cum Deo conferebat, quę mox ad populũ erat è suggestu pronunciaturus. In Sacro ante sanctissimæ Eucharistiæ sumptionẽ multum temporis in augustissimi illius Sacramenti, quod manibus gerebat, contemplatione consumebat. Conciones omnes præuia flagellatione, & aliis corporis afflictationibus præueniebat, quod mirum sane est, in homine multis, vt postea compertum est, morborum generibus vexato. Venetiis concionatus erat postremo per Quadragesimam, à Paschate morbo vexari cœpit, quoadusque inde sumus eiecti: reparata nonnihil valetudine, Florentiam, patrij cœli captandi causa, missus est, sed nimirum hominem

cœlo maturum DEVS ad laborum suorum præmia euocabat : ingraueſcente itaque valetudine, animam Deo reddidit, paulo poſtquam illuc aduenerat.

Poſtremum in ordine locum tenuit Pater Alexander Truſsius Brixiæ natus , multos & ipſe annos Societati fidelem operam nauauit , pietatis inprimis ſtudioſus , & magna in inſtituendis ad pietatem hominibus dexteritate. Magnam nactus erat rerum ſpiritualium peritiam , in praxi præſertim virtutum , cui rei multum operæ ſtudijque impenderat. Redegerat etiam in commentarium varias & breues methodos ad omnium virtutum genera exercenda , quas deinde filiis ſuis ſpiritualibus , pro cuiuſque captu tradebat, non ſine ingenti ipſorum vtilitate. Singularis præterea fuit in eo peritia doctrinæ Chriſtianæ pueris tradendæ: quare cum ei ſe rei, vt aliis etiam omnibus ſolebat, totum ſe daret, mirum in modum eam vbique promouebat. Eripuit illum tandem nobis terminum dolor vehementiſsimus Mutinæ circa Calendas Octobris, annorum natum plus minus quadraginta.

PARMENSE COLlegium.

His à Pentecoſte tres laborum ſocios addidimus: quo etiam tempore excepit hoc Collegium Theologiæ ſtudioſos, quare ex ſcholaſticis numerauimus quinquaginta. Summa collegarum ſex &

sex & octoginta. Nostros Theologiæ auditores Patauia huc missos peropportuna sereniſsimi Ducis liberalitas mirifice recreauit: Is enim aureos ducentos eleemosynæ appellatione nobis quamprimum numerauit: misit præterea duodecim lectos advsum pene perfectos, ideſt, cum fulcris, culcitris, & opertoriis, offerens alia, si qua opus forent. Omnino certare nobiscum videtur paterna charitate, qua incensus nobis aduersus aliquos maleuolos prę-sto fuit, non sine fructu. Valetudine, ut in tantis tum domus, tum rei familiaris anguſtijs, vſi sunt plurimi satis commoda & hilari: at quinqué, hoc eſt, quatuor scholastici, & sacerdos professor vnus, grauibus periculosisque morbis vexati; quorum duo inter hos natu minimi desiderati sunt. Prior quidem Hieronymus Baldinus Ferrarienſis annum attingens. 23. miro candore animi, prudentiq; simplicitate præditus: eum in ipsis Philosophiæ carceribus lenta phtisis aggressa, & ab inchoato cursu, & à vita etiam desistere coëgit. Hunc non ita multò pòst subsecutus est Carolus Cæsarius Bononienſis. annos natus viginti vnum, magnus pietatis, & religiosæ disciplinę sectator: de quo, vt multa, quæ dici posset omittamus, illud verè dici potest, eum si diutius vixisset, futurum fuisse Societati nostræ perutilem, cum videretur ad animos priuatis colloquiis valde iuuandos, ad egregiè concionandum, ad tradendas pro dignitate grauiores disciplinas, atque ad bene gubernandum aptissimus: sed nimirum Deus illum cœlo iam maturum accersiuit.

Quidam, cuius inopiam onerabat liberorum multitudo, conquisita nostrorum studio pecunia,

eductus è carcere, suisque redditus est. Puellæ duæ nubiles, quarum virginitas, cuius votum expresserant, non longe aberat à naufragio, in tuto positæ. Aliæ in matrimonium collocatæ. Alia quæ sanctissima sacramenta in nostro templo frequenter obire consueuerat, eorum vi, & Beatissimæ V. ope, suam castitatem inuiolatam in præsenti, grauissimoque periculo conseruauit. Sacrarum Cœnobitidarum monesteria piis cohortationibus, aliisque quibus licuit, auxiliis adiuta. Meretrices duæ insignes in sacro pœnitentium monasterio impuros amatores cum cœlesti sponso commutauere: harum alteri dos necessaria paucis diebus emendicata. Ad soluendos periculosos animorum nodos, aliasque graues dubitationes explicandas, frequens ad nos est concursus tum popularium, tum clericorum, tum religiosorum hominum, ex omnibus pene familiis. Quidam multis aureorum millibus restituendis obnoxium se opinabatur, is solida nostri sacerdotis doctrina omni dubitatione, ac restitutionis necessitate liberatus est: tantique factum est iudicium eiusdem Patris ab Illustrissima quadam fœmina, vt ea seuerè affirmarit, nullo vnquam pacto quieturam se animo fuisse in quadam conscientiæ difficultate, vel omnium hominum sententijs auditis, nisi huius sacerdotis iudicium accessisset. Scholæ inferiores florent vt quam maximè. Eæ diem Beati Aloysij Gonzagæ natalem in templo nostro insigni plane apparatu illustrem fecere. Adfuere Illustrissimus Papyrius Picedius, tum temporis Iulienſis Episcopus, Illustrissimus atque Excellentissimus Octauius Farnesius Ducis sereniſsimi

nissimi filiolus, qui etiam eadem die nobiscum humanissimè prandere & versari voluerunt. Scholæ altiores hoc anno, dimissis à principe anno superiore in alias ædes legum & medicinæ studiosis, inusitata quiete ac tranquillitate vsæ sunt. Floruere tum nobilitate, tum multitudine; quanquam æstate iam media plurimos adolescentes, præsertim è Collegio nobilium sane frequenti florentique, propter res nouas inter summum Pontific. & senatum Venetum obortas, repentinus quidam sinus Adriatici æstus abripuit: quorum tamen in locum, vt alios taceam, suffecit multos Ianuenses adolescentulos hyeme appropinquante, mare Lygusticum. Ex congregatione Annunciatę Virginis tres ad Cappucinos aggregauere sese, vnus ad Benedictinos, quatuor nostram Societatem in votis habent, vni tamen hoc anno soli patuit aditus, ceterorum desideria in commodius tempus translata. Quidam in communi sodalium oblatione, cum sui victor egregius plus etiam contulisset, quam statuisset, quamque præsens eius necessitas ferre videretur, Deiparam expertus est erga se liberalissimam: paucis enim interiectis diebus pene centuplum recepit in pecunia numerata, ab vno, qui diceret eam se illi debere, cuius tamen ipse nullo se pacto creditorẽ agnoscerer. Duæ viduæ nos hęredes testamẽto scripsere, altera ex sextãte, altera ex asse, parentatũ vtriq; more societatis. Ex harum alterius hęreditate percipitur summa aureorum octuagenorum. Sacram suppellectilem auximus sacerdotalibus vestimentis sane multis, pretio à piis amicis per eleemosynam collato, sed

sed multo pretiosiora duo aræ maximę peripetasmata, cum sacerdotum ornamentis ex eadem materia, eodemque opere perfectis. Accepimus præterea dono datum ab amico tabernaculum hexagona figura, sesquicubitali altitudine, latitudine cubitali.

Hoc anno, Illustrissimo ac Reuerendissimo Ferdinando Farnesio abdicante se Parmensi Episcopatu, Illustrissimus ac Reuerendissimus Papyrius Picedius prius Episcopus Iuliæ, vulgo Burgi S. Donnini, è Iuliensi ad Parmensem cathedram honorificentissimè translatus est. Is cum antea sese nostri amantissimum palam ostendit, tum creatus Parmensis Episcopus, suam erga nos beneuolentiá præclaris indiciis probatam, testatamque voluit. Itaque paucis diebus post solemnem eius in vrbem ingressum, ad nostrũ Collegium inuisendum venit humanissimè. Excepimus illum inter prandendum latina gratulatione, duplicique poëmate, atque aliis permultis carminibus, tum Latinis, tum Græcis, tum Hebraicis. Idem aperte significauit id religiosæ humanitatis officium gratissimum sibi fuisse, ac fore etiam periucundum, omniaque apud se habere voluit, vel nostri amoris pignus, vt nobis placuit, vel sui officij, vt ipse affirmauit, monimentum singulare.

MISSIO IVLIENSIS.

IVlia sita in via Claudia, oppidum est antiquum & nobile agri Parmensis, de quo paulo ante meminimus. Parma distat quindecim millibus passuum; quod à S. Donnino, qui jussu Maximiani Imperatoris ibi pro Christo obtruncatus est, vulgo nunc Burgum

Burgum sancti Donnini dicitur. Id oppidum tribus ab hinc annis opera sereniſsimi Ducis Parmæ, cuius paret imperio, à Clemente VIII. Pontif. maxim. felicis memoriæ perpetuo Episcopatus iure donatum est, primumque habuit eum, quem non ita pridem nominauimus, egregium virum Papyrium Picedium. Ea in vrbe, dum adhuc illa Picedium pastorem agnoscebat, per æstatem jubilæi tempore miſsi ex hoc Collegio sacerdotes duo; qui Episcopi rogatu extraordinarias virginum monialium confeſsiones audirent. Verum hoc miſsionis præluſio potius dici potest. Ea proprie miſsio, qua sacerdos alius cum Novitio ibidem per mensem Decembrem vberrimo cum fructu commoratus est. Data inprimis opera, vt opiniones de Societate nostra partim ab ignaris nostri instituti, partim ab æmulis perperam conceptæ, in lucem prodeuntes euanescerent: idque iuuante Deo, usque adeo perfectum est, vt omnis illa voluntatum abalienatio in amorem, ac desiderium Societatis maximum verteretur. Testati sunt id publicis vocibus, populus quidem, sanctos nos identidem inclamans; Ecclesiastici vero, qui præ ceteris male de nobis senserant, tum laudibus apud populum magnis, tum literis & legatione ad Illustriſsimum Parmensem Episcopum publico nomine data, quibus illi vtpote miſsionis auctori maximas egere gratias. Mirum quomodo sacerdoti nostro se totus tradiderit populus regendum ad pietatem, vt illi satis propemodum esset quid vellet innuere, victis, vt aiebant, vinctisq;

vinctisque omnium animis nostra concionandi ratione, cum tamen varios ibi ex aliis religiosis familiis insignes concionatores non raro audiuissent. Ad concionem ita properabant, vt post duas primas, is concursus ac tumultus fieret omnino, qui in solemnibus natalitiis esse consueuit, aut etiam maior. Milleni minimum quotidie auditores numerabantur; sæpissime duplo plures. Interroganti concionatori de re aliqua, nutibus, lachrymis frequentissimis, atque etiam vocibus respondere. Hortanti ad confessionem ita dedêre se, vt per eum mensem, á primo fere diluculo ad vesperam sedendũ illi fuerit pro tribunali sanctæ pœnitentiæ. Confessione generali expiati circiter centum & sexaginta. A turpi vitæ genere abducti multi. In his insignis meretrix omnia veræ pœnitentiæ documenta dedit. Porro sacra communio diebus Natalitiis tàm frequenti concursu celebrata est, vt cum antea pro magno haberetur, si trecentum conuiuæ ad sacram illam mensam accederent, hoc anno bis mille conuenerint. Cetera pro initiis meliora expectantur in dies. Doctrinæ Christianæ pueris tradendæ ratio ac studium propemodum iacens, nostra opera reuixit, atque etiam mirifice inualuit &c.

COLLE-

COLLEGIVM BO-nonienſe.

COmmunis cauſa auxit etiam in hoc Collegio numerum noſtrorum; nam illi triginta, qui in eo commorabantur, aliós præterea 20. in contubernium admittere coacti ſunt. Aucto tamen numero Sociorum, auctus eſt etiam fructus erga proximos. Tres ab imminentis mortis periculo liberati.

Alius ab inhoneſta vita ad meliorem & Chriſtiano homine magis dignam reductus. Cuiuſdam ſalus eo venerat, vt ſe ad viaticum & ad mortem mox ſubſecuturam compararet; monitus ab vno è noſtris, vt ſe Beato Aloyſio commendaret; paruit conſilio, particulamque reliquiarum eius è collo ſuſpendit, quo facto leuatum ſe morbo ſtatim ſenſit, eademque die incolumis plane ſurrexit è lecto. Congregatio Beatæ V. Annunciatæ tres nobiles, bonæque expectationis adoleſcentes Societati dedit, tres aliis religionibus.

Quidam iuuenis cum valde pecunia egeret, neque aliunde ſeſe offerret commoditas, qua ſuæ inopiæ ſubueniret, peſtilens init conſilium; diabolo ſe dedere ſtatuit, ea conditione, vt ab eo optatum pecuniæ ſubſidium reciperet: ſcribit itaque manu propria ſchedam nefariæ pactionis: ſed Deo, vt credere par eſt, non permittente, nihil prorſus pecuniæ eidem allatum eſt à Dæmone:

quare

quare ille moræ impatiens, alteram proprio sanguine exaratam flexis genibus humani generis hosti offerebat; sed irrito vt prius, euentu: eandem in arca reponit, ratus fore, vt nocte ad eam recipiendam noctis & tenebrarum amator adueniret, sed illa in eodem loco mane immota reperta est. Ille igitur indignatione correptus, schedam vltricibus flammis adurendam commendauit: crescente tamen egestate, tertiam sanguine item de corpore extracto tertia vice descripsit, offerebatque: Sed nummularius videlicet, si Deus velit, nummis destitutus nusquam se videndum exhibebat. Iuuenis itaque tandem tædio affectus, execrandum chirographum chartis libelli piarum precationum inserit, oblitusque est ibi ad dies aliquot. Incidit aliquando occasio, vt sodali suo libellum illum accommodaret, à quo reperta est chartula: is erat ex congregatione B.V. monet pius adolescens confessarium, eiusque suasu perditum adolescentẽ adducit in Collegium. Noster multis rationibus sui illum piaculi admonet, summam admissi criminis grauitatem demonstrat; tandemque perficit vt ad mentem rediret, peccata confiteretur, & aliam schedulam prioris reuocatoriam, non quidem sanguine, vt ille se facturum pollicebatur, sed atramento describeret. Ad pias alias in proximos exercitationes duas nouas piorum hominum sodalitates addidimus: mercatorum alteram, alteram opificum. Vtraque eos fecit progressus, vt septimo mense aggregationem ad primariam Romanam obtinuerit. Mercatorum sodalitas vt pluribus initio difficultatibus agitata est, ita maiores de se fructus polliceri videtur. In ea

præcipue

præcipuè agitur de rebus ad munus eorum ſpectantibus. Cum quid controuerſiæ, vt fit, inter mercatores ortum deprehenditur, ſunt qui ad diſſidentes in concordiam reuocandos ſtatim authoritate, & opportunis remediis accurrant. Horum opera fœmina quædam 20. circiter annorum, quæ plurimis ſcandalo eſſe cœperat, à praua conſuetudine abſtracta cœnobium ingreſſa eſt earum, quæ poſt reſipiſcentiam, Deo ſe arctius dicare maluerunt: ijdem adoleſcentes illos, quibuscum fœmina malè vixerat, ad honeſtiorem vitam, facta generali peccatorum omnium confeſsione, pertraxerunt. Alia multa pietatis munera in dies edit hæc congregatio. Sodales numerat ſexaginta. Minutiorum opificum congregatio paucis menſibus centum & ſexaginta ſodalibus ditata eſt. Hi Purificationem B. V. peculiari ſibi ſtudio celebrandam ſumpſere: magnum omnium feruorem indicarunt omnium de toto vita confeſsiones auditæ, inſignis morum mutatio: quidam ſe Patri in omnem vitam obſequentes obtulere. Piis caritatis operibus diligentiſsimè incumbunt vniuerſi: adeunt hoſpitalia, decumbentes ibidem viſitant; ſubſidia pro cuiuſque opibus diſpartiuntur. Lege inter eos ſancitum eſt, vt cum quis è ſodalitio in morbum inciderit, viſitent illum deſignati, & omnia ei, quibus indigere deprehenſus fuerit, communibus ſumptibus ſubminiſtrent. Ei qui primus inter illos Præfectum egit, apparuit in ſomnis ſpecioſus quidam puerulus, qui hominem ad Doctrinæ Chriſtianæ explicationem per ſe, & ſodalitatis Socios promouendum hortabatur. Expoſuit viſionem ſodalibus, quibus

rem mirifice comprobantibus, sese fere omnes in varia vrbis templa distribuēdos dederunt. Illud etiam ad maiorē inter ipsos vnionē augendam excogitatum est, vt quicunque aliena opera in suis muneribus exercendis indiguerit, non nisi opera hominis, qui ex sodalitio sit, vtatur; cumq; vix sit vllum opificii genus, cuius non sint in congregatione aliqui professores, aliena ope neminem indigere cōtingit: quoniā autem plures sæpenumero eandē artem profitentes sūt, qui indiget, viciniorē sibi assciscere solet. Magno Societatē nostrā amore prosequuntur, quod multa ostenderunt, id inprimis, quod aliquando inter se egerant clam nostro sacerdote, vt pecunia ab vniuersis corrogata, non leuis summæ eleemosyna Collegio nostro donaretur. Rē rescimit noster, eosq; acriter propterea reprehensos, à consilio desistere præcepit. Auxit hoc factū Patris, eorum in nos beneuolentiam. Secesserat in villulam per autumnales intermissiones sacerdos vnus cum aliquot è scholasticis, suis in Schola casuū conscietiæ auditoribus, ibi ne nulli etiā è vinea dominica fructus colligerentur, adiere Ecclesias rusticorū, Christianæ fidei rudimēta explicarunt: diebus verò operi destinatis, adibant in pratis & campis pueros armētorū custodes, eosq; fidei mysteria edocebāt, immo etiam genib⁹ in terram flexis coronam B. V. & alias pias preces cū opiliōibus percurrebāt. Duæ ex hoc Collegio missiones factæ, non sine ingenti eorum, quos adierunt emolumento.

COLLEGIVM PLACENTINVM.

DEcē sacerdotes, tres humaniorū literarū præceptores, 20. scholasticos, tredecim domesticorū operum

operum adiutores habuimus in hoc Collegio post exilium Venetum. Vnus è vita migrauit Bernardinus Aleotus Foroliuiensis, humaniorũ literarum auditor, optimus ingenio & pietate adolescens. Duos in eius locum substituendos misimus ad tyrocinium. Hoc anno primùm Beati Patris Nostri Ignatii & Aloysii Gonzagæ nomine, festos dies magna populi, & præcipue nobilitatis frequentia egimus: Orationes, Poemata, Emblemata, insignia, celebriorem faciebant solemnitatem. Doctrinam Christianam non pueri solum, sed adulti etiam in hac vrbe docentur à nostris. Numerat ex his vnus singulis festis diebus auditores trecentos, & aliquando etiam quadringentos. Peperit etiam hic annus copiosum cœtum artificum, labore & industria vnius è nostris: fructus vero in dies leguntur copiosiores. Quod multò antè summo studio peroptarat Arcis præfectus Leolazarus Haller, noster in hac vrbe parens amantissimus, hoc tandem anno mira cum animi sui lætitia & nostro bono effecit. Sextenos singulis annis nummos aureos ad scholasticorum nostrorum seminarium in hoc Collegio alendum dabat, incertas res, si repentinæ mortis illum ex hac vita vis nobis abstuliſſet, & certe non in perpetuum tempus duratura, ut ipse percupiebat: propterea bonam pecuniæ summam in rem vtilem collocauit, ex eaque certos, ac perpetuos seminario redditus assignauit. Ducentos præterea aureos nummos nobis donauit, centum quidem ad templum peristromatis exornandum, centum vero ad inopiam, quam ex nouorum sociorum aduentu contraxeramus, subleuandam.

Suam etiam nobis liberalitatem luculenta sane significatione testatus est Illustrissimus Comes Claudius Rangonius huius Ciuitatis Episcopus. Hunc imitata fœmina nobilis, pietatis ergò, pannos omnes eorum qui accessere, vt sibi eluere liceret, summis obtinuit precibus, glorioſi horum exilii quodammodo consors, & eorundem cœlestis præmii particeps futura.

Duodecim patres qui tertium probationis annum hic agunt, à Paschate demissi in varia oppida, magno cum omnium locorum ad quæ accesserunt bono, ingentem ex agro dominico messem collegere: Ceterum quoniam ex reditu tyronum, qui Patauio fuerant expulsi, huc ipsi non rediere, peculiarem de illis narrationem hic non attexemus. Domus itaque, quæ usque ad Idus Maii 30. circiter socios habuerat, ab ea die septuaginta recensuit; quatuordecim Sacerdotes, quindecim coadiutores veteranos, nouitios quadraginta. Duo à nobis euolarunt in cœlum: alter senex ex coadiutoribus: alter nouitius, ex iis qui sunt ad studia destinati. Priori nomen fuit Ioannes Baptista Florentinus. Florentiæ in Hetruria natus hic, 45. totos annos in Societate vixerat magna cum omnium ædificatione. Vir fuerat multorum laborum, insignis paupertatis amator. B. V. maxime studioſus. Nouitius patria fuerat Vicetinus; Domitium Valmaranam vocabant. De eo illud verissime dici potest: Consummatus in breui expleuit tempora multa; vix enim post alterum mensem ab ingressu Societatis, ad eos qui in cœlis Deo clarius fruuntur socios commigrauit. Brixiæ, vbi à Deo vocatus erat, sodalitium etiam

etiam nostrum obtinuerat à Præposito Prouinciali, quare cum inde proficiscereturPatauiũ ad probationem, ecce tibi vix peruenit Vicetiam, cũ morbo decumbit. Interim promulgatur Pontificium Interdictum; nostri à Venetis & abeunt & expellunturi. Itaque ille consilii inops, ad duos menses in patria manere cogitur: tandem venit in mentem sibi iam admisso integrum esse ire ad tyrocinium, fore etiam, Deo, qui talia consilia suggesserat, bene fauente, vt ne à nobis reijceretur. Visa est diuina bonitas adolescenti fauere voluisse: pridie enim quam Vicetia discederet, allatę fuerant illuc ad eum litteræ à P. Prouinciali, quibus ad Septembrem vsque expectare iubebatur, sed nescio qua tandem ratione factum est, vt illi non redderentur. Venit itaq; ad nos Nouellam, vbi cum per aliquot hebdomadas sanctissime vixisset, Deo illum ad se vocante, per summa compendia ad metam peruenit, ad brauium supernæ vocationis. Singulare solidarum virtutum specimen præbuere Tyrones omnes, cum nobis Patauio fuit abeundum. In nostri Collegii direptione, inter tumultus militum, inter satellitum & apparitorum insolentias, inter confertam turbam amicorum & propinquorum, etiam nostrã calamitantem quà gemitibus, quà lachrymis deplorantium, soli ipsi siccis oculis & serena frõte naues ascenderunt, quibus armatis vndique militibus circumsepti, extra ditionem Venetam omnes erant asportandi. Agnouisses veros Christi sectatores, ita alacres exibant, ac si non in exilium ex patria, sed potius ab exilio reuocarentur in patriam. Et erant ex 44. tyronibus (tot enim eo tempore numera-

bantur) duo supra viginti ex Veneta ditione, quidã etiam Venetiis & Patauii orti. Satis magnã voluptatem & solatium præbuit antiquioribus tanta adolescentium hilaritas. Nouellariæ humanissimè excepti sunt à nostris: post aliquot vero dies, vbi se ab itineris labore recrearunt, ad solitas rediere exercitationes, quà domi, quà foris, in pagis & villis, ad quas Christianæ catecheseos causa frequenter accedunt, magno cum rei Christianæ emolumento. Non est silentio prætereunda quorundam in sua vocatione constantia. Vnus enim qui ante aliquot menses nostrorum quidem numero fuerat ascriptus, sed nondum domi receptus, vbi nostros Patauio vidit abeuntes, ingressus & ipse nauim, vt Nouellam cum illis veniret, non est tamen passus illum Magister Nouitiorum, sed ad totius Prouinciæ moderatorem remisit, qui licet in maximis angustiis versaremur, homini denegare nõ potuit, quod ipse tanta constantia & feruore deposceret.

Alterius valide quidem impugnata constantia, sed Deo bene fauente, non expugnata. Hic honesto genere natus Venetiis, cũ societatẽ ingressus est, domi matrem & duos fratres perampli patrimonii reliquerat administros, qui tamen omnes paucis diebꝰ vitam cum morte commutarũt. Supererat tertius adhuc frater, sed is in Germania negotiis multorũ milliũ aureorum distinebatur, ita, vt ad rem domesticã Venetiis procurandam illi nequaquam venire liceret. Tunc propinqui & amici Nouitium multis precibus & hortationibus pertentarunt, vt relicta, quam paulo ante iniuerat, religiosa viuendi ratione,

domum

domum se ad sua curanda conferret. Ille tamen, cui præ Deo omnia vilia effecta erant, nullatenus adquieuit.

Quare is, qui in Germania versabatur, tandem coactus est ad breue aliquod tempus, in Italiã redire, vt domesticis rebus nonnihil compositis, ad sua ipse postea remearet. Vix ille venerat Venetias, cum ecce tibi nos inde eijcimur, & ille eodem tempore in phrenesim incidit, in qua cum publice in senatum & Ducem ipsum acerrimè inueheretur, laudaretque Pontificem, carceribus amandatur, cumque à reprehensionibus non desisteret, arctissimis vinculis etiam tunc detinebatur, quo tempore hæc post octauum mensem scribebamus. Hic iterum in Nouitium propinqui nullum non lapidem mouentes, vt ipsum ad secularia pertraherent, rem maximam proponebant procurandam, tum Venetiis, tum Viennæ in Austria, fratrem & captiuum, Virginem sororem nubilem, & omni custodia denudatam: maximis etiam studio & prensationibus obtinuerant à Rep. vt ille, licet nos perpetuo exilio mulctati simus, relictis habitu & religione, Venetiis ad sua curanda versari posset. Is tamen ad omnia surdus, quamuis res maximi momenti esse videretur, nunquam sibi passus est persuaderi, vt tanto cum sui dispendio ad rerum terrenarum curam pertraheretur.

Interim nostri vt aliqua saltem ex parte propinquis satisfieret, tyronem Viennam miserunt, vt ibi aliqua ratione fratris rebus iam derelictis consulat.

Hoc

Hoc vnius constantiam indicauit, quod sequitur, est ad multorum simul virtutem commendandam. Inter alia, quæ tempore Interdicti tum in nos, tum in alios religiosos viros Venetiis decreta publicata sunt, illud etiam vnum fuit, quo cautum est, ne quis Tyro, cuiuscunque tandem religionis esset, vllum amplius in paterna bona ius haberet, in Veneta ditione, nisi intra vnius mensis spatium relicta religione domum sese contulisset. Id à nostris auditum, tantum abest, vt cuiquam eorum aliquam titubandi occasionem præbuerit, vt inde etiam magis in sua vocatione constantes ac firmi redditi sint.

Sed vt à Tyronibus ad veteranos veniamus, magnus est numerus eorum, qui ad nos confessionum & sacræ Eucharistiæ causa quotidie ventitant. Circa festa natalitia mille & ducentos numerauimus, qui in templo nostro sacram synaxim percepere. Insignis exempli est ciuibus suis Illustrissimus Co. Camillus Gonzaga, nepos Comitis illius Camilli, qui nobis hanc domum fundauit: is non pietatis minus optimi pijssimiq; patrui, quàm bonorum & ditionis hæreditatem adijsse videtur. Cum enim iam ad quintum & vigesimum ætatis annum peruenisset, quo tempore ex patrui testamento, à matre vidua ditionis administrationem erat accceptutus, eodemque tempore vxorem ducturus Marchionis Vasti filiam, sese Deo diligentius, quam antea feciset, dicare statuit, & sanctissimæ Eucharistiæ Confessionisque sacramenta singulis Dominicis, reliquisque festis diebus frequentare: quod semel inceptum constantissimè ad hoc vsque tempus seruauit, ita vt ne in longis quidem itineribus pias suas exercitatio-

citationes omittat. In prima nuptiarũ ſuarum hebdomada, cum oppidum & aula plena eſſet Principibus & nobilibus viris, qui ad ea feſta cohoneſtanda conuenerant, ipſe vt perciperet Indulgentiam & Iubilæum, quod per id tempus à Sanctiſsimo D. N. Paulo Quinto conceſſum fuerat, ieiunare voluit illa hebdomada, & ſacrum Chriſti corpus ſumere. Interdum dum choreæ agerentur, & ludi ſolemnes, ſubtrahebat ſe à turba in ſecretiorem locum, ibique ſummo cum animi ſenſu Eccleſiaſticas preces perſoluebat: eſt. n. illi iam à multis annis hoc in more poſitum, vt quotidie nullis ita ſe occupationibus quantumuis miximis diſtineri patiatur, quin eos pſalmos deuotiſsime recitet, quos ex Romani Pontificis præſcripto ſacerdotes omnes percurrere conſueuerunt. Ab eo tempore, quo duxit vxorem, ſingulis diebus feſtis domi noſtræ ſuum adit confeſſarium, ibique cum eo poſt expiatam confeſsione animam, mediam minimum horam de piis rebus, de vita Chriſti Domini deque Chriſtiani Principis officiis diſſerit, inde in templum noſtrum ſe cõfert, vbi ſumma cum pietatis ſignificatione omniumq; aſtantiũ ædificatione, tribus ſemper, & quatuor etiam interdum ſacris intereſt, & cœleſti menſæ communicat, genibus ſemper in nuda humo proſtratis, nulloque ſuppoſito, quod nobiles Principes ſolent, puluillo. Die natali Chriſti Domini nouem ſibi ſucceſsiuè ſuccedentibus ſacris interfuit, vtroque vt ſupra dixi, poplite in terram fixo. Hoc Principis exemplo non eſt dictu facile quantopere oppidani ad pietatem omnem ſint excitati. Indicant magna ſacramenta adeuntium multitudo, magna frequentia ad

cam, quæ Dominicis diebus in nostro templo Christianæ catechesis habetur, explicationē. Docētur aūt pueri seperatim & puellę. In alijs etiam locis sunt qui hominibus & mulieribus capita fidei explicent, tanta cum eorum approbatione, vt multi eorum, qui domum habent duobus aut tribus milliaribus hinc distantem, nec viæ lutulentæ, & difficillimę difficultatibus deterreantur, quominus & ipsi alacres veniant, & alios multos secum studiosi animarum venatores adducere conentur. Non defuere, qui cum procul Nouellana distarent, totam diem hic morari maluerint impransi, ne cōcione matutina, & pomeridiana doctrinæ explicatione carerent.

COLLEGIVM FERRARIENSE.

DVodecim sacerdotes, duo humaniorum Magistri, & nouem illis inseruiētes Coadiutores habuere hoc anno Ferrariæ, vsque ad quartū Idus Maias, à quo tempore ob aduētum eorum, qui à Venetis expellebantur, vsque ad congregationem Prouincialem, quæ habita est circa Idus Septēbris, numerus sociorum varius fuit & instabilis, non minus tamen vnquam sexaginta, & interdum etiam plures quam octoginta fuere. Post absolutā Prouincialem congregationem, remansere soli quadraginta: è quibus sacerdotes 18. Magistri non sacerdotes tres, reliqui domesticis munerib⁹ occupati. Fruct⁹ laborū hi fuere. Solitus erat quidā in mortale quod piā crimē sæpiss⁹ mè labi, cumq; accerrime increparetur à Cōfessario, motus tū vera spiritualis patris reprehensione, tū internis conscientiæ stimulis, imprecatus est à Deo sibi magnum supplicium, & ipsam etiam mortem,

cum

cum primum contingeret, vt relaberetur. Audiit Deus hominem. Vix reus erat effectus, cum sclopo à cognato suo percutitur ad mortem: agnouit diuinam in se vindictam: errata magno pœnitudinis sensu confessus, Dei benignitate & corporis & animi simul sanitatem recuperauit. Fructus concionum quadragesimalium quantus fuerit, illa indicat: Tantus erat auditorum concursus, quantum nemo in hac vrbe memoria repetere potest, & quidem vniuersa nobilitas confluebat: tanta populi frequentia, vt impleretur non templum modo, sed ea etiam omnia, è quibus cõcionator vel videri vel audiri poterat. Via publica quaqua versum concionatoris vox se extendebat, sua non carebat, & ea quidem conferta multitudine. Motus auditorum maximus, attentio insignis, in digressu silentium & modestia singularis: non pauci etiam cum lachrymis abscedebant. Satis amplam laborum segetem confessarijs præbebant pœnitentium cateruæ, vixque omnibus poterat à non paucis sacerdotibus satisfieri. Eleemosynæ præter consuetudinem huius ciuitatis magnæ, 30. 40. & 50. aureos singulis diebus explebant: cumque quadam die pauperes nonnullos populo commendasset, dixissetque, eos cibis & stratis ad cubandum esse destitutos, præter pecuniariam eleemosynam, quæ maior solito tum fuit, culcitræ à prandio non paucæ & varij generis vestes multæ missæ sunt ad nos in Collegium, ad eorũ inopiam subleuãdam. Multi è præcipua nobilitate, quibus vix noti eramus, quique alieniore à nobis animo esse videbantur, occasione concionis, nobiscum agere familiariter, & non leuia ergo nos beneuolentiæ signa ede-

re

re cœperunt. Singulare fuit, & non vulgaris in vniuersa ciuitate ædificationis illud, quod accidit ea die, qua narratur historia peccatricis, anteactæ vitæ maculas ad Christi pedes abluentis. Res autem in hunc fere modum se habuit. Pridie eius diei inuitauit meretrices omnes ad concionem in sequentem diem: hortatus præterea matronas, quæ tum aderant, vt adducerent omnes illas, quibus hoc persuaderi potuisset. Non surdis auribus ea accepta adhortatio: fecerunt diligenter matronæ id, quod rogatæ fuerant, corrogarunt non paruum numerum earum mulierculorum, easque secum in templum adduxere. Inchoauit concionem noster, vt illi solemne erat, ab historiæ euangelicæ explicatione, inde ad meretrices sermonem se conuersurum dixit, rogata tamen prius vniuersa concione, vt aliquoties precationem dominicam & Angelicam salutationem secum recitarent, id enixe à Deo postulantes, vt efficacitatem & vim verbis concionatoris elargiretur, illustraretque mentem mulierum illarum, vt miserandam vitæ suæ rationem perfectè dignoscerent, statimque se cum vniuerso populo in genua deiecit. Finita breui illa precatione, exorsus est, quæ Dominus suggerebat, pronunciare, vitæ genus illud infelicissimum deplorando, plurima eius incommoda præ oculis exhibendo, hortando, monendo, minando, & alijs id genus rationibus efficaciter inhærendo. Ad extremum monuit eas, quæ sibi à Deo meliorem mentem inspiratam sentirent, ne domum amplius regrederentur, ne dæmon eas iterum ad vomitum pertraheret: non defuturam piarum matronarum, & totius ciuitatis sollicitudinem, quæ illarum

rum curam ſuſciperet, & omnia neceſſaria ſubminiſtraret. Dedit efficaciam Deus verbis ſuis: dimiſſa.n. concione, ad quadraginta remanſerunt. Excitatus eſt interim tumultus incredibilis eorum, qui demãdari ſibi curam illarum certatim efflagitabãt. Accurrit ad tumultuantes Rector Collegij cum nonnullis ex Patribus, tandemq; diſtributis illis omnibus, ſedatũ eſt murmur. Curata ſunt poſtea ea omnia, quæ ad eas in tuto loco collocandas ſpectant. Exijt ipſe Concionator ad congregãdam oſtiatim eleemoſynam pro illis: patuit ciuitatis vniuerſæ in ea repietas, præter enim pecunias plurimas tam multa ſupellex ea ipſa die miſſa eſt ad nos, vt omnem ſuperaret expectationem: ſexcentorum aureorum eleemoſynæ ſumma fuit. Nuptui igitur traditæ octo & viginti, aliæ aliis in locis honeſtè collocatæ. Non defuit nobis occaſio exercendæ charitatis, quà erga noſtros, quà erga alios etiam religioſos viros, & ſeculares, qui Dei cauſa aut ſuis ædibus fuerant exturbati, aut ſponte violandi Pontificij Interdicti occaſiones ipſi fugiebant. Circa quartum Idus Maias aduenere noſtri omnes, qui Venetiis Profeſſorum domum incoluerant, eos alij eadem die, & proxime ſequentibus ex aliis domiciliis conſecuti. Summa omnium fuit octoginta & amplius capitum: tamen in tanta multitudine nulli, quæ Dei benignitas fuit, ſuus defuit ad cubandum lectus, aut alia neceſſaria, neque in vlla re immutata eſt conſueta Societatis ratio in victu aut alijs. Fuit piorum amicorum in nos beneuolentia inſignis, præfecti in primis cuiuſdam hoſpitalis, is enim quinquaginta nobis nouas culcitras cum reliquo apparatu ad lectum inſtruen-

ſtruendum humaniſsime accommodauit: iuuerunt multæ eleemoſynæ nobis ad eam rem traditæ: quare factū eſt, vt licet annui Collegij redditus nō pluſquā duos aut tres ſupra viginti alere poſſent, hoc tamen toto tempore ad multos menſes 60. aluerit Collegium, & nunc alat quadraginta. Iuuit liberalitas Illuſtriſsimi Cardinalis Spinulæ huius vrbis legati, qui præter alias ſummæ bonitatis ſignificationes, centum aureos eleemoſynæ nomine donauit. Subuentum etiam inter domeſticas illas anguſtias, externis multis, qui ob eandem cauſam ſolum vertebant. In ijs nouem fuere ex Eremitis Camaldulenſibus, qui ex cœnobio ſuo, quod in monte Corona habuerant, eijciebantur. Alijs procuratæ eleemoſynæ, vt aliò ſe conferre poſſent: alijs etiam honeſtæ, quibus ſeſe in hac vrbe exercerent, occupationes inuentæ. Non defuere, qui ex varijs Venetæ ditionis vrbibus ad nos venirent, alij cauſa ſacramentorum, alij vt nos conſulerent, quomodo ſeſe in his negotiis tuta conſcientia gerere poſſent: alij quibus venire non licuit, ex ipſis etiam Venetæ nobilitatis proceribus, certos homines ad nos clam transmiſerunt, ſuas nobis dubitationes proponendo. Omnibus, Deo bene fauente, factum eſt ſatis. Non videtur ſilentio prætereundum id quod accidit tribus virginibus, quæ vna cum aliis 22. in priuata domo Venetiis eam, quæ Cappuccinorum propria eſt, viuendi rationem ſectabantur. Hæ cum viderent multos in ea vrbe vi compellli ad violandum Interdictum, timentes ne ſibi id accideret quod aliis, aufugere ſtatuerunt. Conſilio communicato cū viro quodam nobili pariter, ac pio,

ac pio, acceptisque ab eo litteris, ad matronam Ferrarienſem, fœminam piam & hoſpitalem, itineri ſe dederant. Reſciuere hoc Veneti Magiſtratus, qui miſsis militibus eas in via captas iterum ad ſeſe Venetias duci iuſſerunt. Hic tum minis, tum blanditijs illas ab inſtituto remouere tentarunt, ſed cum fruſtra ſe laborare viderent, lictorum præfecto cuſtodiendas tradidere. Habuit ille domi ſuæ ad quindecim dies: quo tempore nullus non lapis motus eſt, vt alia illis mens perſuaderetur: Vbi in dies magis conſtantiores eſſe viſæ ſunt, dimiſſæ tandem cum eodem præfecto, vt Ferrariam ad matronam illam perducerentur, ad quas ipſæ prius ire deſtinarant, exilio tamen in perpetuũ mulctatæ. Venere Ferrariam, & ab illa matrona ad nos deductæ, apud quos ſacramenta percipiant. Hoc vbi nunciatum eſt Illuſtriſsimo Prolegato (erat is tum Illuſtriſsimus Spinula, de quo modò dicebamus, Archiepiſcopus Ianuenſis, nunc autem S. R. E. Cardinalis ampliſsimus, & huius vrbis legatus) ſpopõdit ſe ijs ære proprio omnia quæcunque ad victum & veſtitum neceſſaria futura eſſent, tamdiu ſubminiſtraturũ, quamdiu in hac vrbe ſub eius tutela manere voluerint, & ad eas ſtatim aureos viginti tranſmiſit, identidem autem reliqua hucuſque liberaliſsimè ſubminiſtrauit. Hæc Ferrariæ.

COLLEGIVM MANTVANVM.

MAntuæ propter magnam ſcholaſticorum Prouinciæ multitudinem, cœptum erat hoc anno ſeminarium eorum, qui humanioribus ſeſe litteris exercent.

exercent. Sex fratres huc à P. Prouinciali transmissi, cum se antiquioribus Collegii habitatoribus adiunxissent, viginti sociorum numerum expleuere. His alios quindecim aggregauit Veneta procella. Omnibus vt in ingenti rerum omnium caritate res necessariæ subministrari possent, fecit piorum amicorum nunquam satis laudata liberalitas, Illustrissimi præsertim ac Reuerendissimi Francisci Gonzagæ, huius ciuitatis Antistitis optimi, qui statim atq; de nostrorum exulum aduentu certior est factus, illico centum aureos nummos Collegio donauit. Illum pleriq; ciues imitati; frumentum, vinum, pecunias & alia subministrarunt. Quidam aureos ducentos post obitum nobis legare statuerat, is cum animaduertisset, quantis in præsentia vexaremur incommodis, maluit, sua vt nunc viuentis, quam multo post defuncti beneficentia frueremur. Prætet consuetum numerum eorum, qui in hac ciuitate peccata apud nos expiare solebant, accessit ingens etiam multitudo eorum, qui ex locis legitima sacrorum celebratione carentibus, Patauio, Vicetia, Brixia, & Verona maximè subinde ventitarunt. Id non viri solum, sed & mulieres fecere, ita vt quandoque integræ familiæ simul venerint: & in iis aliqui senes, ac decrepiti, claudi, ac cœci, qui domi suæ ante Interdictum vix præ uirium imbecillitate loco moueri, atque ad Missæ sacrum accedere poterant, nunc Deo pietati vires subministrante, alacres se ad hanc vrbem conferebant: tantus erat ardor religionis

Iubilæi vero tempore præter eos qui Mantuam venere, mittendi etiam fuerunt nonnulli ex

sacer-

sacerdotibus ad fines Veronensis territorij ad multorum nobilium confessiones excipiendas, & sacram eis synaxim rite impertiendam. Hac occasione plurimæ de tota vita confessiones auditæ. Iste vero congressus Veronensium cum nostris plurimũ momenti habuit ad Pontificium Interdictum in ea ciuitate obseruandum: quare Magistratus Veneti ediderunt, ne quis in posterum verbo vel scripto nobiscum ageret. His edictis factum quidem est, vt nobiles viri cauerint saltem, ne deinceps adeo publice nos conuenirent: multi tamen vel ea non veriti sunt, vel occultè ventitabant. Doctrinæ Christianæ institutio in dies magis augetur. Docentur trecentum virgines nubiles spe subsidij ad matrimonium, quod illis sorte contingit, speratur ab istis magna morum conformatio inter tenuiores familias. Duo ex nostris tertium probationis annum agentes, in agrum Vicentinum fuerant missi, sed cum ob Interdictum suam ibi messem relinquere cogerentur, ad nos reuerterunt. Eos Illustrissimus Episcopus benigne exceptos suam diœcesim lustrare voluit. Profecti illi ad viginti pagos incredibili cum paganorum fructu peragrarunt. Scholæ & numero discipulorum, & studiorum alacritate, suum cursum retinent. Pyxis argentea ad sanctissimum Christi corpus asseruandum, & altera ad illud publice populo exhibendum, dono nobis datæ, pretium vtrarumque est centum & triginta aureorum.

COLLEGIVM FOROLIVIENSE.

QVidam, qui iam multos annos in pessima blasphemandi consuetudine consenuerat, post-

quam apud nos confessus est, omnem plane execrãdi vitij habitum exuit. Alter qui vulnera inimico, & mortem etiam machinabatur, nostrorum opera prauam voluntatem deposuit, & totius etiam vitæ crimina confessus est magno doloris sensu. Quidam duodecim ipsos annos ab vxore dissidebat, præterea à nobis etiam alienus esse cæperat, quod filio suo societatem concesseramus, audita vnius è nostris concione, in gratiam cum vxore rediit, nobis reconciliatus est, & generali confessione peracta laudabiliorem viuendi rationem instituit. Aucta etiam hoc anno res familiaris liberalitate vnius è nostris, qui aureos bis mille, quos societati dicare statuerat, huic potissimum Collegio voluit assignari.

COLLEGIVM MVTINENSE.

FAmiliam Mutinensem, quæ iam quindecim, nunc vigintiquinque capitibus constat, quid ita auxerit, ex supradictis satis est manifestum. Omnes prospera satis vsi valetudine, si vnum excipias, qui è viuis excesserit, P. Alexandrum Trussium, de quo in ipso initio litterarũ Prouinciæ dictum est. Fecit piorum liberalitas ab ipsis etiam Venetijs transmissa, vt & nemini quicquam necessariorum defuerit, & nihil in hac Sodalium multitudine æris alieni contractum sit. Accessere ad sacrum instrumentum sacerdotales vestes duę, pretio centum & amplius aureorum. Fructus confessionum, cõcionum, scholarum, excursionum in pagos & oppida diœceseos magni illi quidem, sed quia ex omnimoda penè similitudine facile intelligi possunt, satietatis vitandæ causa prætermittuntur.

Qui

ANNVA PROVINCIÆ TOLETANÆ ANNO M.DC.VI.

SVnt in hac Prouincia Socij 507. Horum Sacerdotes sunt 194. Coadiutores 199. Scholastici 70. Nouitij 44. Obiere hoc anno Presbyteri 19. Scholastici 11. Coadiutores 19. sunt omnes 49. Habet domus Toletana Sacerdotes 21. Fratres 19. Collegium Matritanum Sacerdotes 40. Fratres totidem. Sunt hic Magistri Grammaticæ quatuor, vnus Rhetoricæ, vnus moralis doctrinæ. Complutense Sacerdotes 17. Scholasticos 22. Coadiutores 24. sunt hic Lectores duo Scholasticæ doctrinæ, positiuæ vnus. Iesus montanus Sacerdotem vnum, Fratres 4. Naualcarnerense Sacerdotes 3. Totidem Fratres, est hic vnus Magister Grammaticæ. Murcianum Sacerdotes 17. Scholasticos 10. Coadiutores 22. sunt hic Magistri Scholasticæ doctrinæ duo, positiuæ vnus, moralis Philosophiæ vnus, Grammaticæ 3. Placentinum Sacerdotes 9. Fratres 11. Hic sunt Magistri Grammaticæ 3. Oropesanum Sacerdotes 10. Scholasticos 13. Coadiutores 9. sunt hic Magistri Philosophiæ 3. moralis doctrinæ vnus, Grammaticæ 4. Talabricense Sacerdotes 8. Coadiutores 5. sunt hic duo Magistri Grammaticæ. Toletanum Sacerdotes 3. Fratres 4. sunt hic Magistri Grammaticæ 3. Occanience Sacerdotes 10. Fratres 8. sunt hic Magistri Grammaticæ 3. Moralis doctrinæ vnus. Huetense Sacerdotes 6. Scholasticos seminarij 8. Coadiut. 7. sunt hic Magistri Grammaticæ 3. vnus Seminarij.

Conquense sacerdotes 5. totidem fratres, in his duos Magistros pueritiæ. Belmontanum sacerdotes 7. Fratres 10. sunt hic 4. Magistri humanitatis. Caravacense sacerdotes 10. fratres 12. sunt hic Magistri duo pueritiæ, vnus Grammaticæ. Securitanum sacerdotes 6. Coadiutores totidem, in his est vnus Magister pueritiæ. Domus probationis Matritana sacerdotes 7. Nouitios 23. Coadiutores 7. Domus probationis Villaregij sacerdotes 10. Nouitios 21, Coadiutores 9. sunt hic Magistri duo pueritiæ. Residentia Almagri sacerdotes 5. Coadiutores 3. Omnes, vt dixi, inito sunt numero 507. Quibus omnibus addendi duo, videlicet Pater Prouincialis, & eius Comes.

DOMVS PROFESSA
Toletana.

NIhil hoc anno peculiare fuit in hac domo, præter solita ministeria Societatis. Sed hæc cum maiori frequentia & ædificatione, quàm antea. Cuius rei causa tota referenda ad Congregationem Virginis Annunciatæ, quæ, cum prius Ecclesiasticis tantum pateret, hoc anno datus est aditus ad illam Laicis hominibus. Vix autem dici potest, qua auiditate Laici rem arripuerint Ecclesiasticorum exemplo permoti. Creuit intra paucos menses magnus illorum numerus, statuerunt suæ esse curæ pauperes alere, qui essent in vinculis, partitis inter se vicibus, quæ omnia fiunt ad præscriptum vnius è nostris, qui præfectus est Congregationi. Hæc res

mirum

mirum in modum ciuitatem affecit, adeo vt suis eleemosynis rem istam adiuuerint pietatis plenam. Non solum autem illorum studium enituit in adiuuandis his qui sunt in vinculis, sed itum est magno cõcursu tam Ecclesiasticorum, quam Laicorum, ad nosodochia, ad sepeliendos defunctos, magno Toletanæ vrbis exemplo. Bis singulis mensibus aduentant ad ædes nostras, audituri spirituales concionea. Speramus fore, vt res ista magna indies incrementa accipiat.

COLLEGIVM MATRITANVM.

CReuit in hoc Collegio post reditum Curiæ Vallisoleto nostrorum numerus ad octoginta, in quibus omnibus visus est semper ardor virtutis, & perfectionis studium, cum maxima omnium ædificatione. Tres morte abrepti sunt, reliquis ferme valetudo semper commoda. Dici vix potest, qua frequentia Concionator noster ab omnibus audiatur, cum nemine Concionatorũ, qui nunc sunt in curia conferendus, cum omnium opinione omnes superet. Habet sæpe cõciones corã Rege in sacello regio, magna omnium non solum laude, sed spirituali profectu. Ea est apud omnes, ea apud Regem in primis authoritate, vt hoc iubente accersatur inter alios principes, & regni proceres ad res magnas, & regni negotia spiritualia, quibus etiam intererat illustrissimus Archiepiscopus Toletanus, in quo grauissimorum hominũ consessu, auide & admirabunde, quicquid diceret, ab omnibus accipiebatur, & probabatur. Congregatio hominum, quæ abhinc biennio

instituta, ita quoque eodem curiæ reditu aucta est, multis quotidie deuotione sanctissimæ Virginis cõfluentibus, vt omnibus non ædificationem modo afferat, sed inijciat admirationem. Adeũt hoc institutum colendæ Virginis homines singulis hebdomadibus viginti plus minusve: quo numero magnas congregatio hæc vires cepit, nostrisque curam inijcit non mediocrem, qui tandem locus capax futurus sit tantę hominum multitudini. Neque verò homines tantum è plebe institutum hoc amplectũtur, sed etiam viri principes non pauci, interq; istos regij quoque Auditores, nihil dedignati se turba hominum admisceri. Adolescentium numerus qui scholas nostras frequentant, creuit quoq; mirum in modum. Rediit classis Rhetoricorum, quæ abolita fuerat curiæ abitu. Adeuntur scholæ nostræ à liberis non solum honestissimorum ciuium, sed etiam Principum. In hoc Collegio habita est congregatio Prouincialis, alimenta suppeditante ciuitate. Inter reliqua memoratu digna, non vltimum locum obtinet ardens quoddam omnium studium in Beatum Patrem nostrum Ignatium, cuius canonizationem omnes ardentissime exoptant. Nec defuerunt viri multi, atque honestissimæ Matronæ, qui se promptos esse dicerent ad testificandam beatissimi Patris sanctitatem, & merita, tum etiam peculiares fauores, quos in se quisque expertus esset. Abiere è viuis in hoc collegio hoc anno tres, videlicet Frater Ferdinandus Molina, frater Ioannes Armengal, Pater Hieronymus Acosta, viri omnes spectatæ virtutis. Primo vix dici potest, quo studio arripuerit cultum templo nostro exhibere in singulis celebritatibus

britatibus anni, comparata ad hanc rem omnigena florum & herbarum varietate, in fatigabili quodam labore, adimens sibi somnos, & quietem, vt huic rei operam daret. Vixit alter cum magna omnium ædificatione perplures annos in societate. Tertius fuit Concionator eximius, quod munus exercuit cum magno auditorum spirituali prouentu, in præcipuis Castellanæ prouinciæ oppidis. Fuit hic in omni genere virtutum excellens, sed præcipue in extrema senectute, qua obiit, ita se gesit, vt nihil vellet sibi propter senectutem remitti.

COLLEGIVM COMPLVTENSE.

VExata est hoc anno valetudo nostrorum variis morbis, è quibus sex è viuis adempti, videlicet presbyteri duo, scholastici duo, Coadiutores duo. Horum loco cooptati sunt ad numerum nostrorum scholastici septem, vnus Theologus, duo Canonistæ, cæteri Philosophi. Scholastici nostri non minus virtute animum, quam litteris excoluerunt, idque inprimis meditationibus exercitorum: hæc data externis quoque sunt cum magno fructu. Opinio societatis in litteris crescit in hac Academia indies maior ac maior.

COLLEGIVM MVRcianum.

STudia nostrorum Theologica & Physica, ministeria circa externos, puerorum institutio, Sodalitium vtrumque, exhortationes in plateis, concio

conciones in templis eodem cursu obita, quo annis superioribus, nec vulgari cum fructu. Fuit in hac ciuitate hoc anno magna seges laborum, & nunquam fortasse maior, propter sequissimum morbum, qui peruagatus contagio isto nouem è nostris paucis mensibus abripuit, presbyteros quatuor, fratres quinque. Nostri omnes strenuam operam posuerunt in adiuuandis ciuibus omni rerum genere, & quidem ex confessionibus collectus magnus fructus.

COLLEGIVM PLACENTINVM.

IN hoc Collegio duo morte desiderati: cæteris salus constantior fuit, quam superioribus annis. Obseruantia nostrorum, fructus externorum, tam in confessionibus, quam in concionibus, eadem cum aliis annis, vtraque congregatio adolescentium & virorum obita cum ædificatione. Excursum est à nostris in oppidum vicinum, iubente sic Illustrissimo Episcopo, cum spirituali oppidanorum prouentu. Magistri classium inferiorum tres sunt, & vnus moralis doctrinæ. Restitutus est quibusdam hominibus, consilio & prouidentia nostrorum, honos à duobus extremo supplicio affectis, qua diligentia factum, ne mala erumperẽt quæ timebantur.

COLLEGIVM TALABRICENSE.

SAlus nostrorum hoc anno variè tentata magnis multisque morbis, adeo vt pauci superessent, qui ægros curarent, sed duo tantum extremum diem obiere, nimirũ Pater Ioannes Franciscꝰ de La Penna,

&

& Pater Ioannes Hurtado, vterque iuuenis, & magnæ vterque spei. Istorum obitus magnum toti Prouinciæ desiderium reliquit, tum propter ingenium satis iam studiorum cursu probatum, tum propter singularem morum humanitatem, qua præditi. Sed in tanta salutis inopia diuina semper virtus fulsit. Itum est ad ministeria, vt alijs annis. Et duo tantum sacerdotes, qui supererant à morbo, ita rem gesserunt, vt aliorum opera desiderata non sit. Eleemosynæ hoc anno accesserunt fere ad scutos ducentos, quibus aucta est res sacra calice vno peregregio, vrceolis argenteis & patena, ad ministerium altaris, tribus casulis.

COLLEGIVM TOLETANVM.

ADditi sunt hoc anno redditibus huius Collegij scuti aurei 125. ab domina Magdalena de Ripalda. Reliquit illos testamẽto suo pro singulari deuotione, qua in nostros fuit. Dñs etiã Carolus Venerus Toletanæ Ecclesiæ Canonicus nobis testamento bibliothecã suam reliquit: & quamuis ab ægritudine, in qua tunc erat, conualuerit, tamen statim voluit libros omnes ad nos transmitti.

COLLEGIVM BELMONTANVM.

COllocatę hoc anno à nostris sunt multorũ Sanctorũ reliquiæ, & in his corpus integrum sancti Martyris Celestini. Factũ id magna populi celebritate. Est in hoc oppido Collegialis Ecclesia. Prior (sic vocitãt primatem huius Ecclesiæ antistitem) & reliqui Canonici

nonici petierunt à Patre Rectore celebritatem hanc fieri in sua Collegiali. Concessum est illis, portataq; ad eum locũ reliquiæ secretò sunt. Vbi dies collocationis aduenit (præcesserunt quippe die superiore proximo Vesperæ solemnes) excitata est ara in medio maioris sacelli cum apparatu eximio, vbi locatæ reliquiæ sanctorum. Celebrata Missa cum magna populi frequentia; habita concio à quodam è nostris: inita vespertino tempore solemnis admodum supplicatio, qua ad Collegium nostrum ducerentur collocãdæ reliquiæ. Comitabãtur hanc supplicationem viri quique honestissimi, Franciscani etiam, & nostri omnes. Quacunque per vias publicas ibatur, excitata erant altaria, ad excipiendas reliquias, in his suauissimi hymni canebantur. Auditi sunt sæpius sclopetorum bombi, & militaria tonitrua, quibus applausum est euntibus per vias publicas reliquiis. Hoc rerum apparatu supplicatio ad Ecclesiam nostram processit.

COLLEGIVM CARAVACENSE.

VIx dici potest, quantum laboris nostri posuerint in visendis ægris, recreandis, reficiendis, adeo vt oppidani mirarentur. In qua re propitia admodum nobis diuina bonitas fuit. Nam cum lues infrænatè in omnes vagaretur, neque vlla esset domus intacta ab hoc malo, nostros nunquam læsit, itaque in summa populi calamitate soli nos integri fuimus. Quod beneficium deberi Beati Patri Ignatio existimamus. Nam Rector Collegij vt luem irrepentem in populares agnouit, statim cereum in ho-

norem

norem Patris nostri suspendi iussit, supplicans omnium nomine, vt nobis propria salus constaret, quo melius tueri alienam possemus. Exitus indicauit non fuisse irratas preces. Neque vero solum fauorabilis Ignatij aura in nostros fuit, sed etiam in externos. Ad eius effigiem multa vota suspenduntur, fiuntque novenaria. Duæ puellæ ex honestissimis familiis, quæ admodum ægræ, restitutę sanitati sunt, ad contactum nominis eius suscripti. Gratiæ ab illis actæ sunt, misso ab vna aureo agno, ab altera argenteo cymbalo, quę appensa puero Iesu iuxta effigiem Ignatij. Æger quidam in Nosodochia desperata erat salute, non solum corporis, sed animæ, nam adempto mentis sensu, & vocis vsu, fateri peccata sua nequibat iam moribundus. Accersitus est quidam è nostris, hæsit ad illud spectaculum, redijt statim ad effigiem Beati Ignatii, nuncupans pro misero ægroto. Vix finierat preces, cum accersitur à nuntiãtibus ægrum rediisse ad sanitatem mentis, & accepisse vsum linguæ, sic factum, vt æger decederet receptis sacramentis. Multis feminis partu laborantibus adfuit præsentissimum remedium ex inuocatione Beati Ignatij. Vna earum post longam eluctationem, & grauissimos partus dolores per horas viginti quatuor, cum neq; eniti ad partum posset, neque vitæ salus affulgeret, appenso ad collum, Ignatii nomine, statim peperit infantem incolumem ipsa incolumis. Idem ferme duabus aliis feminis accidit. Accessere nobis eleemosynæ ab aliquibus, facta enim tapetia ad cultum templi, quæ constitêre scutis aureis ducentis: & crux argentea ad nostrorum funera, cuius precium centũ ferme aurei scuti,

DOMVS PROBATIONIS Villaregij.

NOuitiorum ardor idem qui ſemper. Miniſteriorum obitio magno cum fructu. Recepti ſunt in ſocietatem decem, quinque morte deſiderati, de quibus dicenda peculiaria quædam exempla virtutum. Primus omnium abreptus eſt frater Bartholomeus Perez Coadiutor, vir magni laboris, ſimplicitatis eximiæ, excelluit in caſtitate, rogatus enim, cum admiſſus eſt in Societatem, quo ſtudio ſæculum relinqueret, reſpondit, quærendæ caſtitatis ardore. Media, quibus aſſecutus eſt excellentem virtutem, hæc ferme fuere: ingens ſinceritas cum ſuperioribus, qua nihil illis vnquam occultum eſſe voluit: paupertas, & ſui vilipendium eximium: pœnitentiæ magnæ verberum, atque etiam victus, nam ferme in agro, vbi res noſtras curabat, ſcutella tantum iuſculi vitam aluit: aſsiduitas in rebus ſpiritualibus; nullus enim agri labor ademit illi tempus ſpiritualium exercitiorum.

Secundus Pater Ioannes Ponce, domus iſtius Rector, in quo præter alias virtutes enituit ardor charitatis in ſubditos, præſertim ægros, quorum res ita curabat, vt ipſe ſuis manibus cibos illis pararet. Coluit eximie paupertatem. Fuit amantiſsimus caſtitatis & obſeruantiſsimus rerum omnium, quibus virtus illa comparatur. Hinc natus incredibilis ardor colendæ Virginis Mariæ, in qua re ſummè excelluit. Dilexit in primis humanitatem, nam cum eſſet filius Ducis de Arcos, nunquam auditus eſt nomi-

naſſe

nasse patrem suum, neque affines alios: adeo ista contemnebat. Fuit feruentissimus in oratione. Cum iacuit in lecto ex ægritudine, qua obiit, mira edidit exempla virtutum: noluit medelam vllam precii magni sibi exhiberi: doluit vehemẽter ea peste abripi (tabardillũ nominant) quam vt plurimum phrenesis sequitur, & addebat rationem, ne videlicet priuaretur vel tantillum temporis cognitione Dei, quoad viueret, Deumque enixe precatus est, ne fieret phreneticus, exauditæ sunt preces quodammodo, nam & phrenesis exigua fuit, & quoad durauit, locum dedit exercendis actibus pietatis, charitatis, sanctimoniæ. Prædixit in ipsa ægritudine diem, quo esset obiturus. Post recepta sacramenta omnia, efflauit animam versans ore verba illa: elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Vix dici potest, quas dederit notas iucunditatis, & risus adhuc spirans, veluti præsenti iam gloria. Spolium corporis efflata anima venustum admodum & tractabile permansit. Interfuit illius morti Abbas quidam Benedictinus, dixitque nulla se vnquam vidisse maiora exempla virtutum, id quod postea in concione quadam serio & sedulo repetiit.

Tertius frater Ioannes Diaz Coadiutor temporalis. Quartus Marcus Antonius Cauallon Nouitius. Fulsere in vtroque magna exempla virtutum.

Quintus frater Franciscus Morenus Coadiutor, in quo fulserunt magna virtutum exempla, eius vita integra asseruatur à nostris multis scripta paginis. Operam præcipuam posuit in erudiendis pue-

ris, quos docebat, non solum vt arriperent prima elementa litterarum, sed impensius virtutem. Dici vix potest, quo ardore incubuerit in hanc rem, nam eo Zelo puerorum salutem tractabat, vt ori & pectori infantulorum imprimeret veram effigiem virtutis, Christum, sanctitatem. Felixque profecto fuit in hac re: Nam nescias quibus illecebris pueros ad omne genus sanctitatis adducebat. Fuit admirabili morum compositione, adeo, vt omnes ad sui amorem facile alliceret: compositionem morũ adiuuabat corporis compositio, oris habitus, grauitas vultus, sed sine molestia. Quicunque illum videret, diceret se meram sancti viri imaginem videre. Mortificationi adeo institit, vt corpus in extrema etiam senectute grauiter affligeret: animum vero ita sedulo & serio, vt nulla in re sibi parceret, sibi gustus omnes adimens, amputansque occasiones omnes, in quibus vel suspectu quodam esset viuendi laxitas. Orationi & rebus spiritualibus intentissimus fuit, examinis vtriusque curam, si quisque alius, apprime gessit: inde est, vt libenter viueret in hac domo probationis, etamsi in alijs Collegijs ministerium suum obierit, quod eam diceret aptam vacandæ orationi, excolendo animo, exercitiis spiritualibus perficiendis. Obedientiam mire coluit etiam in rebus arduis & difficillimis. Obedientiæ adiuncta mira simplicitas & claritas cum superioribus, qua nunquam illis quicquam celatum esse voluit, aperiens intima animi sensa. Nihil viro hoc humilius diceres: nouitijs ipsis iam ipse grandæuus exemplo virtutis huius præibat. Fuit pauperrimus. Excelluit in de-

uotione

uotione Virginis, & morum castimonia. Nihil vnquam nisi Deum ore versabat, hinc est, vt quicunque ab illius consortio, & familiari colloquio discederet, nouos in pectore stimulos deuotionis referret. Prætereo multa non solum ornamẽta virtutum, sed exempla, quibus firmari ista poterant.

Obiit vt vixerat, receptis insuper sacramentis, eluxeruntque in illius obitu mira exempla virtutum.

ANNVÆ LITTERÆ ARAGONIÆ PROVINCIÆ ANNI M.DC.VI.



Versati in hac Prouincia socij supra trecentos amplius sexaginta, quatuordecim domiciliis distributi. Valentiæ in Professorum domo 42. Sacerdotes 20. Coadiutores 21. Nouitius scholaris vnus. In Collegio 48. ex quibus sacerdotes decem, in his quatuor interpretes Theologię, vnus Philosophię, Scholares 23. Theologiæ 16. Philosophiæ 7. reliq Coadiutores; Inter quos Tyrones duo. Gandię 26. sacerdotes 7. ex quib⁹ vn⁹ Philosophiæ Professor, Scholares 11. quorum duo Grāmaticę Præceptores, 9. Pholosophici. Coadiutores reliqui. Cæsarauguſtæ 33. Sacerdotes 16. horum vnus legendis conscientiæ casibus intentus. Scholares casuistæ duo, cæteri Coadiutores. Bilbili 17. Sacerdotes decem, quorum duo latinæ linguæ Doctores, totidem scholares Grammaticæ Magistri, cæteri Coadiutores. Turiasone 13. Sacerdotes 7. ex his duo, itemque Scholaris vnus Grammaticam docent, cæteri coadiutores. Oscæ 5. Sacerdotes tres, Coadiutores duo. Barcinone 31. sacerdotes 14. quorum duo Theologiæ Professores; Scholares Theologi 8. Coadiutores 10. Tarracone 48. Sacerdotes 10. in quibus Tertiani duo, quatuor ex ijsdem Tyrones, reliqui, præter quinque, Nouitij omnes, Scholares scilicet quatuor & viginti, Coadiutores 9. Gerundæ 32. Sacerdotes 8. quorum duo Magi-

stri,

stri, alter Philosophiæ, alter Rhetoricæ, Scholares humanistæ 13. Latinitatis Doctores duo, veterani, si vnum excipias, Coadiutores reliqui. Vrgelli 12. Sacerdotes 6. quorum vnus Nouitiatus biennium nondũ exegit; Scholares duo iuuentutẽ Grãmatica instituunt, Coadiutores alij. Maioricæ 33. Sacerdotes 13. quorum quinque Professores, vnus casuum, alius Philosophiæ, tres Grammaticæ, Scholares 9. Vnus horum Grammaticæ Præceptor, reliqui in Philosophia discipuli, Coadiutores 11. in quibus vnus Tyrocinij spatia nondum emensus. Ilerdæ 11. & ex quinque sacerdotibus vnus muneri docendi latinitatem præficitur, eidemque Scholares duo. Coadiutores reliqui, vno minus. Perpiniani, sacerdotes quinque, totidemque Coadiutores.

DOMVS PROFESSA VALentina.

ADolescens in hæresi enutritus per sex & viginti annos, quo tempore Italia, Gallia, Hispaniaque peragrata, huc tandem appulit, mercatum adit, cum forte sacerdos noster audientibus multis concionaretur, audit & ipse; sed primũ, quod procul à Patre aberat, audire sibi visus est mugientem bouem non sine risu, accedit propius maioris risus captandi gratia, sed statim, Deo veritatis lumen ostendente, cœpit eum suæ vitæ atque perfidiæ pœnitere; hinc veri agnoscendi cupidior, paucis elapsis diebus eundem repetit locum, Patrem eundem auditurus, cuius verbis permotus nihil iam cunctandum ratus, ad nos rectà contendit, vt ille, qui hortatu suo velle de-

derat, daret etiam perficere. Cum primum domus nostræ limine pedem infert, vi quadam, mali nimirum dæmonis arte, sensit se ab ingressu retrahi, simulque timore quodam incusso deterreri: igitur sistit, nec vltra progredi ausus, secum tamen statuit, quoties Pater ad populum concionem haberet, affuturũ, quod & præstitit per semestre spatiũ, nec irritus labor: nam interdũ occurrebat præclarum sibi fore, si peccata confiteretur, sed vetabat tot tantorumq; flagitiorũ memoria: illorum præsertim, quæ in Catholicorum sacrarumque imaginum odium impie perpetrarat. Mirum dictu! Dum quodam die æquis auribus concionantis verba excipit, tantus menti diuini luminis fulgor affulsit, tenebras vt omnes longe lateq; dispulerit: quin mox Patrem ipsum vltro compellat, & quidem orsus à prima ætate, tanta doloris pietatisque significatione, facile vt intelligeres, diuinam misero adfuisse manum. Itaq; cum Ecclesia reconciliatus, nihil sibi ducit antiquius, quã sacramenta frequentare. Narrauit aliquãdo, quoties, inquit, orationem Dominicã recito, illa tacitus verba prætereo: Adueniat regnum tuum. Indignũ me siquidem reputo, memor peccatorum, qui cœlo potiar.

Cuidam Valentia Segobrigam proficiscenti homo repente obuiam processit, cui etiam mox: Quæ est tuo infixa animo cura? Quæ sollicitudo mœrentem exedit? si mihi fueris dicto audiens, hac te eximam molestia, iam tu mihi plane notus: Ad hæc verba cœpit ille talia loquentem attentius intueri: sed qua ratione nouisse poterat, quem nullo vnquã

tempo-

tempore viderat? Rursus ignotus: scito me virum esse potentissimũ, & Segobrigæ hospitiũ disignans, ad illud, inquit, diuerte, cito adero, & fusius ibi colloquemur. His dictis institutum iter viator repetit. Segobrigam vt venit, ad noctem præstolatur, vbi conductum fuit, cumque alter esset in mora, hic se cubitum recipit, sed tenebrarum Princeps densas inter noctis tenebras non diu desideratus, quippe qui attactu ipso, ac voce cubantem adigebat, vt laqueo animum eriperet ex vitæ mortalis ærumnis. Itaque pallio, quod iuxta se habebat manum admouens, sparteum funiculum manu inscius apprehendit, quem commodissime dæmon aptatum obijciebat. Hic repentino terrore correptus signo se Crucis munit, & id quod erat suspicatus, probe nouit, non hominem, sed acerrimum hominum hostem in itinere offendisse. Hunc ergo toties (nam quater illi restim submiserat ad suspendium) ab aduersario petitum noster sacerdos solitis suis concionibus ad saniorem cogitationem non solum erexit, sed etiam post confessionem omni molestia liberum dimisit. Infames mulieres alius infami domo deducere, quoties pro concione licuit, designatis anni diebus non destitit: qui omnes in sua statione egregie, laudabiliterque se gessere, vt non pauca pro testimonio sunt, quæ quia breuitati studeo, libens prætermittto. Hic annus nobis ademit Patrem Michaëlem Vendrell, & Patrem Michaëlem à Fontibus. Ille Coadiutor formatus 24. ipsos annos in Societate egerat; vir ad homines iuuandos apprime factus.

Alter hic Valentię altus educatusque fuit, decennio ab ingressu Religionis ad Professionem admissus, qua 37. annis se vel maxime dignum probauit; missus namq; ad Indos, diu ibi moratus, annos scilicet viginti, vbi laborum & incommodorum abunde percepit, non sine magnæ patientiæ documento. Tenui victu vestituque semper contentus, orationi ad Deum cultor egregius, cui antequam alij euigilarent, iam ipse per duas tresve horas vacarat, quam nihilominus in aliam horam cum domesticis continuabat. Nullus abibat dies, quin sacrum faceret, audiretque, studium in hoc æmulatus eximij Doctoris Aquinatis, & vt erat ad parendum facilis, facile impetrabat ab eo superior, vt si ob angustias temporis opus esset, intra vnius aut alterius horæ spatium, se ad concionandum accingeret, quo tempore illi familiare erat, coram Domino è cruce pendenti se supplicem sistere, à quo tanquam à Magistro docebatur, quæ alios postea docturus erat; quo pacto fiebat, vt multorum dierum labore parata concio videretur. Nihil de ardore atque æquitate animi concionando remittebat, etiamsi à paucis audiretur. Pedibus iter faciebat, cum vel circumiecta oppida ad fructificandum in vinea Domini obibat, vel ad conuentum totius Prouinciæ Patrum proficiscebatur, quod & saxagenarius fecit itinere leucarum 50. In India cum aliquando laborum incommodis consternatus iaceret, fulgens Maria Virgo sese palam ostendit, cui postquam bono esse animo iussit, fidem fecit, eas ipsas pœnas vltricibus Purgatorij flammis non daturum, quin rectà post beatorum sedes conscensurum. Quo viso ac dicto mirificè re-

creat-

creatus, ærumnas quascunq; in posterum æquo animo tolerare non dubitauit; qui dum vixit beneficij memor, secunda cuiusque hebdomadæ feria humi sedens prandebat, cænabatue, lances detergebat. Accipiendum attentis auribus quod sequitur In vrbe quadam dum aliquando iter faciens concionaretur, perconctatus est quidam eximiæ sanctitatis Religiosus, quis & cuias Ecclesiastes ille esset, cui satisfactum cum esset, subiunxit, se diuinitus accepisse, ideoque certum sibi, hunc ipsum Societatis Iesu Patrem, cœlesti Patriæ ciuem esse designatum. Consentit apertius, idemque locupletius testimonium viri sanctitatis atque doctrinæ opinione clari, ob idque digni sane, vt Franciscani, qui Nudipedes nominantur, hoc tanto alumno glorientur: hic, inquam, cum Parentis nostri Ignatij sanctimoniam apud Antistites à Pontifice ad id muneris designatos testaretur: paucis, inquit, retro annis ex hac vita migrauit è Societate quidam, cuius anima cœli regna conscendens obuios habuit Deiparam, Apostolorum Principem, & D. Iohannem, S. denique P. Ignatium; gestabat veneranda Dei Mater suis ipsa manibus coronam, qua mox beatam illam animam honoris ergo donauit. Hanc vero animam præfati fuisse Patris, aperuit postea Monachus ille Archiepiscopo seorsim sciscitanti, ægre etiam ferenti, quod intima huiusce Patris familiaritate vsus non esset, dum in viuis ille agebat. Hæc pauca de multis, quæ de hoc religiosissimo Patre dici poterant. Multis est in his oris Parentis nostri sanctitas testata miraculis, in quæ diu multumque optabamus, vt summi Pontificis auctoritate inquireretur, quod

tandem hoc anno Deo bene iuuante sumus consecti. Placuit huiusce Diœceseos Archiepiscopo rarę doctrinæ, prudẽtiæ atq; pietatis seni, eiusq; Coepiscopo Monacho Franciscano, qb⁹ huiusmodi fuit negotiũ demãdatum; vt patentes ex vrbe litteræ, (Rotulum appellant,) in æde sacra augustissimi sui Collegij sibi resignandæ traderentur: quanto autem cũ apparatu paucis dabo. Ad diem dictam multitudo ciuium adfuit cuiusq; ordinis, recentis auida spectaculi, Ciuitatis Proceres, Dynastæque, senatus etiam capita; omnium tandem religionum viri grauissimi, hi omnes ad pulsum campani æris accit⁹, pridie huius diei sub noctem, & hoc ipso die sub lucem, meridie tempus deniq; resignandarum litterarum nihil nisi sacri æris fragor duobus è Templis, Maximo, atq; altero Archiepiscopalis Collegij audiebatur. Erat spectatu digna ipsa Templi facies interior, quę variis ornata picturis omnium oculos in se animosq; conuerterat; tum vel maxime ingens ara præter cætera visenda fuit ornatu pulcherrimo, quæ quia tot tantaq; sanctorum signa ad eorum reliquias asseruandas eleganter efformata non caperet, altera vtrimq; necessario fuit excitanda: Effigies duæ ad viuum effictæ P.N. Ignatij, cui tota celebritas dicata, sacrariũ mediũ habebãt. Non longe hinc tabulatum aberat, Antistitum sedes, pendebat in eo ad vtriusq; subsellij ornatum peristroma opere Phrygio magnifice pictũ, siue artificis manũ, siue Iesũ nomen societatis insigne consideres, opus sane tanti Præsulis auctoritate dignũ, & in huius diei vsum dũtaxat comparatũ. Quæ omnia vt à ciuibus animaduersa fuere, tanta confluxit vndique turba, vt nulli iam in templum pateret

aditus

aditus, vel Patri, cui totius rei promouendæ prouincia incũbebat; is enim in communibus Templi foribus, cum non paucis è nostri ordinis primoribus ingredi conabatur, præferens in argenteo quodam ferculo mire cælato Pontificium diploma, cum aureæ vestis inuolucro. Sed alia tentanda via. Vt autem in omnium conspectum cum Diplomate ventum est, cæperunt omnia confestim symphoniæ cantu, carminibus etiam P. N. Ignatij laudem percrepare, mox munerisne, an mandati ex vrbe transmissi oblatio subsecuta; at vero accepta debita cum obseruantia; nam vterque Antistes venerandum Diploma & osculatur, & capiti superponit, traditque legendum: interim pius Archiepiscopus toties ad Ignatij nomen caput in terram inclinat, quoties legendo iteratur. Decursis per duas horas huiusmodi litteris, designatis officiorum præfectis, dispositisque necessariis ad testes citandos, tandem repetito, vt antea, cantu, symphoniaque res feliciter admodum confecta est.

COLLEGIVM VALENTINVM ET Gandense.

E Sociis vnus vita functus. Is fuit Ioannes Dias ex oppido S. Stephani à portu, iam quadragenarius vndeviceſimo ab ingressu anno, & vno ferè à nuncupatione votorum solemniorum: is cum incideret aliquando pestis in vrbem Tarraconensem, nostrosque inuasisset, satis gnarus Martyrij genus esse humanæ salutis causa obijcere se pestilentiæ, affectos omni ope iuuit. In huius locum

ſuffecti quatuor; in ijs adoleſcens bene litteris excul tus, & præclaris ad munia Societatis dotibus inſtru ctus. Litterarũ ſtudia in hoc Collegio pręcipuo totiu prouincię ſeminario maxime vigẽt: nam præter qua tuor Theologiæ Doctores, quintus Philoſophiæ, de curſis feliciter ſpatiis, ad metas peruenit, ad quas alte iam cogitat è carceribus exiens. Theologicæ, Philo ſophicæque concertationes, magna & nobil frequentia celebratæ, maiore quam vnquam quod mirandum magis, quo plura impediment fuere ad huiuſmodi frequentiam; nam publicæ A cademiæ Doctores, quę in hac vrbe celeberrima eſt illas non ſolum cohoneſtare ſua præſentia recuſa runt, ſed alios etiam ab hoc officij genere reuocare nitebantur. Vicit tamen irritos eorum conatus mutuus in noſtrum ordinem ciuium, religioſorum- que amor. Neque vero inter litterarias exercita- tiones officia in proximos neglecta. Catechiſmus explicatus, tum in ipſa vrbe, tum in oppido ſubur bano, in quo multos per annos verno ieiunio po- meridianis horis concio ab vno è noſtris haberi ſo- lita; tum vel maxime hoc anno, quanto cum animo- rum commodo, hinc conięcta. Res eſt ſpectatu digna, videre hominum cætum, vnoquoque die feſto ſe verberantium, inter quos ſunt nonnulli fer- ventioris ſpiritus, & probatæ virtutis, qui tanquam Anteſignani rem ipſam, quâ hortando, quâ operan- do promouent: Quantus autem ex piorum exem- plorum narratione perceptus ſit fructus, multorum ad meliorem vitam conuerſiones confeſsionesque de tota vita declararunt. Ex horum numero Ado- leſcens induſium ſibi exuere feſtinabat, in ſtipem

mendici

mendici, quòd aliud nihil in promptu haberet, dedisſetque, ni ſui vetuiſſent. Operæ pretium erit apponere actus mali Dæmonis, quibus homines à laudabili hoc opere conatur auertere. Ægre ferebat ille commodum, quod vnus ex exemplorum narratione, verberibusque pro Chriſto ſuſceptis referebat; Quocirca vxorem mouit, quæ marito per ſummam impudentiam, illuderet, eidem crebro ludibrij cauſſa Beati ac Ieſuitæ nomen obijciens, adderetque, ſe libentius audire, eum ludis, aut alio vitiorum genere implicari; quam huiuſmodi corporis afflictationibus occupari, & harum cauſſa in noſtrum Collegium ſtatis diebus itare. His & ſimilibus facile annuit miſer, ſuique diſsimilis, cœpit bona ſua (& erant ipſi non modica) ludendo abſumere, ita vt breui illa omnia peſſum irent. Vnus duntaxat domi reliquus erat annulus, & hunc cogitabat ludo, ſeu iacturæ potius exponere. Hæc inter rebus omnib⁹ deſperatis, ſubijt eum cogitatio ſuæ miſeriæ & indigentiæ, cuius vt finem inueniret, laqueo ſibi vitam finire ſtatuit: loca quærebat extra vrbem ad ſuſpendium opportuna, cum incidit in virum ex cætu ſe verberãtium; is hominem intuitus, agnoſcit vultu indicante graui aliqua moleſtia affici: rogat cauſſam; promittit, quoquo modo poſsit abſterſurum, ſi detegat; abnuit, tantumque hæc ab eo verba extorſit: ne mihi gradum remorere, cum ſit in præſentia feſtinandum: quæ ſæpius interrogatus, repetebat; orat ſaltem vt ad ſacram ædem ambo diuertant, auguſtiſsimum Miſsæ ſacrificium audituri, hic tandem annuit, importunum modo deprecatorem à ſe repellat. Profuit hanc capeſsiſſe viam; nam cum

à ſacro

à sacro rursus cupidius instat, alterius vicit silen
tium, qui rem totam à capite arcessens, salutaribu
amici monitis non solum omni molestia liberatu
sed etiam ad intermissa illa virtutis opera restitui
tur. Nec defuit suum mutationi præmium, nam
breui in possessionem rei familiaris, ex qua lusio
nibus deciderat, restitutus, cum Deo etiam, quod
lõge excellentius est, in gratiam redijt. Et vt aliud ex
alio, addã & illud, vt diuina animaduersio in eos, qu
ab hoc virorum cætu se segregant, animaduertatur.
Conuitia in quendam vicini iactabant, non aliam ob
causam, quam quod se sponte cædentibus immisce
ret. Non deerant alij æquiores iudices, qui eundem
in proposito confirmabant, sed vt est hominum ge
nus in malum procliue, deterius consilium secutu
ab incepto destitit. Piscatoriam is exercebat artem
de more piscatũ cum sociis se contulit, cymba, qu
vehebantur in altum abrepta, vi subitæ tempestati
mediis jn tenebris fluctibusque iactatur. Ad hæc im
brium, niuium, ventorum immanitas tanta, vt iam
consilij inopes, amisso præsertim gubernaculo, ac ri
gentibus totius corporis artubus, spes salutis ablata
videretur, & erat haud dubie, ni vna oẽs ad Cœlitum
opem, tanquam ad sacram anchoram confugissent:
is in primis boni operis desertor, qui hac de causa of
fensum sibi numen veritus, Apostolum, cuius antea
Templum ac Collegium se verberaturus inuisebat,
enixe orat, vt se suosque, qui in eodem erãt lembo,
seruatos velit, quod si fecerit, sibi in animo esse, illa
eadẽ loca suo dicata nomini verberationis die grato
animo in posterũ reuisere. Non in cassum fusæ pre
ces: nam in obiecto quodam oppido ignea lux emi
cans,

cans, suo adspectu deficientes animos recreauit; mox littus eos incolumes excepit, qua freti vi, incertum: hoc certe constat, ventum per id temporis è terra furere, ideoque nulla ratione ipsis secundum. Inter eos qui ad nos flagellationis causa conueniũt, vnus erat adolescens, qui perditorum adolescentium consuetudine suos ipse perdidit mores, corruptos ebibens: monetur ab amico apertè & acriter ne erret, neue seductus verberationem intermittat: aduertat quam præclara, quamque feliciter secum ageretur, eo vel maxime tempore, quo ad cohibendos animi motus, flagra sponte subibat. Respondet se non inficias ire, tranquilliorem multo, pacatioremque duxisse vitam, cum piorum studium æmulatus, pijs exercitationibus verberum, & colloquiorum intererat, nec me latet, inquit, quantum mutatus ab illo sim. Hæc fatebatur, vel inuitus conscientiæ stimulis agitatus, nulla tamen in eo morum mutatio. Rursus boni ille suasor ad minas conuersus, monet iratum in se Deum saltem pertimescat, ni velit exitialem exitum sortiri; futura visus est præsagisse, nam triduo post in publico totius vrbis foro pugione confossus corruit mortuus, nullo interim edito doloris signo. Smile quiddã alterius adolescẽtis in medium afferre non est opus, qui ob pessimam cum muliercula consuetudinem, sub eius ipsius domus tecto interfectus, non impune tulit, se à volũtaria statis diebus in Templo nostro verberatione subduxisse, ad quam vt reuocaretur, nullius suasu adduci vnquam potuit.

)?(

COL-

COLLEGIVM CÆSARAVGVSTANVM & Bilbilitanum.

A Doleſcẽs Geneuę hęretico patre natus, hæreſi abiurandę cupidus, relicta patria in Hiſpaniam, ac demum in hoc Collegium venit, vbi noſtrum con- ſuluit Sacerdotem, qui cum illi pręclara omnia con- ſuluiſſet, curauit tandem vt ſanctum Baptiſma, quo nondum erat luſtratus, ſuſciperet: ex eo tempore inferno hoſti vires imminutæ: nam cum antea iu- uenis eum coram cerneret, interdum vt ſenem ve- rendum, interdum vt puerum egregia forma, eius iam liberari cœpit adſpectu, ac verbis, quibus acriter ipſi ſuccenſebat, monebatque terrendo, ne fidem Catholicam amplecteretur, alioqui futurum, vt damnatus errati pœnas daret; ſi vellet, ſpondebat ſe facturum, vt breui horarum ſpatio Geneuam per- ferretur, ſed conſtans iuuenis peruicaciam Dæmo- nis ſuperauit Deo nixus, neque pia Regis munifi- centia nouo Catholico deſiderata, aſsignatis rediti- bus ad honeſtam huius ſuſtentationm.

EX COLLEGIO BILBILITANO hæc ſunt.

SAcerdos, qui licet alijs exẽplo pręibat, de frenãda tamen libidine non admodũ curabat; ægrotabat is leuiter corpore, grauius animo, cui decumbenti mulier noſtrorum opera ad honeſtatem inſtructa adfuit, ſeu miniſtrandi, ſeu inuiſendi cauſſa. Occaſio- ne nactus mulieris, quod ſæpe alias inſinuarat, non erubuit manifeſto pertentare, illa tamen abnuendo pclarũ dedit ſuæ virtutis ſpecimẽ; at quid non cogit

cæca

cæca libido? Vult ille lecto desilire in abnuentis amplexum ruiturus, hæc tamen conando repentinè moritur.

Ad ceteras vtilitates, quæ à nostrorum opera promanarunt, illa non leuis momenti. Capuccini ædibus incommodis ad habitandum & parum salubribus vsi adhuc erant; at suasu vnius è nostris iam eis vir nobilis cœnobium à fundamentis commodiori in loco erigit, quo mirum quantis beneuolentię vinculis religiosissimorum Patrum animi nobis deuincti sint, imo quanta apud Ciues vniuersos nostri ordinis existimatio fuerit excitata, hinc facilè coniectu. Quidam Ecclesiæ sacerdotio insignis factum laudauit, ea nostrarum laudum testificatione, vt diceret, si pro facultatibus posset, libenter nostri Collegij parietes aureos erecturum. Mulier difficultate partus triduo laborabat, iamque videbatur extremum antea spiritum editura, quam fœtum. B. P. Ignatij effigem osculatur, & dicto citius puerpera incolumis incolumem edit puerum tantæ molis, vt medicis admirabundis pro miraculo esset, tantum potuisse emitti. Quinque alij iam prope depositi, recuperatam valetudinem B. P. Ignatio acceptam referũt, trina orationis Dominicæ & Angelicæ recitatione. Eiusdem procul dubio meritis & precibus femina nõ obscuris orta natalibus, è febri emersit, quæ bis quotidie incrementa suscipiens, ægram diu noctuque insomnem male vexabat; nulla cibi retentio, totius corporis debilitas summa; quid faceret tot malis afflicta, nisi ad diuinam opem confugeret, quam à B. P. Ignatio fidenter implorat, hortante vno è nostris, qui hac de causa triduo in honorem

Sanctiſsimæ Trinitatis rem diuinam fecit, factum pro ſua bonitate Deus probare viſus eſt; nam quo primum die Pater ſacris fuit operatus, vnum duntaxat febris ſuſcepit incrementum, nullum poſtridie; febri tandem ac morbo liberatur. Non defuere ſolemnes, & ſolito cum fructu in vicina loca excurſiones, in quarum altera noſtri ab oppidanis non humaniter primum accepti, in magna præſertim annonæ caritate, quam ob cauſam coacto cætu de admittendis Patribus inter ſe agunt, qui diem fere totum deliberando conſumpſere; Noſtri ieiunando in Templo rei exitum expectantes, quò cum aliqui conueniſſent, eos ſibi concione habita deuincire cœperunt; at vbi cæteris Societati miniſteriis agreſtes homines excolere aggrediuntur, iam rubore ſuffuſi ſuſpiciunt, quos antea admittere in ſua tecta renuebant; ijdem ipſi nos illuc aduenisſe ex animo gratulantur, & ad grates habendas, veniamq; petendam pro iniuria illata conuerſi, habendi atque petendi finem nullum faciebant, quorum vna hæc erat vox: Obſecramus pro veſtra lenitate Patres, ne præterita quaſi repulſa offenſi, nos ſæpe inuiſere dimittatis, contendemus profecto officiis, quoties veſtra præſentia frui dignabimur, vt intelligatis, nos tanti beneficij memores in perpetuum fore.

COLLEGIVM TVRIACONENSE.

MAleuoli falſum crimen homicidij affinxerant ſacerdoti, qua de cauſa in carcerē detruſus, & tantò atrociori ſupplicio puniendꝰ, quātò crudelius facinus ei falſi teſtes impoſuerāt; accitur à ſacerdote

ex

ex nostris alius, solatium aliquod, si posset, misero allaturus, solatium attulit & libertatem: nam veritas, quæ in occulto latebat, se palam ostendit nostri sacerdotis opera, qui cum Præsule serio egit, vt insontem exsolueret.

RESIDENTIA OSCENSIS.

QVo die solemnia nascenti Virginti totus orbis concelebrat, priore arcta nimis & tenui relicta domo, ad laxiorem demigratũ, quæ superiore anno nostris fuerat impẽsis coëmpta, eo ẽt die prius sacrũ, concionãte è nostris sacerdotibus vno, totá pœne ciuitatem illuc exciuit. Obita à nostris solita Societatis munera multiplici fœnore. Ad sacra confessionis & Eucharistiæ sacramenta frequentissimi Incolæ, adeo, vt ẽt accolis præeuntes exemplo ex ipsis se ferrent mõtibus, copia vt ipsis pariter fieret tantorum charismatũ. Non teritur otiũ à socijs, imo ad Xenodochia, & carceres ad subleuandos miseros cum cõtentione itum. Inimicitiarũ æstu huc illuc agebantur nõ pauci, nostrorum opera facta tranquillitas. In captura iuuarunt duo è nostris huc Cæsaraugusta profectis, & huiusce Diœceseos per celebriora vagantes oppida, quibus toto tẽpore, quo illic morati, tãta certatim occurrit multitudo, vt reficiẽdis cibo somnoque corporibus locus ægre concederetur. Arcebantur nostri aliquibus ex oppidis, quod iactarent se nostrorũ opera minime egere, tulere æquo animo repulsam, vsq; dum hospitio piorũ accepti; cœpti concionibus oppidanorũ animi deliniri, quos dein adeo facti pœnituit, doloris vt maximi nõ solũ dederint indicia, sed ẽt optima queq; officia summa grati animi significatione eis præstiterint.

COLLEGIVM BARCINONENSE.

FVit hic annus Barcinonensi Collegio P. Petri Domenech funere insignis. Vir fuit in societate antiquissimus, quinque enim supra quinquaginta in ea vixerat, & in eadem magnis muneribus perfunctus, Rectoris sæpissime in hac Aragoniæ, Castellæ, & Toleti Prouincia, quin & primus Toletanæ domui professæ præfuit. Septimancis cum ageret, ad B.P.N. Ignatium litteras dedit, à quo etiam vicissim accepit. P.N. Frãcisco à Borgia comes datus, biennio fere itineris, laboris & muneris Cõmissarij generalis: qui iam Generalis creatº hunc eundẽ Madaurã Affricæ oppidum munitissimũ misit, vt summo Montesæ Magistro à confessionibus esset, qui præsidium illud pro rege Catholico aduersus Turcas summo cum imperio tuebatur. Sed milites interim negligebantur, ad quos consilio & sacramentorum administratione iuuandos remeare iussus. Romæ conuentui Patrum interfuit, cum de eligendo P.N. Generali Aquauiua agebatur: Vnde non prius discessit, quam de Collegio Gerundæ extruendo cum Pontifice maximo actum, multis licet cõtranitentibus; sed vicit Patris constantia & sedulitas, quæ tantum apud Pontificem valuit, vt res ei cesserit ex sententia. Plurimarum virtutum laude excelluit. Discretionis in primis spiritu, vt breui quæ fusam postulãt narrationẽ perstringam, quæ consummatæ sapiẽtiæ virtus est. Caritatis in domesticos & externos, Prudentiæ in rebus domi, foriſq; accurate disponendis: Sollicitudinis in rebus sibi cõmissis, æquitatis & magnitudinis animi in aduersis, tollerantiæ ad internos

cuiuſ-

cuiusque motus tolerandos. In obedientiã tanto ferebatur studio, vt iussa præpositorum quam accuratissime exequeretur, à quibus etiam, vt ne latũ quidem vnquem alij discederent, omni opere contendebat. Communem victum, vestitumque perpetuo amauit, vnde nihil sibi proprie apponi volebat vnquam; hunc vitæ cursum ad octogesimum ætatis annum continuo, exacteque seruauit, quando iam vacillantes manus nec verrere, nec lances à mensa perpurgare valebant, vt ad hanc vsque ætatem consueuit; præter alia, quibus sponte corpus affligebat, singulis se noctibus verberabat. Societatis ministeriorum indefessus administer. Quinquaginta quinque annis in societate actis, & in hac vita octoginta duobus, ad parata præmia breui morbo translatus creditur. Duo impetrauit in exitu, quæ valens sæpe optauerat, paucorum scilicet dierum morbo, & placidissimo quasi somno extingui. Tres Societatem ingressi, eius vicem aliquo modo compensarunt. Mense Martio Roma perlatæ summi Pontificis litteræ, quibus ampla fiebat potestas Barcinonensi & Ausetano Episcopis inquirendi authoritate Pontificia in acta moresque Parentis nostri Ignatij, quibus nouum ille vitæ genus in hoc tractu instituens, Barcinonem, Mõtem serratum, Minoressam denique in omne æuum nobilitauit. Resignandis huiusmodi litteris indictus fuit dies decimus Aprilis. Illud autem splendoris accessit, quod per eos dies hic Barcinone prouincialis Patrum conuentus opportune celebrabatur, qua de causa in magna tum ciuium, tum nostrorum frequentia, prædicta fuit litterarum apertio. Ad negotium istud vrgendum de-

signatus fuit P. Petrus Ægidius, huius Collegij Rector, qua in re solerter, vt assolet, se gessit. Illud etiam hac in parte singulare, quod inter alia totius Hispaniæ diplomata ex vrbe transmissa, hoc ipsum constat primum omnium fuisse resignatum. Re Barcinone ex sententia tertio Idus Iunij confecta, reliquum erat vt Minoressæ, ac in Monte Serrato idem continuo negotium vrgeretur, sed expectandum fuit initium mensis Septembris, quando Ausetanus Antistes è morbo conualuit. Gratus sane fuit Minotensibus duorum Antistitum aduentus, gratius tamen quod sequitur. Laurentius Nieto Benedictinus Monachus, in Episcopum Alensem (Sardiniæ est diœcesis) erat consecrandus, ratus hanc sibi occasionem duorum Episcoporum, eam minime prætermittendam duxit: accito itaque tertio Solsonæ Antistite, summa cum cæremonia obseruatis rebus omnibus, vt solemnia, ac iusta consecrationis postulant, consecratus est, quod eo magis habuit celebritatis & plausus, quo nouitatis, siquidem ex hominum memoria nil tale Minorenses conspexere: agnoscebantque omnes liquido, P. N. Ignatij beneficio sua in vrbe talia contigisse. His Minoressæ peractis, nulla interiecta mora, duo illi sacrorum Antistites celeberrimam Beatæ Virginis Ædem in Monte Serrato sitam adeũt, quicquid illic Parens noster Ignatius edidit, grauiter indagaturi, id negotij triduo optatum ad finem perductum. Aytonæ Marchio in curia Pontificia Regis nostri legatus, hinc in Italiam nauigaturus, antequam cum excellentissima coniuge mari sese committeret, nõ modo nostrum Collegium sæpe inuisit, ea beneuoli animi

animi significatione in Societatem, quam cum lacte nutricis omnes illius familię proceres suxisse, vetera eorum in nos beneficia immortali memoria dignissima testantur; verum etiam ipso nauigationis die ambo diuinis epulis apud nos pasti. Dux ipse Montalti Regni Prorex, cum sub natalitia Christi Domini in periculosum morbum incidisset, concepto voto inuisendi Beatam Virginem Montis Serrati, specum etiam, quam Minoressæ Parens noster Ignatius orationis locum sibi delegerat, valetudini restitutus, votum exoluens non solum antrum adiuit, vti promiserat, sed & in Sacello supra Cryptam ab Ausetano Præsule exædificato, cœlesti mensæ accubuit, vti in sacra Virginis æde fecerat, cuius exemplum secutæ pari religione & pietate Mater & Vxor, item eius consanguineus Dux alter à Terra noua. Ciuitatẽ nobis officiosam habemus, vnde complures non obscuri nominis ac dignitatis homines nostris confitentur, nihilq; fere grauius decernitur sine nostrorũ consilio. Cœnobium duplex sacrarũ Virginũ hortationibus pijsque sermonibus ad cursum perfectæ religionis excitandum curauit ab vno è nostris Barcinonensis Antistes, antequam ad ea lustranda accederet, qua in re nec quidquã statuit Patre incõsulto. Data est opera, vt societas eorum, qui mercaturam exercẽt, grauibus damnis, quibus afficiebatur, leuaretur, cũ in cambij, vt vocant, cõtractu multũ pecuniæ amitti oportebat, pro ea, quæ alibi soluenda dabatur: lucrum namque in huiusmodi re minui debuit, lata ob id annua lege ex consensu Proregis, eorũq;, quibus Societas ipsa negotiũ detulerat, magno plurimorum bono, qui egestate coacti bonis tan-

tum non ceſſarant; & quod mirere, tum ij quibus danda, quam quibus accipiẽda pecunia erat, factum laudarunt. Annua penſio decem aureorum, quam hoc Collegium iam inde à nobiliſsima fundatrice Maria à Iara ſoluebat, hoc anno redempta; auctum præterea annuum Collegij vectigal 50. aureorum hæreditate piæ cuiuſdã feminæ, cui P. N. Generalis permiſſu ſepultura in Templo noſtro data eſt.

COLLEGIVM GERVNDENSE, ET domus probationis Tarraconenſis.

GErundæ hoc anno apud noſtros, vti aſſolet, & animi pietatis, & corporis valetudo. Vnus dumtaxat deſideratus Fr. Andreas Gaſca, qui eadem die, qua ſolemnes agebantur feriæ, quibus Chriſtus liberando humano generi, è ſtipite pendens Patri ſpiritum reddidit, reddidit ipſe ſuum; vt qui Ieſum erat æmulatus in vita, eundem æmularetur in morte. Is ſcholaris erat ſingularis ſpectationis, obſequio, & caritatis ardore conſpicuus. Præpoſtera tñ alterius adoleſcẽtis ſors, qui cum diu multumq; Societatem expetiiſſet, eius precibus victi annuêre Patres: ſed vnus renuit natura pater, ſenectam præferens ſuam, cui, vt aiebat, ſolus reſtabat leuamento. Votum obtinuit parens, haud tamen impune: nam illico profecti vnà ad eundum in poſſeſsionem cuiuſdam Prioratus, vixque reuerſos morbus excipit: filius in Hectica contabeſcit. Scholæ etiam cum aduerſantis Ciuitatis impedimento, vberiores hoc anno fructus dedere, ſingulari præceptorum opera

publicas

publicas solemnitates, lemmatis, poëmatis, varijsq; litterarum ornamentis illustrando. Hinc annuæ Theses, & frequẽtiam, & probationem nactæ. E Sodalitate scholasticorum, quæ in dies frequentior, sex varijs se religionibus addixere: coniugatorum alia sodalitas etsi opulentiorũ numero decrescit; pauperum tamen spiritu solerti multitudine recrescit; est in Nosocomiis, in soluendis vinctis, alijsque pietatis operibus sedula.

Tarracone benignius est hoc annno actum nobiscum, licet tres tantum tertiana febri laborarint, & decesserit vnus Pater Ioannes Labrador natione Catalaunus, annum agens ætatis 52. Societatis vero nonum. Vir abiectione sui & despicientia non vulgari. Cum in hac vrbe, in qua nulli non notus Societatis tyrocinium posuisset, ad sui victoriam libentissime foras ibat aquatum nulla toga, nedum pallio; ligna etiam ad domesticum vsum è littore domum adsportabat, pauperes inter inglorius latebat, atque ijsdem, quibus illi, cibarijs emendicatis vescebatur. Mensę accumbens antequã cibum sumeret, cogitabundus nonnihil hærebat interim, dum edenda, quantum in se erat, egentioribus se affectu erogasset. A pueritia voto se castitatis obligauit, quam ad vitæ finem & corpore & animo seruauit. Castissimæ omnium Virginis famulatui se deuouit, in cuius gratiam sabbathis in abiectis culinæ operibus inseruiebat. Virginis in sermonem quoties delabebatur, iucundè admodum quid de eadem inuenire, audireve poterat, id omne in papiraceos codices referebat. Idem studium ac cultum sacrosanctæ Eucharistiæ deferebat. Vbiuis gentium cathechesim ex-

plicabat, non sine insolita puerorum, ac natu grandium frequentia, singularis quippe in eo erat hoc in munere peritia. Phreneticis proprium aliena loqui; hic verò eo vel maxime tempore in ore habebat, quæ valens versauerat animo, ad sui nimirum vtilitatem pertinentia. Carus non solum domesticis, sed externis etiam, qui pro eius ægrotantis valetudine in preces effusi, quanto eum amore prosequerentur, declararunt. Magno in pretio apud ipsum erat vocationis beneficium, ea propter dicere solitum accepimus: Si (quod Deus auertat) è Societate dimitterer, nullum non lapidem mouerem, vt in eandem rursus dimitterer, quamuis mundo vniuerso, si eius essem Dominus, me abdicari oporteret. Cum à prandio vel cœna eò conueniebat, quò Domestici quietis causa solent, in Crucifixi effigiē oculos intendens, hæc tacitus cum Christo: Domine, si quæ cœlum ambit, mea essent, his me omnibus volens libensque denudarem tui causa, quem è stipite nudum pendere coram intueor: hinc toto illo relaxationis tempore nihil nisi circumspecte & loquebatur, & agebat, imo de Deo libentissime sermocinabatur, & audiebat. Hæc quamuis ita se habeant, nihilominus extremo in morbo seruum se inutilem reputabat. Notauerat ad memoriam quidquid eorum quæ legebat, ad concionandi, catechizandique munus facere videbatur, quam rem veritus, ne curiosius feciſſet, ad eam corrigendam aiebat serio: nullum apud se librum habiturum, sola Crucifixi effigie & flagello contentum, si superstitem vitam sibi Deus concessisset. In extremis iam constitutus, ad obedientiæ vocem dicto citius obtempera-

bat.

bat. Tandem cum se vltimo coram Christo Domino, antequam cœleste viaticum sumeret, votorum nuncupatione religasset, ad promissa præmia euolauit: ad cuius demortui manus exosculandas Ciues non pauci conuenere. Templi suppellex aucta peristromatis, quæ totum conuestiunt sacellum maius: Domus pars loci huius salubritati valde conueniens destrui cœpta, & ad primam contignationem perducta. Duo ex hac Domo in Ciuitatem, quo nostri nondum penetrarant, profecti, alter negotijs, quorum causa iter susceperat, operam nauauit: alter rei Catechisticæ, cuius cum insolentia, tum vtilitas fecit, vt accurrentium frequentia numerosa admodum esset: & vt Religiosus quidam inter suos primarius eandem Prouinciam docendi Catechismum sponte subiret, quæ res vt facilem euentum sortiretur, viam & rationem optimi Catechistæ à nostro tanquam à magistro non erubuit scisciatari. Ex hoc illud etiam vtilitatis emanauit in proximos, vt multi, in quibus meretrix, de omni noxa auditi, ad meliorem frugem traducerentur. Dum excurreret Nouitius in vicinum oppidum ad instituendos pueros summa rectæ fidei, vt moris est, per occasionem inuectus est in nimiam hominum licentiam, quæ triduo illi Cineralia antecedenti in magnum malum euadit, nec operam perdidit: nam seueris magistratuum edictis huiusmodi scelera sunt prohibita, & qui contra egêre, puniti. Tarracone obuiam quoque itum per eosdem dies prauæ huic consuetudini, quadraginta horarum supplicatione, tanto cum apparatu, quanto fieri potuit, nec

de su

deficit pia sodalis liberalitas ad rem hanc promouẽdam, qui moriens viginti aureos in singulos annos sodalitati legauit.

COLLEGIVM ILERDENSE.

HIc ineunte anno nostri decimum numerum expleuere, sed eo labẽte, illos quasi voluit Deo decumare. Calen. Nouemb. qui dies sanctorum omniũ festo sacer est, P. Iosephus Sabaterius & Collegij & loci huius è nostris primus, hinc ad superos euolauit post diuturnos & assiduos vacillantis valetudinis dolores, & duplicatam tertianam febrim, qua per dies 50. vexatus est, cui dein Hectica febris accessit. Hic seu Physiologię, seu Theologię nauans operam, eximiæ semper virtutis, & præcipuè obtemperandi studij documenta dedit, etiam cum rei litterariæ detrimento. Acri erat ingenio, & valde propensus ad litterarum iuxta ac virtutis studia, recusandi oneris causa nunquam adibat superiorem, ni à Confessario iuberetur, ne diuino nutui aduersari videretur; quod si iussus adibat, & verbis, & vultu facile indicabat, neutram se in partem propendere. Sæpe hoc ore vsurpabat; se libenter, si maiorum voluntas statueret, ad Collegium illud reuersurum, in quo propter cœli inclementiam, vires, valetudinemque amiserat. In Cæsaraugustano Collegio Ministri officio cum fungeretur, eius modestia, submissio, caritas denique in imperando mire semper enituit. In consuetudine & colloquiis minimo quidem cedebat, quoties in aliquo eum sibi aduersari cerneret, etiam in re certa, & manifesta. Nullum vnquam verbum, quod in proprium cederet honorem, effutisse visus:

visus: Linguæ difficile instrumentum ita compescuit, vt mentem nunquam præcurrisse videatur. Si quem inscius verbo læderet, ter quaterque læso satisfacere conabatur. Nulli non hunc carum, gratumque benignitas reddidit. Multis annis molesto afflictatus morbo, summa semper æquitate animi diuinæ se attemperauit volũtati. A peculiari victu vehementer semper abhorruit. Paupertatis, castimoniæque magnus fuit Erastes: hinc si quid à suis donomittebatur, accipere renuebat, quos non nisi perraro, & præcipiente superiore, inuisebat: Hinc etiam mulierum collocutiones omnino fugiebat; earundem nihilominus confessiones, vt se totum ad Societatis institutum effingeret, audiebat non inuitus. Et quoniam confessionum incidit mentio, non omittam quod sequitur. Ad eas excipiendas primus omnium accedebat, vltimus recessurus. Deiparæ Rosarium voto adstrictus, quotidie recitare; quotidie etiam conscientiam per confessionem expurgare solebat. Christi patientis vulnera & tormenta præmeditatus fuerat quàm sæpissime: cum ergo iam fere animam exhalaret, vulnerum & tormentorũ Crucifixi recordatione delectabatur maximopere; rogabatque adstantes, vt quiddam de venerandis illis Christi vulneribus atque doloribus in memoriam reuocarent. Tandem extremo in morbo bis totius vitæ confessione animum expiauit. Deinde sacramentis munitus, cum cœlesti æternaque vita patrium solum commutauit, ætatis an. 34. Socie. verò 15. Affirmauere nõ immerito, prędixisse, sibi die sanctis omnibus sacro è corporis statione esse excedendum: nam asserenti cuidam, quod iam

melius

melius haberet, breui eum fauente Deo sanitati restitutum iri, ita respondisse accepimus: Sanctorum omnium die tui asserti veritas comprobabitur.

Apertæ sunt Humanitatis scholæ omnium consensu, atque suffragijs, quæ emolumenti non parum, vti speramus, huic Vrbi, Academiæque perantiquæ conferent: Siquidem aucto vectigali sociorumque numero, maior etiam erit fructus ministeriorum societatis.

COLLEGIVM BALEARICVM

IN Minoricam Insulam non longe ab hac sitam, in quam nostrorum nullus pedem posuerat, duos è nostris profectos Præsulis Vicarius, Prætor, & magistratus summa cum gratulatione exceperũt, quorum quisque domum suam hospites deducere contendebat: nullus tamen impetrare potuit, quin nostri pauperum more ad hospitalem domum deuerterent, & fuit operæ pretium nostros eò se recepisse, ne in posterum refugerent insulani illuc accedere, nedum ibi decumbentes inuisere (egregia sane laus pietatis) quod tanquam vile, & abiectum aspernabantur, imò, si Dijs placet, dedecori ducebant: ergo quam alta fuerit inscitiæ rubigo deterenda, quilibet vel mediocriter sapiens conijciat. Ex quo autem nostri pauperum domicilium incolere cœperunt, incolæ etiam, tanquam nostro exemplo suum errorem dedocti illud frequentarunt, munuscula eleemosynæ loco miserunt, tot & tanta, vt et pauperibus ad multos dies suppeterẽt. Iam vero insulæ Prætor, & qui illi iurisperitus assidet, quando non sunt assequuti nostris prandentibus vel cœnantibus

tibus adesse, ne quid eis forte deesset, suos certe filios tanq̃ famulos miserunt, qui mẽsæ ministrarent. Digressi Patres ad opus, strenuè consueta Societatis nostræ munera exercuerunt. Inprimis nostrorum concionibus excitata egregie ciuium pietas ad inopiam domus hospitalis subleuandam.

RESIDENTIA PERPINIANENSIS.

DVo familiæ nostræ addicti, quorum alter paroecia oppidi non ignobilis suæ cõmissa curę se abdicauit: alter spei est optimæ adolescens, spectatæ ẽt virtutis & constantiæ: diebus.n. decem hinc mater, filij cognito consilio, verbis, lacrymis, omnibus deque machinis: hinc propinqui amici crebris suasionibus, se præclaris eius conatib⁹ opposuêre. Quæstub⁹ complebat omnia mater. Quid me, inqt, deseris in senili ætate orbam? Verum est præter te duos mihi esse filios, cæterũ non te latet, alterũ iam ad Capuccinos: alterum vero ad Societatis Iesu Patres, quo tu properas, se contulisse. Duæ insuper filiæ, quas diuino munere acceperã, nonne altera Monialis iam vota emisit: altera vero, & si adhuc penes me sit, nunqd sororis suæ vestigiis insistere non cogitat? His cum ita se habeant, qui mihi iure succenseat, si orbitatem meam defleã, cum te, quẽ baculũ senectutis meæ fore sperabã, corã intuear talia moliẽtẽ? Tantũ abfuit, vt his & similib⁹ emollitus strenu⁹ Christi miles manus daret, vt iacta in se tela omnia inuicto animo retundens, veniam nostrum institutum amplectendi extorqueret, maternamq̃; tandem benedictionem impetraret. Triduo ante primũ solemnis ieiunij diẽ nostro in templo sacratissimũ Christi corp⁹ sub ho-

stia

stia consecrata populo adorandum patuit, non sine magna concentus musici varietate & copia, pari ciuium concursu, præeuntibus suo exemplo Episcopo, Vrbis Prætore, patribus etiam iuratis. Sodalitas suos parit fructus. In vrbe cæteræ quæ solent vtilitates extitere. Itum sæpe extra vrbem, oppidaque multa Societatis muneribus adiuta: duo præsertim frequentiora: in quorum altero, vt solita solito more præteream, crebra sacramentorum vsurpatio: confessariis etiam audiendi alios de peccatis studium iniunctum: excipiendis enim confessionibus antea ci difficiles se præbuissent, facile alios à peccatorum expiatione auocabant. Flagellorum vsus ibidem tanto ardore susceptus, vt ter in hebdomada summo studio & contentione repetatur, etiam à rusticis diurno labore defatigatis; nec mirum in hominibus præsertim peccatorum odio stimulatis: fatebantur multi, nunquam tam bene, tamque ex animo culparum pœnituisse, proque ipsis tam dignas se pœnas dedisse. Alterius oppidi culturam aggressi, tam auersis omnium animis excepti sunt, vt nullus in eo locus, nec xenodochium quidem, illis ad habitandum concederetur. Negabant oppidi Magistratus necessariam nostrorum ibi operam videri, ob Franciscanorum Patrum vicinitatẽ, qui ibi versabantur: Parochos deinde grauiter officio suo fungi. Nostri magna animi constantia vno Deo freti, cuius causam agebant, statuunt appositis rationibus, & quod caput est, inuicta patientia, aspera ingenia, & auersas voluntates mitigare. Dies ad noctem extractus id frustra conando; intendentibus se iam tenebris, parochos demum adeunt rogatum, vt se hospitari

tari vellent; hi tamen haud alijs humaniores, sua indigentia, & domus angustijs alienatam à patribus voluntatem obtendebant. Cæterum commendatitijs litteris ab Episcopi Vicario nonnihil inflexi, magni beneficij causa nostros comitati sunt, dum hospitium ostiatim perquirerent, repertus tandem aliquando sacerdos, qui eorum vicem miseratus nostros apud se habuit, donec Magistratuum permissu in nosodochium admitterẽtur. Hic statim quæ vbique solemnia fuere, administrari cœpta; Quo in studio octiduum elapsum, magistratus tamen à sua sententia neutiquam deiecti. Istorum tenacitatis causa ridicula sane: Respondebant vagos nos esse, & missiones exterorũ à Societatis alumnis suscipi, tanquam opportunum negotiandi genus, vt victus oppidatim comparetur, per simulationem iuuandi proximos. Nec dubium, si huiusmodi hominibus fiat potestas ingrediendi hospitalem domum, quin eius reditus occupare intentent, iusque in illos acquirere conentur. Singulari Dei beneficio factum dicerẽ, vt cum per ferme eosdem dies vigilãtissimus Antistes, cui cordi Societas est, diœcesim lustraret, huc forte deuenerit, qui re cognita domum designauit, in qua seorsim Patres, nemo præterea viueret, quibus vt victus necessaria essent, sacerdoti negotium dedit illa subministrandi: ergo nostri hanc felicitatem consequuti, impensius cœpere audiendis confessionibus, concionibus habendis, & Christianæ doctrinæ rudimentis explicandis, Christianam rem promouere: & à pauperibus in nosocomio degentibus auspicati, ipsis prouisum est, vt Pontificiæ indulgentiæ nostrorum pere-

grinationibus indultæ ijs ante alios paterent, quod multum iuuit ad agrestes animos deliniendos. Hebdomadis quinque hic nostri substitere, quibus nullo die à concionandi munere cessatum, ex quo tot in numerosam adstantium multitudinem fructus dimanarunt, quot fletus, lacrymarum effusio, genarum verberatio, indicio erant, dixisses sextam adesse feriam maioris hebdomadæ, quoties præsertim concionator ad Crucifixi signum conuersus, quod ad dexteram iuxta se habebat, crebros serebat cum eo sermones, quos tunc ciebat in alijs ex intimo cordis affectus ad dolendum de commissis hinc confessiones pleræque à pueritia, hinc profligatæ vitę mutationes, hinc rei male partę restitutiones, pacificationes, vt nullibi fere plures. Inter ea vna in primis memorãda. Inter sacerdotes (duo erã & viginti) ita dissidia succreuerant, vt noua indies inimicitiarum capita, lerneæ Hydræ instar, assurgerent, nec erat à quo ille resecari posse viderentur quod multi multum in hac re operæ posuissent. Inoptatis erat Antistiti, vt nostrorum opera res ab alijs frustra tentata felici exitu concluderetur, & Præsuli res cessit ex sententia. Ad sacerdotes non semel habitus est sermo de bono pacis & concordiæ, sed monẽ sequuta est fauẽte numine animorũ coniunctio, tanto clericorũ omniũ assensu, vt facile appareret inesse cunctis cor vnum & animam vnam, scilicet ingenti animo lætitia concepta, sibi gratulabantur Dauidicum illud iterantes; Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea, & Deo immortales gratias agebant, quod è tantis discordiis malis cœtus ipse sacer tandem emersisset, in quo-

rum

rum gratiam Te Deum laudamus, ad finem vsque decãtatum, idq; datis ad canonicum quendam literis sacerdotũ vnus descripsit. Placuit ipsam epistolam literis inserere, vt vel alterius testimonio res tota certior appareat. Benedictus Deus qui nos semper ex alto benedictionibus cumulauit, nouissime vero diebus istis legans ad nos Patrem N. maximarum sane virtutum atq; exempli virũ, in quo Spiritus sanctus inhabitat: nam quandiu inter nos fuit, non destitit cum priuatis tum publicis concionibus de nostro nos officio cõmonere, quibus eam nobis mentem iniecit, ea in nobis ineundæ pacis desideria suscitauit, qualia ab homine cœlitus misso sperare licebat. In cunctis suis & dictis & factis nostri omnium boni ita cupidum se præbuit, benignum cum mitibus, asperum & seuerum cum peruicacibus, vt nisi diuina illi virtus inesset, haud potuisset suis ipse hortationibus tam præclarum absolutumque opus moliri. Quando nos vltimo alloquutus est, quem non mouit ipse lapidem? Quid non aggressus? quam demum viam intentatam omisit, vt nos ad veram amicitiam alliceret? Non is ego sum qui possim referre. Vnum hoc duntaxat. Postremum sermonem ad nos de pacis bono habitum egregiæ clausit submissionis exemplo: singulorum quippe osculari pedes non erubuit, vt nos tandem ad mutuos amplexus beneuolentiæ testes prouocaret, ibi erat fletus interim, dum amplexibus pacem, amicitiamque confirmare nitebamur. Alia ibi contigẽre, quę si pergerem scribere, vi proculdubio lacrymarum consumerer. Egresso Patre ad confessiones audiendas, iterũ nos ipsos ibidẽ adhuc cõgregatos ad pacis fœdera horta-

bamur non sine suspirijs ex intimo cordis eductis: neque tunc à clamoribus hisce in preces effusi abstinebamus: Confirma hoc Deus in perpetuũ quod operatus es in nobis. Tertio post die ad pacem adhuc magis magisq, stabiliendam, vna pransi sumus, neque ibi nos ab amplexibus continuimus ; iam nullus est nostrûm qui non præclare secum actum putet, qui non mœstitiam omnem à se depulerit, qui denique occasiones non quærat dandi se communi amicorum salutationi. Si tibi, mi Canonice, innotescerent quę nuper inter nos agebantur, quidq; in præsenti fiat , quot argumentis ad Deo gratias agendas abundares! Cætus iste noster non qui antea, viris constabat elatis animo, nunc ad omnem submissionem propensis, qui paulo ante perturbationis , ijdem nunc virtutis amantes: Quocirc quidquid erat apud nos discordiæ, idipsum modo ad pacem , amorem , concordiamque traductum. Sit Deus proinde benedictus in sæcula. Quanto triumphauerit gaudio Antistes, vbi de hac ipsa pacificatione fuit certior factus, breuibus hisce litteris ad sacerdotem nostrum istiusmodi pacis auctorem testatur. Non occurrit memoriæ iucundiorem vnquam allatam mihi fuisse epistolam ipsa, quam hoc temporis articulo abs te accepi. Benedicamus Patrem & Filium cum S. Spiritu, laudemus & superexaltemus eum in sæcula ; Ego , Ecclesiastici, reliqui etiam eius oppidi incolæ, iure vtriusque Tobiæ patris & filij verba vsurpare debemus: Quid possumus dare viris istis sanctis ? aut quam mercedem dabimus eis ? aut quid dignum poterit esse beneficijs eorum ? rerum tam præclare gestarum dignum vobis præmium rependat

pendat Deus, hæ meæ sunt preces, & vt etiam diu vos incolumes seruet, ad similia in posterum alibi patranda. Iamque Patribus hinc abeundū erat, cum oppidanos omnes ad sacrum conuiuium inuitarunt Dominico sequenti die futurum, quod quam gratum omnibus extiterit, argumento sit multorūieiunium sabbati præcedentis diei, ex quibus ēt nonnulli pane & aqua contenti diem illum traduxere; templi facies interior peripetasmatis operiebatur; ara maxima pereleganti ornatu & cereorum luminibus visenda, in qua detectum Christi Domini corpus ad maiorem festi celebritatem cernebatur, eius vero diei confitentiū, communicantiumve numerus tantus, vt iniri non posse videretur, omnes passim sibi inuicem gratulabantur, quod nullum diem tam lætum, sanctum, tamque iucundum se vnquam traduxisse perhiberent. Hisce maximè rebus commentitia illa, quæ prius in nos iactauerant, prorsus sopita, actumque, vt multi depositis odijs amore nos tandem prosequerentur. Res familiaris in dies magis magisque augetur liberalitate multorum, quorum ope factum, vt templum vnius ferme anni decursu suis iam hinc inde constet parietibus, & tecto arcēdis aquis. Bibliothecam iam satis amplam habemus, adiectione præsertim alterius, quam sibi Episcopus pararat; cui etiam parochus ille, de quo supra, libros non paucos, quotquot scilicet habebat, attribuit; nostris quoque pecunijs alios quotidie his addere non cessamus. Præsidiarij milites è stipendio sibi propediem soluendo, aureos supra quingentos nobis donarunt. Episcopus vir sanè de nobis optime meritus, & omni beneficentiæ laude

cumulatus, quippe ad consuetam eleemosynam
sæpe aliam de nouo adiungit; Quem solitum dicere
accepimus, se ita paratum ad munia Societatis pro-
mouenda, vt victum, & quibus tegebatur indumen-
ta sibi detrahi facile patiatur, tantus eius in nos a-
mor, tamque ardens desiderium videndi nostrum
hoc Collegium vectigalibus auctum necessarijs ad
complures in eo è Societate alendos, qua de
re serio & quanta potest sollicitu-
dine agit.

ANNVA

ANNVÆ LITTERÆ SOCIETATIS IESV PROVINCIÆ BÆTICÆ anni 1606.

REcensuit Prouincia hæc anno millesimo sexcentesimo sexto socios circiter quingentos. Sacerdotes centum octoginta duos. Totidem fere fratres coadiutores. Scholasticos nonaginta tres, cum 47. tyronibus. In octodecim est diuisa stationes. Domus professa Hispalensis. Collegium Cordubense, Granatense, Hispalense, Montelanum, Malacitanum, Triguerense, Astigitanum, Marcenense, Gaditanum, Biacense, Zerense, Caporlanum, Frexenalense. Guadixiense, Anglicanum Hispalense, Residentia D. Luisij Hispalensis, Residentia Antiquariensis.

DOMVS PROFESSA HISPALENSIS.

ALuit domus hæc socios septuaginta, Sacerdotes viginti quinq;, Adiutores viginti quatuor, reliquosque tyrones. Mirandum sane, in tantis annonæ, pecuniarumque angustiis, ad quas vniuersa est redacta Bætica. Septem ad ministeria domestica strenui admissi sunt fratres. Diem obiêre suum P. Franciscus de la Fuente, quatuor adstrictus votorum vinculis, ætatis trigesimo octauo, Societatis vero vigesimotertio anno, qui tunc Rectoris Collegij

Astigitani munere fungens, ad comitia venerat Provincialia, sed phthisi confectus nobis ereptus est, additusque cœlestibus, non sine ingenti sui desiderio.

Item Pater Iacobus de Gusman, vir vere religiosis insignis virtutibus, quarum suauissimum odorem Italiæ, vniuersæque afflauit Hispaniæ. Fuit Pater Iacobus de Gusman filius natu minimus germanus Roderici Ponce deleon, & Plancæ de Sandoral comitum de Bailen. Pater excessit de vita dum ipse secundum ætatis agebat annum; educatus tamen à matre honeste ac pie. Decennis Illustrissimi patrui Alfonsi Manrique Cardinalis Hispalensis Archiepiscop. generalisq; fideiq; censoris addictus fuit patrocinio, vt ipsum aliquo in Ecclesia Hispalensi Ecclesiastico afficeret beneficio: cum autem canonici obitus locum relinqueret vacuum, in quem ipse suffici posset, à matre Cardinalis memoria crebris petitionum flatibus excitabatur: animus Iacobi matris petitione commotus fuit, ita vt effusus ingemitus ad stabulum se receperit, laxiores lacrymis habẽas solutur⁹. Conspicitur à famulis, Comitissa fit certior, euocatur Iacob⁹, planctus exigitur causa, libẽter aperit: exuere igitur (instat mater) his vestib⁹, ecclesiastici siquidẽ munere fungi renuis: amplector (reddidit ipse) toto pectore clericalem conditionẽ, sed sine redditib⁹ annuis. Respõsio sane ætatẽ illam longo superans interuallo.

Aderat quidam è nostris animam exhalanti, solitam in illo discrimine operam nauaturus, pijssimis instruens monitis, quibus animum moribundi erigebat, & quasi de industria adstantis clerici consanguinei perditissimæ vitæ, fortunæ bonis affluentis

fluentis, mores perstringebat, qui ita auide salutaria arripuit verba, vt illinc egressus ad Patris aduolutus pedes, integram vitę totius peregerit confessionem ad meliorem receptus frugem. Cum legitimam alter domo excluſiſſet vxorem, pellicemque sub vxoris specie admiſiſſet, iter agens fortè cuidam è noſtris seſe obuium obiecit, à quo nil minus cogitante ita salubria interhauſit hortamēta, vt Hiſpalim regreſſus in morbum incidēs, sacerdotem è noſtris aduocauerit, cuius permiſſus induſtriæ pellicem amandauit, vxorem debito donauit contubernio.

In melius semper prouehuntur Sodalitates, ex quibus mirabiles seſe quotidie fructus oſtendunt. Quendam è Sodalitate Præsbyterum, nulla iuſta laceſsitus iniuria, dum vterque accinctus esſet veſperis decantandis, alter contumelioſis verbis accepit, mores, & genus acerbiſsimè perſtringentibus: de quibus eam illico sumpſit vindictam, vt seſe ad pedes exprobantis subſternens coram fuerit oſculatus, & ipsa eadem nocte in illius gratiam rigidè seſe contuſerit flagris. Dum sacrum Miſſæ perageret sacrificium, ea fuit perfuſus dulcedine, vt iam sibi cœli videretur esſe compos effectus.

Non minus in B.N.P. Ignatio, quam in eius filijs, seſe Dominus præſtitit admirandum, præsentiſsimam afferens operam ijs, qui in aduerſis casibus illius opem implorant. Nobiles 3. fœminæ per syngraphamB. N. P. maximas pariendi anguſtias sunt præteruectæ, & infantula pene iam à medicis desperata fere reuixit, & integræ est reddita sanitati.

Vigesima quinta Martij die tabulæ aræ principis affabrè pictę primo explicatum fuit velum, quę non

solum nouos tunc oculos rapuit, sed vsitatos etiam noua tenet admiratione defixos. Tota est tabulaaureis incrustata foliis, nullo colorum pigmento substrato, à solo ad tectum, á pariete in parietem distenta structura subrigitur, integram sacelli maioris faciem exæquans: quæ in altitudinem quinquagesimum nonum, in latitudinem verò quadragesimum quintum pedē tenditur, duplici coagmentātur corpore, primum templi totius alam, secundum tecti attingit fornicem, cui gypsi tectorium aureis distinctū filis inductum est. Non paruum nobis horrorem incussit id quod in hac vrbe eiusque confinijs aliquibus ex societate dimissis fortuitò contigit, licet honestam vitam, societatisque disciplinam aliquo modo redolentem transigentibus. Pater Aloisius de Barba, antea in Societate concionatoris, Rectorisq; munere functus, sellæ insidēs, repentina fuit morte correptus. Pater Ioānes Plauiso, qui trigesimū octauū annū in nostra vixerat societate, egregius Grāmaticæ institutor, indefessusque confessionum auditor, dum in cœnobio monialium sacris esset indutus vestibus solēne sacrificium celebraturus, coram sacerdote quodā è nostris concionaturo, subito neruorum totius corporis, sensuumque stupore deuinctus, postero die excessit è vita. Nobilis Franciscus Medrano, qui in Prouincia Castellana philosophiam professus est, sacramque Salmanticæ paginam explicauit, cum lectulo leuiter affectus recubuisset, paulò ante quendam è nostris officij ergo inuisentem alloquutus, poculo aquæ simul mortem exhausit. Quidam alter ipsius consanguineus nobilis Alfonsus de Satillanan, cum ad Indos traiecisset, Hispaniam

niam repetens, simul cum naui summersus est.

COLLEGIVM CORDVBENSE.

NVmerauit Collegium hoc octo & septuaginta, vnum viginti Sacerdotes, Scholasticos triginta, reliquos adiutores. Ex huius corporis vinculis expediti sunt duo: Pater Ioannes Serrano domo Biacensis, vigesimum secundum ætatis annum agens, qui Theologiæ candidatus, Philosophiæ simul & vitæ curriculum emensus est. Prouinciam omnem in ingentem sui expectationem erexerat. Peculiari quodam boni Societatis nominis adstringebatur affectu, atque ideo cautam transigebat vitam, ne aliquo vel leui defectu aliquam Societati inureret maculam. Pater Ioannes de Reyna domesticis addictus ministerijs, patria Hispalensis, ad trigesimum prouectus annum, qui intra breue octo solummodo Societatis initæ annorum spatium, ita anhelanti animo pietatis culmen affectauit, vt arripuisse videretur; obedientiæ, silentij, paupertatisque apprime studiosus, vel leuissimum superiorũ nutũ præuertere, frequentesq; sermones ad diuina solebat obuertere beneficia. Fæliciſsima, dicebat moriens, mihi obtigit sors, vt extremum in Societatis lectulo claudam diem. Non sine molestia supinus semper incubuit, ne vnquam ab Crucifixo auerteret oculos, donec suauissima cum illo, & cum B. Patre nostro Ignatio colloquia miscens vixit, &c.

Sacra doctrinę agmina frequenter ducuntur, hæc

quanti

quanti habenda sint, aperte sane renuentis hominis vindicta indicatum est. In imminentium Cordubæ montium præruptis saxis sibi cellulas excauarunt veterum æmuli eremitarum, pij sane viri, monasticam vitam peragentes, hi ferè omnes singulis sabbathis cõfluunt ad nos, conscientiæ explicant sinus, pœnarum quas sibi infligunt, reddunt rationem, eluunt animi sordes, sacramque suscipiunt synaxim. Mahometani quidam Hispanicæ peritissimi linguæ in eandem grassatorum mentem conspirantes, vt tutius se gererent, fictas sibi agasonum personas imposuerunt, insigniaque perpetrarunt latrocinia, opulenta diripientes spolia; ex his intercepti sunt quinque Cordubę, vbi peruicaces sese doctrinę Mahometanæ sectatores profitentur, ijs Christianam fidem blasphemiis proscindentes, vt pias sane lacerarent aures. Ad fidei censores delati sunt, qui eos de obfirmata cõdemnantes perfidia, ad profanum iterum relegarunt forum, vt latam capitis sustinerent sententiam: duo ex nostris aduocati sunt sacerdotes, qui ferrea illorum emollirent pectora, sed adamante reperiuntur duriores: ictus repetunt, diuinaque victus gratia cedit vnus ætate prouectior, cui reliqui iuniores nitebantur, confitetur Christum, sed ita vt Mahometẽ renuat diffiteri, instauratur oppugnatio, tandemq; supplices veritati subdidit manus, quo perculsi socij, fidei iugo cõtumacia submiserunt colla, integra confessione anteactæ vitæ expiant crimina, piis lacrymis abluentes, & iam editi in patibulo à circumstanti populo veniam exigunt, laqueoque suspenduntur.

COL-

COLLEGIVM HISPALENSE.

IN Hiſpalenſi Collegio ſeptuaginta & octo morati ſunt, viginti quinque ſacerdotes, quatuor & triginta ſcholaſtici, reliqui res curant familiares. Tercentum accepit aureos in ferculum ſanctiſsimæ Euchariſtiæ argenteum, in thecas reliquiarum, & crucem affabrè ex argento factam.

COLLEGIVM GRANATENSE.

COllegij Granatenſis ſedes incoluerunt ſexaginta ſex, Sacerdotes viginti, Scholaſtici totidem. Fratres in re domeſtica occupati reliqui. Sacerdos vnus, & 3. Adiutores fratres ad ſuperos abierunt. P. Andreas de Mora trium votorum profeſſus quadrageſimum ſextum ætatis, vigeſimum quintum Societatis annum emenſus, iugi quadam morborum acerbitate perſtrictus, ſuſtinentia tamen inſignis ſingulari. Melchior de Herreca ad ſexageſimum prouectus annum, ex quib⁹ quadrageſimum in Societate tranſegit, omnibus virtutum numeris abſolutus: erga inopes, ægrotanteſque mira pietate perfuſus, ad ianuam confluentibus eleemoſynam vndique collectam ſummo ſtudio porrigebat, hilares omnes, parique catecheſis dóctrina inſtructos dimittebat. Lucas Martini, cum trigeſimum tertium ætatis annum, & decimum quintum Societatis initæ compleuiſſet, ea morum præditus ſuauitate, vt domeſticos omnes, ac externos ſibi mirè deuinciret. Franciſcus Correa Luſitanus vigeſimo iàm ſecundo, bino autem Societasis nondum anno clauſo, ſed breue vitæ ſpatium longo prouentu ſuperarauit.

uit. Morbida tabe, & fame Africæ ingruente, qua-
draginta Mauritani constricti ad Hispanicam appu-
lerunt oram, cibum corporis quæsituri; Granatam
perueniunt, vbi & spiritales escæ sunt affatim mini-
stratę: quidam enim è nostris sacerdos extremę ille-
rum conscius inopię, sedula pietate ipsis & vestes, &
cibum conquisiuit: tanto Christianæ charitatis ex-
emplo, & crebris de nostra religione collatis sermo-
nibus commotis, sensim sacrę fidei amor illapsus el
Ritè Pater catechesis præceptis imbutos Illustris
Archiepiscopo offert sacri Baptismatis vnda tingen
dos; qui non solum facultatem concesit, sed & tan
illustri spectaculo voluit interesse, in eandem men-
tem Censores fidei, vterque, & profanus, & sacr
Senatus conspirarunt: in templum sacri montis so-
lenni pompa deferuntur, exactoque baptismo pri
mis tenebris reducuntur, quibus accensæ candel
interlucentes, ad pietatem spectantium, animi lacry
mis ex oculis emicantibus, mouebantur. Tantæ re
nouitas fama per Africam dispersa tribus Hebræ
admouit stimulos, vt ad idem diuinum obtinendum
beneficium fugam ipsi adorirentur, iterq; arripiunt
sed eos insequuntur Mauri: vnum intercipiunt, fu-
stibusque internecant impactis: duo præteruolante
Granatam attingunt, & non minori pompa instruct
catechismo, sacro sunt Baptismate abluti: ex his vnu
ad fratrem inuitantes scripsit litteras, vt eiusdem
vellet fieri sortis compos: qui diuini spiritus inflam
matus igniculis, fugam arripit, sed præoccupatur a
Mauris; fustes minantur vsque ad necem incutien-
dos, nisi ad perfidiam regrediatur paternam: ille
tamen semel concepti animi tenax, impijs restitit
monitis

monitis, donec quia præstanti erat genere ortus, securi percussus proprij sanguinis imbutus baptismate fuit.

Duplex est erecta Sodalitas nobiliũ & mercatorũ. Singulis festis diebus aliqui ex maturioribus ad ianuam domus meretriciæ assistũt, integrũ vsq; ad intempestam fere noctem transigentes diem, meditationi, lectioni, pijsque conferendis sermonibus vacantes, quo diuino plane artificio luxuriæ veneno infecti illuc confluentes arcentur, & scorta in officio continentur. Quidam è cõgregatione cum turpi pepigerat fœmina, ingenti promissa pecunia, vt nocte saltem maiori hebdomadæ proxima sese ab infami abstineret quæstu: pecuniam accepit, sed sponsionis oblita à lasciuienti nolebat egredi domo, sed dum dormiente ipsa ignis à lucerna conceptus est, qui manum recumbentis combusit, quo mirando illic se è turpi obsequio expediuit. Septingentorum aureorum accessio sacræ est facta supellectili, ædificioque inchoato vlteriores admouentur.

COLLEGIVM MARCENENSE ET Gaditanum, & Domus Probationis, Montellana.

IN Marcenensi Collegio septendecim fuere, Sacerdotes nouem, è quibus duo Grammaticæ præsunt scholis, septem Coadiutores rei familiari, duoque primis rudimentis pueros instituunt.

Gaditani Collegij sumptibus vixere quatuordecim, sex Sacerdotes, Fratres reliqui, è quibus Scho-

Scholasticus vnus primam susceptit grammaticæ classem, duo pueris edocendis incumbunt. Sacerdos è nostris Anglus egregiam præstat industriam ad Catholicam religionem reducendis eiusdem nationis mercatoribus, qui in hoc Gaditanum emporium confluunt, labori autem respondet euentus, nam præter complures adolescentes, quorum mentes Caluini errorum depulsa caligine, Catholicę religionis sunt splendore suffusi, viri maturi duo ad veritatem sunt adducti, quorum alter post longam cum Patre disceptationem, humiles tandem manus veritati permisit.

In Collegio Montelano duodequinquaginta vixere, Sacerdotes nouem, è quibus tyrones duo. Tredecim adiutores veterani, Scholastici septemdecim; Adiutores nouem tyrocinium subeuntes. Vltimum spiritum excepit Collegium hoc Patris Ioannis Martines spiritualis adiutoris, septuaginta septem annos nati, & Fratris Bernardi Caro, dum vigesimum tertium ætatis, & tertium ageret probationis annum. Plenus est in scholis addiscentium numerus. Grammaticæ illis præcepta tradunt sacerdotes duo: scribendi & legendi rudimentis imbuunt totidem Fratres.

COLLEGIVM ASTIGITANVM:

IN Astigitano Collegio duo & viginti egerunt, Sacerdotes nouem, Scholastici sex, reliqui rebus studient domesticis, Sacerdos conscientiæ explicat casus, alter Philosophiam, duoq; & Scholasticus frater ad grammaticam & eloquentiam adolescentes instituunt. Magna huic Collegio continentium

ædium

ædium acceſsio facta eſt, quas ſibi adſciuit, vt & illis prioris domus laxaret anguſtias, & templum ſatis idoneum extrueret; ad cuius ſtructuram nobiliſsima Collegij fundatrix ex ſuis redditibus bis mille ſexcentos ſcutatorum impendit, impendetq; quod reliquum ad vltimam templo manum imponendam, fuerit neceſsarium.

COLLEGIVM VBETENSE ET Cazorlanum.

OCto in Collegio Vbetenſi verſati ſunt, Sacerdotes quatuor, fratres rei familiaris miniſtri, totidem. Vetuſta inter quatuor nobiliſsimas familias odia compreſsa, exquibus vniuerſę Vrbi miſera impendebat ſtrages, vtpote incolarum animi ſunt ad armacapeſsenda procliues. Ex anni ſuperioris ſterilitate fames exorta hanc vrbem eſt adeo violenter aggreſſa, vt ipſius procellis fuerit obruta multitudo, ſed Societas tantam calamitatem pia ſuorum induſtria ſubleuauit, quatuor millibus octingentis ſubuenit pauperibus.

Habuit Collegium Cazorlanum ſexdecim Socios, Sacerdotes octo, è quibus vnus cum Scholaſtico fratre ſcholarum Grammaticæ curam gerit, reliqui Adiutores, duo ex quibus pueros ad ſcribendum legendumque informant. Diem obiere ſuum P. Martinus Abreu natione Gallecus, & Fr. Ioannes de Queſada domo Vbetenſis, Adiutor, in quorum vicem ſuffecti ſunt duo. Rei familiari acceſsêre denuo bis mille quingenti aurei, à duobus teſtamento addicti. Noſtrorum ſpiritus in miſerijs proximorum

ſubleuandis ſeſe affatim explicuere. Famem anni
præcedentis grauiſsimus ſubſequutus eſt morbus
qui per oppidum ita graſſari cœpit, vt vulgaris iam
cenſeretur lues, deſerebantur ægri, nec erat qui
multis fruſtulum porrigeret panis, ſed Societatis
charitas eos ita deſtitutos excepit, vt & corporibus
& animis ſtipem conferens, ad ſui admirationem &
exemplum oppidum excitarit. Conuictus ædes
ſatis laxatæ ſunt, continuerunt que plures ſolito a-
doleſcentes, qui eximiæ virtutis & doctrinæ ex-
emplis reliquis affulgent ſcholaſticis. Virginis So-
dalitium ſua item habuit Sodalium incrementa, qui
ſeſe vſitatis exercuerunt munijs.

COLLEGIVM TRIGVERENSE.

COllegium Triguerenſe decem & ſeptem tenet
Socij; Sacerdotes octo, Fratres Adiutores no-
uem, quorum vnus primorum elemẽtorum Scho-
læ præfectus eſt; alter faber ferrarius totius Pro-
uinciæ. Animam efflauit F. Michael Sanches Coad-
iutor, omnibus religioſis virtutibus, ſilentio potiſſi-
mum, obedientia, & ſingulari quadam comitate
conſpicuus. Magno Duces de Beiar erga Societa-
tem afficiuntur amore, duciſſa potiſsimum, quæ
noſtris quendam ſibi Confeſſarium adiunxit,
magno cum totius aulæ fructu, nobiles enim
famulæ quantumuis delicatæ ſeſe cre-
brò flagris cædunt, apprimunt-
que cilicia.

COL-

COLLEGIVM MALACITANVM.

IN Collegio Malacitano ſuam operam poſuerunt tres & viginti Socij, octo Sacerdotes, ex quibus vnus cum fratre quodam Scholaſtico Grammaticæ adoleſcentes præceptis erudiunt, reliqui ſunt in domeſticis miniſterijs adiunãtes. Denuo adſcripti ſunt Societati Scholares duo, & familiaribus munijs addicti tres. Diuino adſpirante numine duplex eſt conflata Sodalitas ; ex nobilibus vna , ex opificibus altera; ex vtraque mirus pietatis odor erumpit. Singulis hebdomadis precarios bini colligunt cibos , vinctosque quotidie reficiunt ; Xenodochia benefici frequenter inuiſunt, ægrotanteſque omni recreant genere pietatis, eos autem quos ab eleemoſyna mendicanda pudor abſterret, præſentiſsimis anteuertunt ſuppetijs, quibus multorum criminum eſt anſa præciſa, fœminarum præcipuè, quarum honeſtas ruinam minitabatur. Anglus ex noſtris Sacerdos ſeptem eiuſdem gentis mercatores ad Catholicæ fidei deflexit veritatem.

COLLEGIA FRAXINETENSE, BIAcenſe, Quadixienſe, Seminarium Anglicanum.

TRedecim numerauit Collegium Fraxinetenſe, Sacerdotes ſex, Fratres ſeptem, ex quibus tres Philoſophiæ operam dant. Sacerdos alter Madriti Collegij ſumptibus alitur. Scholaſticus Frater ex humanis exceſsit. Cum morbida huic oppido ingraueſceret lues, quæ plurimis vitam violenter eripuit, ſpiritualia ex hoc Collegio præſentiſsimè ſug-

gesta sunt medicamina, quo oppidanorum maximè sibi societas conciliauit affectus. Sacerdos quidam è nostris Confessionem fœminæ lethali morbo correptę excepturus adijt, eam loquendi aditu interclusam, ac propè iam reperit desperatam, ad diuinas cõfugit preces, & B.P.N.Ignatij effigiem capiti morientis adiungit, ad cuius tactum ferè recepit animam, ac confessa est. Duo item è nostris animi causa secedebant in agrum, ad quorum aures clamor appulit miserabilem quendam se laqueo stringentem prohibentium, illuc illicò gradum obuertunt, implicitum laqueo collum adspiciunt, temeritatis causam exigunt, dæmonem sibi Æthiopis specie respõdit apparuisse ad tam immane facinus incitantem, funem sparteum eximunt, rosarium inserunt, & in Collegio Confessione expiatum sibi restituunt.

Decem Sociorum numerus in Collegio Biacensi fuit, trium Sacerdotum, septemque Fratrum res domesticas curantium. Obiere ex illis duo, tresque ipsorum loco Scholastici sunt substituti, qui nõ mediocrem nobis excitarunt spem, ac licet Collegium in maximas rei familiaris angustias, in breuemque fuerit Sociorum numerum deuolutum, plurimos se in laborando præstitere. Duplex erecta Sodalitas est, nobilium, vniuersitatisque doctorum vna, opificum altera, vtraque tam impendendis, quam corrogandis eleemosynis vacat, ad vinctos inopes alendos, ipsorum causas expediendas, & æs alienum dissoluendum. Xenodochia frequentant, ægrotis lectulos sternunt, pedes abluunt, vngues amputant, ciboſque lautè conditos ministrant.

Rem

Rem Guadixiensem duodecim è Societate curarunt, Sacerdotes quinque, septemque Coadiutores Fratres, ex quibus Sacerdotes duo Grammaticæ, Fratres totidem elementorum Præceptores agunt.

Aluit Seminarium Anglicanum decem ex Societate, Sacerdotes quinque, Coadiutores totidem, Alumnos 35. Nouem famulos. Sacerdotes Angli sedulò incumbunt hæreticis, qui ex Anglia in vrbem Hispalensem cum mercibus commeant, ad Religionem Catholicam redigendis, & reductis in officio continendis. Obeunt carceres, vinctos reficiunt, laxari curant, ægrotantes in Xenodochijs recipi student: quæ industria octo Romanæ peperit Ecclesiæ, quorum vnus grauissimo resipuit morbo, & ingenti animi lætitia vltimum edidit spiritum. Iidem fidei censoribus non contemnendam subministrarunt operam, venenatis Hæreticorum libris correctionis spongia eluendis, alijsque ad sacrum illud tribunal spectantibus. Alumni illustrissima & literarum, & virtutis specimina prætulerunt, Societatisque ineundæ permulti inflammati sunt desiderio. Ad Tyrocinium emissus est Sacerdos, de quo egregiam concepimus spem: Sacerdotes duo excursum in Angliam fecerunt.

ANNVÆ LITTERÆ PROVINCIÆ SARDINIÆ SOCIETATIS IESV Anni 1606.

SOcij hoc anno in Sardinia fuêre triginta quatuor supra centum. In Collegio Sassaritano quadraginta duo, Patres viginti, & ex his Magistri sex, Scholastici vndecim, & ex his duo Magistri, reliqui rerum domesticarum administri. In Calaritano quadraginta octo, Patres decem & octo, ex quibus Magistri quinque, Scholastici decem & nouem, & ex his Magistri duo, cęteri Coadiutores. In domo Probationis Calaritana sex & viginti, Sacerdotes tres, totidẽ Scholastici, qui in tertia Probatione versabantur, Scholastici Tyrones vndecim, Coadiutores veterani quidem nouem, Tyrones verò circiter tres. In Collegio Vallecclesiensi vndecim, Sacerdotes quatuor, Scholasticus vnus, isque Magister, reliqui Coadiutores. In Algarensi nouem, Sacerdotes quatuor, & ex his vnus Magister, Scholasticus vnus, isque Magister, cæteri Coadiutores. Abijt vnus è vita: vndecim in Societatem aggregati sunt.

COLLEGIVM SASSARITANVM.

NOui templi futuræ professæ domus ædificium eò perductum est, vt vnus, isque supremus, ac medius tholus superfit imponendus, vt toti operi extrema

extrema manus accedat: quod Deo benè iuuante videbit insequens annus. Beneficium hoc Illustrissimo debemus Ampurienſi Episcopo, cuius tanta est erga nos & beneuolentia, & liberalitas, vt ad summa peruenisse videatur: pietatis autem eius argumentum est huius Templi domusque institutio, vnde tãtus ac tam copiosus fructus expectatur in animarum salutem redundaturus, quantus ex nostris professorum domibus, pro nostrorum munerum ratione, colligi solet. Scholasticorũ numerꝰ ita creuit, vt infima Grammaticæ Schola in duas fuerit diuidenda: atque idem in prima Classe Grammaticæ, & in schola litterarum humaniorum ac Rhetoricæ fieri optimè posset, cum discentium multitudo adeò numerosa sit, vt singulæ Scholę centenis quadragenis quinquagenisque discipulis contineantur, quorum ardor ad studia magnam, & ingenijs parem in animis æmulationem accendit.

APPENDIX AD COLLEGIVM Sassarianum.

OBijt hoc anno Frater Ioannes Brauus Hispanus Theologiæ alumnus, magnæ expectationis adolescens, qui & acri donatus erat ingenio, & pari conatu ad litterarum, & probitatis vitæ studium incũbebat. Cæperat olim ex fracta pectoris vena vomere sanguinem, sed cum adhibitis remedijs sisti non potuisset, lento morbo interijt: quo in morbo non leuia nobis reliquit patientiæ documenta.

Cum annona valde cara esset, nec ad emendũ frumentum nobis peccunia suppeteret, multorum ci-

uium liberalitas ad centum modios contulit ad noſtram inopiam ſubleuandam, præter totidem alios, quos Senatus quotannis conferre ſolet.

Cuiuſdam tyronis vocationi illa addenda ſunt. Is à quodam in quem fortè incidit, cum de nulla re minus, quam de inſidijs cogitaret, auertitur abitinere. Exiſtimabat noſter eum eſſe itineris comitem, quo cum de diuinis rebus ſermonem miſcuit: ſed cum longius ab inſidiatore deductus eſſet, & flumen eſſet traijciendum, inſidiator habenis equi, quo vehebatur noſter, apprehenſis: Deo, inquit, age gratias, Pater: Domo egreſſus obibam loca, vt te ad necem quererem, ſed parco: dixit enim Deus, nolite tangere Chriſtos meos: caue, ne in alios incidas, qui cum eodem, atque ego, conſilio per diuerſa loca vagantur: neque à me tibi vitam eſſe condonatam indicaueris, mihi enim vitam eripient, ſi hoc reſciuerint. Hęc cum dixiſſet, noſtrum & reduxit in viam, & dimiſit incolumem.

Alius Adoleſcens Sartor ex Sodalitate Adoleſcẽtiũ externorũ, qui nõdum vxoribus alligati ſunt, in noſtrã Familiam translatus eſt. Quidã alius Scholaſticus ille quidem cooptatus eſt in noſtram Societatem: & huic multa erat non ignobilium propinquorum cognatio; cum Calarim ad Tyrocinium diſceſsiſſet, & Sacerdos quidam de noſtris inſequenti, aut altero poſt die, ad eum aſſequendum profectus eſſet, vt probationis domum deduceret, ecce in itinere inter ſyluas, in hominem incidit ſclopo armatum, qui, & alij non pauci armis inſtructi per diuerſa loca vagabantur, eo conſilio, vt noſtrum Sacerdotem occiderent, & ſecum, ſi poſſent, Adoleſcen-

lescentem asportarent. Sed humana consilia cessêre diuinis, nam & huius armati hominis mens immutata consilium necis abiecit, & noster Sacerdos dimissus incolumis in aliorum armatorum neminem incidit: quare factum est, vt & Sacerdos noster, & Tyro incolumes Deo duce peruenerint Calarim.

Bacchanalium tempore tantus fit ad nostrũ templum sexus vtriusque concursus ad expianda peccata, & sacrum pabulum percipiendum, vt templi angustijs magna multitudo non capiatur. Cuius rei tanta est celebritas, vt iam Bacchanalium furor frangi paulatim & extingui videatur. Qua de re licet quotannis multa dicantur, tanta verò ad eam confluit multitudo, & tantus est omnium applausus, vt res noua semper esse videatur. In hac Ciuitate sic more comparatum est, vt nostri ægrotos adeant & inuisant, vt nullus sit angulus, nulla fermè sit domus, ad quam & à nobilibus, & ab ignobilibus non accersantur ad ægrotorum confessiones audiendas, & ad eos, dum è vita discedunt, benè iuuandos. Quod officium sic probat Deus, vt aliquandò ægroti & corporis & animi salutem assequantur. Quidam cum grauiter iaceret, ab vno de nostris Sacerdotibus inuisus, & recreatus, ac per sacram confessionem Deo reconciliatus, pronuntiato supra caput eius Euangelio (vt nostrorum est mos) iam tum à febri omninò relictus est, & ad pristinã salutem restitutus. Nec minor erga alium fuit Dei beneficentia, & misericordia. Biennium fermè erat, cum quidam vnà cum filio maiore natu erat occisus, alius, qui relinquebatur, ad patris & fratris iniurias vlciscendas intentissimus erat, nec solùm ipse, verum

nec eius mater de danda venia cogitabat, immò vterque aduersus interfectorem studiosè iudicium vrgebat. Ecce in morbum hic incidit adolescens, qui autem eum inuisebant, cum vererentur, ne cum eo odio ex hac vita migraret (propè namq; abesse à morte videbatur) eum admonere & adhortari conabantur, vt sacra peccatorum confessione animum expiaret: renitebatur ipse semper, nec eius rei fieri mentionem patiebatur. Quidam igitur misericordia ducti vnum de nostris Sacerdotibus accersiuerunt, quem obsecrarunt, vt eius animam Deo lucrari studeret: existimabant enim rem fore difficilem, cum adolescens in vltione animum obfirmasset, & negare veniam pertinaciter decreuisset. Admonent nostrum, vt ad ægrotum dissimulanter accederet, ne ille eum esse accersitum intelligeret. Diligenter igitur, vt par erat, eius domum noster accurrit, & cum ad ostium domus peruenisset, eum extemplò conspexit ægrotus, ac magna cum celeritate surrexit in lecto, & quodam terrore perculsus, & clamans: Ecce, Patres, ait, nolo eos accedere, nolo confiteri: sic autem clamans, & fusus in lacrymas, se in sindones penitus abdidit, cum illi tunc aliud non liceret: nec se ostendi patiebatur seipse perturbans, & quam maximè posset, recondere nitens, instar hominis à malo Dæmone obsessi, cum exorcismi pronuntiantur, crucem & aquam lustralem fugientis. Eius animum noster mitigare sensim cœpit, donec victus ex sindonibus paulatim caput exeruit, & continenti oratione lenitus est: Noster ergo cum se discedere velle simulasset, Euangelium & orationem pro salute ægroto impetranda pronun-

pronuntiauit, quæ piè pariter & attentè audiuit adolescens: cui noster, bonum esse, si se ad peccatorum confessionem compararet: tum ille se id facturum esse respondit: nec mora, statim confessionem iniuit, quam ita piè ac studiosè peregit, vt si multis antè diebus ad eam se comparasset. Confecta confessione Patrem obsecrauit, vt iterum & sæpè ad se inuisendum rediret: si quid fortè confessioni addendum occurreret: se velle optimè Deo reconciliari: atque ea veri doloris peccatorum argumenta dedit, vt eos qui aderant circumfusi, in admirationem rapuerit, cum adeò immutatum viderent, quem antea omni conatu & studio reclamantem, & obnitentem animaduerterant. Cuius mater cum tribus circiter post diebus morbo correpta esset, filius ei persuasit, vt suas rationes Deo committeret, ad eius fidem & tutelam, & ad peccatorum confessionem confugeret. Pio filio paruit pia mater, & suam voluntatem ad diuinam accõmodans, eidem nostro Sacerdoti accersito peccata confessione aperuit, & magna cum omnium approbatione veniam ei dedit, qui marito & filio mortem intulerat. Nec minus in eo, quod sequitur, diuina vis cernitur in iniurijs condonandis. Cuidam primariæ fœminæ tres filij, quos tantum habebat, familiæ spes, atque vnus frater, iuuenes omnes, & in ipso ætatis flore necati sunt. Hæc duorum annorum spatio adduci non potuit, vt iniuriam concederet inimicis: imò cum lacrymis à iudicibus flagitabat, vt interfectores, qui non pauci erant, punirentur: ac ipsa cum suis alioqui agebat, ita se gererent, vt iniuria satis vindicaretur. Et cum in hoc consilio animum ob-

mum obfirmasset, denique duobus post annis per vnum de nostris Sacerdotibus est perfectum, vt inimicis ignosceret: quæ iam tum accusationem vrgere destitit. Huius fœminæ soror, quæ non minorem doloris sensum ex huiusmodi necibus hauriebat, non minori cupiditate vltionis erat accensa, & in eam non segniori studio incumbebat, pium idem veniæ dandæ consilium est sequuta. Quidam alius fustis ictibus malè mulctatus in foro palam, pertinaci animo Confessione, atque omni alio officio diù abstinere decreuerat, donec esset vltus iniuriam, nostrorum opera ad bonam mentem traductus est, & ex animo concessa venia percussori, Sacramenta, recta viuendi ratione instituta, frequentat. Magnus præterea fuit ex magno confessionum numero perceptus fructus, toto quidem anno, sed eò præcipuè tempore, quo Iubileum promulgatum est. Ad excitandum in animis omnium erga saluberrimum, ac diuinissimum Eucharistiæ Sacramentum studium, nostrorum consilio & opera erectum est Sodalitium in Templo maximo, cui Sanctissimi Sacramenti cognomen est datum, quod idem in reliquis quatuor parœcijs Vrbis factum est. Cum autem per concilij Prouincialis occasionem adessent Episcopi, voluerunt ipsi cultui tam diuino & vtili præsentia sua fauere, & initium dare: Immò sanctum hoc & laudabile studium æmulati, cum consilio idem in suis diœcesibus faciendi discesserunt: etiam per pagos Vrbi proximos, & Vrbes, idem fieri cœptum est, & spes est fore, vt breui huiusmodi Sodalitia per totam Insulam erigantur. Sodalitatis huius institutum illud est, vt singulis mensibus singulæ fiant in

quaque

quaque parœcia die Dominico ſupplicationes, in quibus ſacra Euchariſtia deferatur. Dies autem Dominici ita diſtributi ſunt, vt Dominico quoque die Euchariſtiæ ſupplicatio celebretur in Ciuitate: in qua videre licet valdè pium proſequentium ſtudium, & magnum accenſorum numerum cereorum, & facium. Illud præterea ad horum Sodalium munus attinet, vt, dũ ad ægrotos Euchariſtia defertur, eã aut ipſi, aut eorũ famuli cum accenſis cereis & facibus proſequantur: quod dum fit, cernere eſt iam famulos, iam ipſos heros ex domibus cum cereis & facibus prodeuntes ad Euchariſtiæ comitatum. Coactum eſt hoc anno ab Archiepiſcopo Turritano Prouinciale Concilium, & quo die pro eius initio facta eſt ab Epiſcopis ſupplicatio, vnus de noſtris Sacerdotibus perelegantem habuit orationem, perſonis & muneribus Epiſcoporum aptiſſimam. Huic concilio præter Archiepiſcopum, tres Epiſcopos, duos Abbates, & reliquam doctiſsimorum hominum, & curionum multitudinem, quidam de noſtris interfuerunt: ac eorum auctoritas, diligentia & induſtria in rebus omnibus commendata fuit: quo tempore Ampurienſis Epiſcopus apud nos diuerſatus eſt, magnis erga noſtram Societatem beneuolentiæ argumentis inſignis, cuius liberalitatem tum ſemper, tum etiam hoc tempore potiſsimum experti ſumus. Habitus etiam eſt in hoc Collegio Prouincialis Noſtrorum Conuentus, quo tempore non exigua fuit ciuium erga nos liberalitas, quæ ad centum aureorum ſummam peruenit. In aduentu Proregis ad hanc Vrbem datum eſt in noſtro Collegio drama perelegans. Theatrum

autem

autem erat vario tum poemate, tum etiam emble-
mate decoratum: quod antequam daretur, perbre-
ui oratione facta est eidem Proregi gratulatio. Nec
solum domi laboratum est, verum etiam foris, hoc
est, in pagis. Exciderat illud, ab Archiepiscopo Tur-
ritano, & à reliquis trib⁹ Episcopis suffraganeis datas
esse literas ad summum Pontificem de nostro B.P.
Ignatio in Sanctorum numero referendo, ante-
quam concilium dimissum esset.

COLLEGIVM CALA-
ritanum.

SOdalitas equitum, & virorum primariorum,
quæ paulatim labebatur, erigitur studiosissime,
& quidam eius numerum augent. Quo die felix in
cœlum discessus nostri B.P. Ignatij commemoratus
est, innumera in nostrum templum pœnitentium
multitudo confluxit, quod indè cõijcere licet, nam
in vno sacro, quod Pater Visitator fecit, amplius
quingenti sacræ mensæ accubuerunt. Neque om-
nibus ad confessionem paratis satisfieri potuit pro
confessariorum inopia. Tempore Iubilei maximè
nostris Sacerdotibus laboratum est, multis, præ-
puè eorum confessionibus audiendis, qui peccata
voluerunt à pueris commissa repetere. Voluit Ar-
chiepiscopus nostrum templum vnum esse ex iis
quę assignanda erant, vt Iubilei tempore adirentur,
ad quod ipse pontificio ritu vestitus in eadem sup-
plicatione venit, quæ reliquas omnes in hac ciui-
tate olim factas & pietate & frequentia superauit.
Sexies enim (tanta erat supplicantium multitudo)
templum ipsum repleri & vacuari oportuit. Appa-
lerum

lerunt huius Vrbis portum Melitensium triremes, ad quas Patres aliquot ire iussi fuerunt, vt Christianos remiges & consolarentur, & fidei præcepta docerent, & ad peccatorum confessionem adhortarentur. Quo officio ab equitibus illis Melitensibus magnam sibi beneuolentiam conciliarunt. Quare statim ad Collegium conuenerunt, & eorum multi apertis confessione peccatis, sacro conuiuio sunt excepti, & octiduo illo, quo in eo portu tenuerunt, quotdiebus ad Collegium, vt cum nostris agerent, ad eas conciones, quæ & in Sodalitio B. Virginis, & in templo haberi solent, audiendas concurrerunt. Vnde magno erga nos affecti studio discessere: nam vt ipsi aiebant, Societatem vnam esse omnino in omni loco compererunt. Quiddam accidit in cuiusdam Hebræi adolescentis conuersione historia dignum; quod vt clarius intelligatur, erit paulo altius & à capite repetendum. Venit in Collegium Hebræus adolescens duos & viginti natus annos, acribus febribus, & profluuio ventris laborans, adeo affectus, vt animam exhalare videretur. Collegium ingressus flagitauit, vt iuberetur accersi Pater is, qui cum huiusmodi gente agere solebat, quem ipse visum à se aliquando cum duobus Hebræis Magistris disputare cognoscebat. Accurrit noster, quem vbi ille conspexit, cum lacrymis & magno cum studio per Christum obsecrauit, vt se sacro baptismate ablui iuberet, antequam huius lucis vsuram amitteret, (vt enim ipse fatebatur, à morte non longe aberat.) Ad preces & lacrymas suspiria accedebant ex intimo cordis emissa, & apprehensio manuum Patris. Rogauit Pater, quanam causa

de causa ad baptismα suscipiendum impelleretur: tum ille se suæ salutis cupiditate adductum, & ea certitudine, qua certò sciret præter Christi fidem & legem fieri nõ posse, vt ad hanc salutem aspiraret: id & se audiuisse, & sibi persuasisse partim miraculo quodam, quod suis viderat in terris, impulsum, quadam scilicet animaduersione, quam singulis diebus Veneris Maioris Hebdomadæ, experirentur Hebræi, cuius narrationem morbi grauitas impediebat: partim etiam internis aculeis agitatum, quibus non solum ad Christi fidem amplectẽdam permoueretur, verum etiam stimularetur, vt moram abijceret, quasi eo affirmare vellet se morti proximum esse. Confirmauit eum noster, & paulum sacræ fidei rudimentis instruxit: quamuis, ne nimium eum fatigaret, domũ suam redire iussit, facti spe futurum, vt breui voti compos fieret. Proficiscitur Hebræus ex Collegio, noster autem Archiepiscopum adit eius rei rationem redditurus, ac inde rectà domum Hebræi, quem, propter incommodi loci, mala passurum perspiciens, & simul veritus, ne ob eam causam eius vitæ dies minuerentur, egit, vt in sella quam quatuor homines sustinebant, deferretur in Nosocomium, quem ipse Pater cum aliis vrbanis viris prosequutus fuit. Quæ officia profuerunt, vt mentem in suscepto consilio confirmaret, & animos resumeret ad eam legem & fidem ineundam, quæ tantam doceret misericordiam. Acceptus igitur in Nosocomium, doctrina Christi breui eruditus est. Quia verò morbus vrgebat, & ardor atque conatus, quo baptismum ille flagitabat, sic augebatur, vt Physicorum iudicio vel vnus ille conatus satis

esset ad

esset ad eius spiritum breui extinguendum, ei parere necesse fuit. Sacro igitur baptismate, in quo iacebat lecto, lustratus est, multis, qui accurrerant præsentibus, atque adeò supra modum admirantibus, quanta cum pietate, quantoque cum studio Hebræus ille sanctissimum baptismi Sacramentum acciperet. His peractis voluit noster illum ea doctrina informare, quam de sacratissimo Eucharistiæ Sacramento Ecclesia Catholica docet. Quod vt commodius & efficacius faceret, longè & à capite repetens in memoriam ei redegit, quæ diuinæ litteræ in veteri Testaméto de magna Dei prędicát potestate, deq; ea virtute, quã ad miracula edenda quibusdã Patriarchis & Prophetis impertiuit, maximè vero Moysi, eiusque virgæ, in qua confitebatur Hebræus Dei latere virtutem. Excepit illico noster, Christum Sacerdotibus tribuisse virtutem, quæ in corporis oculos non caderet, & potestatem, qua conceptorum verborum formula pronunciata, panis vinique substantia in Christi corpus sanguinemque transiret, qui à fidelibus dignè sumptus eorum animos recrearet. Vt audiuit Hebræus diuini cibi nomen, sustine, inquit, Pater, scio hæc, quæ dicis: ac statim cum lacrymis, Pater mi, ait, per Christi sanguinem, hunc mihi præbe cibum, vt meum animum dies hic solatio cumulet: tum Pater, mox cum accepturum. Interim dum in templum ministri contenderent ad sacram Eucharistiam deferendam, cum vellet Pater rationem exponere, qua se ad eam accipiendam comparare deberet, miraculum narrauit Hebræus, quod alij cuidam Hebræo contigerat, qui cum curiosè inter Christianos, qui ad sa-

crum pabulum accedebant, se intulisset, & sacrum panem ipse quoque sumpsisset, instar duri lapidis hæsit in faucibus, quin demittere posset, donec ad Christi fidem conuersus sacrum Baptisma susceperit. Ad hæc pia quædam adiunxit verba, quibus beneficium indicabat, quod sibi fiebat à Domino. Ecce peruenium, qui sacram Eucharistiam afferebant, quam ijs recepit pietatis argumentis, vt præsentibus vim lacrymarum excusserit, septem autem post diebus in cœlum, vt speramus, est vocatus à Domino, cum in extremo spiritu maxima dederit doloris peccatorum, & ardentissimi erga Christum, eiusque sanctissimam legem amoris argumenta, quemadmodum, qui aderant, contestantur. Vndè apertum est, internos illos mentis impulsus, qui in flagitando, & maturando Baptismate extrinsecus apparebant, & quibus certò significare videbatur proximè adesse mortem, à Deo fuisse commotos, cuius misericordia illius animum ad salutem consequendã satis opportune huiusmodi motibus anteuertit.

Quidam cum præter consuetudinem (vt humanum est errare) se lapsum animaduertisset, in tantum sui pudorem, & animi ægritudinem est adductus, vt ob eam causam ad desperationem impelleretur à dæmone, & cum lacrymas continere non posset, ex suo pago aliquot passuum millibus remoto in Collegium consilij & remedij causa venit ad nostros; quod cum inuenisset, domum remigrauit ad pristinam animi æquitatem reuocatus. Experti sumus hoc anno ciuium liberalitatem: sed in eo genere Marchionissa Sorrensis fuit insignis, cum dederit peristroma, quod quingentis aureis æstimatur.

tur, ex holoserico rubro, & veste Damascena contextum, quo bona templi pars ornari potest. Huius liberalitatem penè æquauit Franciscus Georgi, cuius erga nos assidua beneficentia, largitus enim est & altaris, & sacerdotis ornatum, qui aureos valet amplius quadringentos, ex Attalica veste. Missi duo de nostris Confessionibus accipiendis, concionibus habendis, & Christi fide tradenda: aliquot pagos obierunt, quorum opera multorum inimicitiæ sunt extinctæ, & composita pax inter duos primarios viros, qui cum aliquot annos alienos à se inuicem animos gererent, totum populum offendebant. Corrogata etiam pecunia magnus egestate laborantium numerus est vestitus.

DOMVS PROBATIONIS CALARITANA.

PArs ædificij, quæ cœpta fuerat erigi, sic vrgetur indies, vt paucorum mensium interuallo Deo duce manus extrema sit imponenda: quæ vt probatur omnibus, sic nostris vsibus est maximè commoda. Tyrones vna cum ijs, qui tertium Tyrocinij annum ponebant, fictiles vrnas aqua plenas per æstatem frequenter in custodiam publicam comportarunt, non sine leuamine eorum, qui clausi & vinculis oppressi detinebantur, nec sine approbatione spectantium. Ad templorum ob anniuersaria solemnia celebrium aditus, eleemosynas ad sui demissionẽ petierunt. In Nosocomio & solatio fuere, & lætitiæ nõ exiguæ ijs, qui varijs morborũ generibus laborabant, domo verrenda, lectis cõponendis, doloribꝰ ægrotãtiũ apto sermone leniẽdis, & excitãdis animis ad similes labores inposterum perferendos.

ANNVÆ LITTERÆ PERVANÆ PROVINCIÆ SOCIETATIS IESV Anni 1606

PAtet hæc Prouincia Peruana simul cum duabus Viceprouincijs à nouo regno (vt aiunt) Granatensi, vsque ad Chilense, & Paraguaiense leucis amplius mille & ducentis. In Limensi Collegio nonaginta nouem habitant, Sacerdotes triginta, ex quibus tres sacram Theologiam explicant; vnus Philosophiam, Latinitatem & Rhetoricam duo, Scolastici quinque sunt & triginta, tres & viginti Theologi, philosophi septem, quinque Rhetorici, quorum vnus pueris explicat Grammaticæ rudimenta. Coadiutores triginta quatuor. In domo probationis nouem & quadraginta versantur, Sacerdotes quatuordecim, è quibus vnus Nouitius, decem post absoluta studia tertiam agunt probationem. Tres alij veterani: è fratribus quinque sunt Coadiutores, votis emissis duo tertium etiam agunt probationis annum. Nouitij Scholastici vnus supra viginti, Coadiutores septem. In Martiniano Collegio nouem, Sacerdotes duo, quinque Scholastici, duo Coadiutores. In D. Iacobi sede, duo Sacerdotes, cum totidem Coadiutoribus. In Cusquensi Collegio tres & viginti, Sacerdotes decem, Scholastici tres, duo Humanitatis, & Grammaticæ Præceptores, Coadiutores reliqui. Collegium Potosinum alit vnum & viginti, vndecim Sacerdotes,

cerdotes, quorum vnus Latinæ linguæ docendæ operam nauat, & nouem Coadiutores. Arequipense duodecim, Sacerdotes sex, totidem vno minus Coadiutores. Pacense Collegium quatuor sacerdotes, scholasticum vnum Latinitatis præceptorem, & sex Coadiutores. In Chuquisaquensi viginti manent, octo Sacerdotes, quorum vnus Aymaranam Indorum linguam, alter è scholasticis Latinam profitetur, septem Coadiutores. Decem & septem incolunt Chilense Collegium, Sacerdotes septem, vnus præceptor est Philosophiæ, Humanitatis & Grammaticæ magistri scholastici duo, quatuor Coadiutores. Nouem sunt in Huamangensi: Sacerdotes quinque, vnus Grammaticæ magister, quatuor Coadiutores. In Iulienſi sede decem consistunt, sacerdotes septem, Coadiutores tres. In expeditione Iucumana & Paraguaiensi septem cum vno Coadiutore sacerdotes discurrunt. A sanctæ Crucis statione quinq; sacerdotes & Adiutores duo, huc illuc dispartiti peruagantur. In Collegio Quitensi primo, & Viceprouincia noui Regni Granatensis viginti quinque numerati, terdecim Sacerdotes, è quibus duo casus conscientiæ, alter Philosophiam docet, Tyrones adhuc Societatis reliqui duo, Scholastici quinque, Theologus vnus, duo Metaphysici, totidem Grammaticæ ac Rhetoricæ professores, Coadiutores quinque, tres in tyrocinio versantur. D. Ludouici Seminario Quitensi vnus Sacerdos præest, cui duo Adiutores adiuncti. In Panamansi mansione sex habitant Sacerdotes, quorum vnus tradit Grammaticam iuuentuti, Fratres Coadiutores septem, quinque iam votis emis-

sis, quinque nondum exacto Tyrocinio. In Sanctæ Fidei sede decem & octo, Sacerdotes duodecim, è quibus Latinæ linguæ præceptores duo, Coadiutores sex. In Statione Carthaginiensi decem commorantur, sex Sacerdotes, Magister vnus Grammaticæ, Coadiuotres tres, vnus ad Tyrocinium admissus. Bini Sacerdotes, binique Fratres hoc anno sunt ad cœleste (vt speramus) regnum translati: quorum loco, octo & viginti se Societati spreto sæculo deuouerunt: è quibus Sacerdotes tres, Scholastici quatuordecim, vndecim Coadiutores.

COLLEGIVM LIMENSE.

COllegium hoc (cum domus professa desit) totius est Peruanæ Prouinciæ caput, nec non maximum, & vnicum Seminarium, in quo tum virtutibus, tum doctrinis, penè omnes nostri instituuntur. Quarum rerum hoc anno perillustre testimonium reddiderunt illius incolæ, præsentibus triginta & octo nostræ Societatis superioribus, & professis, qui huc ad Patris Procuratoris designationem ex locis disiunctissimis conuenere. Quibus omnibus admirationi maximè fuit nostrorum, tum in litteris & virtutibus magnus processus, tum ciuium ad nos confluentium, vt suæ saluti consulerent, incredibilis multitudo. Neque minus ipsi toto congregationis tempore proximis profuerunt. Crebræ enim conciones habitæ, & Confessiones plurimæ exceptæ, quibus percepti fructus vberrimi. Hoc anno domesticis laxatis angustijs reddita commodior habitatio: non pauca enim cubicula

bicula ædificata, quibus adiunctæ porticus quadratis, ex latere constructis columnis, atque arcubus ad perpetuitatem firmæ, & ad speciem magnificæ videantur. Iam de germanis Societatis muneribus. In litterarum studijs consuetus fuit rerum cursus, tribus scholis, sacra Theologia, vna Philosophia, tribus alijs Grammatica, Humanitas, ac Rhetorica pluribus auditoribus tum domesticis, tum externis plus quam trecentis, magno cum discipulorum fructu explicata. Quod Theologi Philosophique, pluribus assertionibus defensis sæpius ostenderunt. A Rhetoricis etsi totius anni decursu non semel, maxmè tamen in N.B. P. Ignatij, Stanislaique diebus lætissimè celebrandis, pietatis, ingenij, & eloquentiæ multis orationibus & carminibus egregium specimen datum. Tanta in Stanislaum omnium scholasticorum pietas, animique deuotio, vt illius imitandarum virtutum desiderio flagrantes, ex vna Rhetoricæ Classe duodeviginti sæcularem vitam cum Religiosa commutarint. Ex quibus non pauci in Societate recepti constantissimè perseuerant. Nec minor ex tribus Deiparæ Sodalitijs in hoc Collegio superioribus annis institutis, fructus perceptus. In Sacerdotali auctus numerus ad centum & quinquaginta, in quibus nonnulli maximo suorum animorum emolumento Societatis meditationibus mẽtem applicuerunt: è duobus alter Societati nomen dedit, alter familiam Franciscanorum, qui nudis incedunt pedibus, adijt. In Laicorum hominum Sodalitio, etsi nihil acciderit noui, antiqua tamen pietatis officia retenta, in quibus Sodales ita se diligenter exercent, vt cæteris præluceãt exem-

plo: sacris concionibus frequenter interſunt, haud exiguas pauperibus eleemoſynas erogant, crebra confeſsione expiatum maculis animũ cœleſti pabulo paſcunt. Nec eorum erga ægrotos miſericordia ſolito minor, ſingulis enim Dominicis diebus (vt de more eſt) Noſocomia inuiſunt, ægriſque bene conditis epulis reficiendis, ac omni ope iuuandis diligenter incumbunt. Externi etiam ſcholaſtici in ſuo Sodalitio præclara ſæpè moliuntur & præſtant. De puriſsimo Deiparæ conceptu celebrando per octo continenter dies (vt aſſolet) à Poetis Oratoribuſque præclarè, linguis calamiſque certatum, vniuerſo interim Scholarum impluuio mira poematum varietate, alijſque artis & ingenij opibus exornato. Præmia extremo die diſtributa, ac Dialogus datus, cui Præſes Regij Senatus ſodalitij patronus, alijque ſenatores adfuerunt, quod ſatis oſtenſum eo decreto, quo de nobis mira prædicant, indigenisque huius vrbis ſeuerè præcipiunt, vt ſingulis Dominicis diebus in noſtrum templum conueniant, Catecheſim à noſtris, ac de rebus diuinis concionem audituri. Quod tanti fuit ponderis ac momenti, vt intra paucos menſes inde plusquã ducenti ſceleratiſsimi à concubinis atque pellicibus ſint abſtracti, & à portentoſa compotatione ſint deterriti. Quidam concione Patris, de contritione verba facientis, ita in ſeipſum concitatus eſt, vt ſtatim propero gradu montem petierit remotiſsimum, atque ibi per octo continenter dies ligulis & inedia grauiſsimam egerit pœnitentiam: indeque reuerſus quæſito Patre, totius anteactæ vitæ crimina per confeſsionem eluerit. Alius etiam ex Indorum So-

dalitate

dalitate, audita Sacerdotis nostri concione, sic suæ salutis flagrauit cupiditate, vt domum nostram receptus, sua sartoris opera nostris vsib⁹ inseruiat, alteri adiunctus indigenæ, qui in domo Probationis iam plures annos inhabitat: maximo cum Indorum exemplo. Vterque igitur multũ temporis quotidiè in tacita oratione consumit, & octauo quoque die confessione præmissa, sacra Synaxi se munit. Alius ex Incarum, hoc est, Regum stirpe, vestem serici leuis cum sago pauperis commutauit, & parte capillorum detonsa (qui maximo sunt illis tum honori, tum ornamento) domum se nostram contulit summo diuino numini seruiendi desiderio, quod adhuc constantissimè præstat. Virtutis probatæ fœmina annum octogesimum agens frequenter se flagris acriter cædens, & aspertima vti solita veste, in nostroque templo quotidiè sacris assistens, vita functa suum in illo corpus voluit sepulturæ mandari, bis mille quingentis aureis testamento Societati relictis. Alia est erecta Sodalitas ex indigenis partim cœcis, partim morbo ad laborem impeditis: quod huiusmodi genus hominum vehementer sit otio, cibis ac somno deditum: atque adeò in summo versetur suæ salutis discrimine. His ergo (qui iam numerum quinquagesimum explent) cautum est, vt statutis temporibus confiteantur, concionibus interfint, singulisque diebus sub vesperum pro nostri templi foribus adstent ad Deum orandum, & pios hymnos concinendum, & ignaros indigenas nostræ fidei rudimenta docendum. Nullus dies præterijt, quin vnus è Sacerdotibus nostris Nosocomium Indorum inuiserit, cibosque delicatos, à viro quo-

dam pio liberaliter impartitos, pauperibus ægrotis detulerit. Ex quo ingens ægrotantium bonum peccatorum absolutione, emendationeque morum est subsequutum. Alius etiam est Æthiopum cœtus diu iam in hoc Collegio coniunctus, quod gens hæc (quæ quindecim millium numerum in Vrbe, & prædijs eius excedit) ob ruditatem & imperitiam, de animorum obtinenda salute vehementer periclitetur. Illis ergo singulari quadam ratione hoc anno consultum. Nam ab generali sedis Metropolitanæ Vicario, nobis precantibus, est decretum, vt vespere diebus Dominicis hora signata Æthiopes iuncti ad Vrbis templa conueniant, quo nostri scholastici dispertiti coeuntes Christianam illos doctrinam edocent. Deinde his miseris est prouisum puerorum Æthiopum institutione: die quouis Dominico huc plus quam ducenti concurrunt, summo desiderio fidem nostram addiscendi, quam postea domi suæ grandioribus natu explicat. Quare ex eorum mentibus ignorantiæ discussa caligo, multaque scelera ab illis non raro perpetrari solita, è medio sublata, meliori viuendi ratione susceptâ. Argumento sit Æthiops quidam, qui cum ægrotaret, à sensibus aliquandiu abstractus, ad se tandem reuersus, Beatorum plures se conspexisse, & illorum aliquos agnouisse dixit: Archangelum potissimum Michaelem. Suæ etiam mortis horam prædixit, aliaque plura tanta proprietate ac viuacitate narrauit, vt satis clare veram esse visionem appareret. Quos autem fructus ex concionibus ad Hispanum populum habitis Societas nostra collegerit, si singula velim referre, longior sim necesse est.

Qua-

Quapropter pauca de multis attingam. Sceleratus quidam, diu iam in malorum profundo demersus, tametsi diuina bonitas, vt inde emergeret, porrigebat opem, adeo, vt in solitudine frigoribus, atque gelu miser penitus conglaciasset, nisi repente tugurium apparatum sibi cœlitus reperisset: ipse tamen resistebat, donec multis Sacerdotis nostri concionibus è fœdissimo luto emersit. Alium Deus Sanctissimus, qua est in homines bonitate, in concione cuiusdam è nostris, vt nuncium mundo remitteret, euocauit, ipse vero quasi sagitta confossus grauissimè doluit; ac ne iterum tali voce premeretur, iurauit se nequaquam deinceps illum concionatorem auditurum: sed pœnituit hominem pessimi iuramenti, atque iterum eundem Patrem de bono statu Religionis dum auscultat, constanti mente decernit, sacrum illum statum tota sua vita complecti. Attamen iam eum ad Religionem gradientem duo penitus ignoti homines, ad pugnam ineundam prouocant, & malè fustibus cœsum derelinquunt: qua iniuria susceptа protinus mentem mutauit, sed rursus audita concione, noluit amplius diuinæ vocationi resistere, & religionem ingressus, adhuc immota mente persistit. Alius ter clarè vocem percepit, qua cuidam è nostris expresso nomine crimina sua detegere iubebatur: quare voci cœlesti assensus est, incredibili animi gaudio. Liberatus est à morte Eques nobilissimus nostri Sacerdotis hortatu suasuque, quam Sabbato hebdomadæ sanctæ quidam improbissimus, acceptis ducentis aureis, facere destinarat. Duæ excursiones quotannis ex hoc Collegio fieri solitæ, incredibilé hoc anno fructum retulerũt.

lerunt. Prima ad portum duarum ab hac vrbe leu-
carum interuallo, Callao nuncupatum. In illo ere-
ctæ duæ congregationes, altera Hiſpanorum, Indo-
rum altera. Prima ſub inuocatione & patrocinio
Virginis Lauretanæ, cuius Præfectus eſt deſignatus,
qui & præcipuus Peruanæ claſsis: atque in illam
cum Parocho, & nobilioribus oppidi frequens po-
pulus receptus. Primum Sodalitij ſolemnẽ diem in-
ſolita pompa Sodales omnes peregerunt, adhibi-
à templo maximo ad noſtrum vſque celebri ſuppli-
catione omnium Sodalitatum inſignibus exornata.
Pater Rector Limenſis illa die ad populum verb
fecit, mira omnium approbatione. Altero die Dom
nico Sodales omnes cœleſti pane refecti: atque
animum in nos gratiſsimum pro tanto bono ſu-
cepto maioribus pietatis officijs compenſarent,
per totum Quadrageſimæ tempus, illuc duos Sa-
cerdotes cum Fratre miſsi, qui populum Societat
noſtræ maxime deditum, exhortationibus exem-
plis, concionibus, ſpontaneiſque verberibus, qui-
bus ſe ſingulis hebdomadis in noſtro templo ple-
ctunt, adiuuarent. Ergo vitia maxima diu iam inſita,
radicitus auulſa: inueterata odia inter Principes vi-
rospenitus ſublata. Altera Sodalitas Indorum ere-
cta ſanctiſsimi pueri Ieſu deuotioni addicta, maxi-
mos quotidie in virtute progreſſus facit. Singulis
diebus Dominicis duo illuc Fratres mittuntur: vt
tàm Indi, quàm Æthiopes (quorum eſt maximus
numerus) de noſtræ fidei initijs doceantur: ex quo
ipſi ſummam vtilitatem percipiunt. Secunda expe-
ditio in Villam, & Conuallem Ichenſem, quàm-
plura commoda illarum habitatoribus attulit. In-

uenit

uenit enim Pater cum Scholastico nostro missus, plures indigenas, qui nec Cruce faciem consignare in tota vita didicerant, tunc tamen diligenter edocti, & sacra confessione criminibus expiati. Senex quidam octogenarius alijs præibat exemplo, quippe qui algens, ac tremens cum ipso lucis exortu ad fores veniebat Templi, vt Catechismum percipere. Vidit sacerdos noster in quodam vico parochũ duos pueros baptismate sacro initiantem, idque ampulla sacris inseruiente: accessit illuc de facto dubius, & infantes reperit ablutos vino: itaque errore comperto, iterum sacro fonte lustrati. Duo è nostris hoc anno ad cœlum, vt confidimus, emigrarunt. Primus Pater Didacus Cuenca solemnibus quatuor votis emissis, anno septuagesimo vitæ, & trigesimo septimo in Societate completis, insignis ob naturæ dona, insigniortamen ob dotes animi: Indorum conuersioni maximè deditus, iam grandæuus linguam Indicam vniuersaliorem didicit, & optimè tenuit: asperitas, ieiunia, verbera, & cœlestium rerum contemplatio in illo continua fuere: & tandem vt patientia perfectus euaderet, vehementi, longoque morbo correptus, post annum animam egit. Breuius, celeriusque vitam reliquit miseram, Frater Antonius Farfan Scholasticus, qui vigesimo primo anno ætatis, & secundo ac duobus mensibus in Societate expletis, propter virtutes, quas breui comparauerat maximas, extinctus apud omnes sui desiderium reliquit. Tanta est fama virtutum, rerumque mirabilium, quæ ad nos de Beatissimo nostro Ignatio quotidiè perferuntur, vt etiam in ijs remotissimis mundi partibus in ipsum

pietas

pietas & religio in dies magis augeſcat. Narrantu
aliqua mirabilia, ſed quia communia, prętereo. Atq
vt res huius Collegij finiam; hoc anno primum in
dicta eſt ſupplicatio in horas quadraginta diſtinct
quæ ampliſsima conceſsione gratiarum à ſumm
Chriſti Vicario Beatiſsimo Paulo quinto facta, v
nullus, omnium opinione, ſolemnis dies, poſtqu
hæ Prouinciæ habitari cæperunt, lætior & illuſtrio
fuerit. Tanta vis hominum ad noſtrum templu
confluxit, vt non Bacchanalium tempus, ſed hebd
mada ſancta videretur: exornatum erat templu
aulæis ſericis, & ſacris imaginibus mirè depictis, tu
quæ Sanctiſsimi Chriſti vitam exprimerent, tu
quæ Beatos noſtros, & Martyres oculis ſubijcer
Ara maxima fulgebat ſanctarum Reliquiarum
genteis, aureiſque thecis, admixtis multis lumi
bus ſuper candelabra ex argento, miro opere pe
fecta, & inter maximam herbarum, florumque v
rietatem ſummo ordine collocatis: huc accedeb
thymiamata, aromata, vaporariaque, totum tem
plum ſuaui quodam odore complentia; quæ omn
ingẽtem, & ſenſibus voluptatem, & animis affer
bant pietatem, & religionem. Hoc igitur appara
commoti homines, relictis fœdis delitijs, ad cœl
ſtes properabant, atque is erat omnium ardor, v
multi non hora ſolum vna contenti, quæ cuique
orandum præfiniebatur, longiora etiam interua
requirerent. Confitentium numerus ex omni ho
minum genere penè innumerus, & eorum qui
ſacram Euchariſtiæ menſam acceſſerunt, in noſtr
templo ferè bis milleſimum attigit; eademque fu
in alijs totius Vrbis templis pœnitentium, ſeque
ultra

uinis epulis reficientium; frequentia. Habitæ à nostris Sacerdotibus tribus illis diebus sex conciones, tanto animi conatu, vique verborum, vt mentes audientium ad sese facilè raperent. Quapropter vehementer confidimus fore vt quotannis magis ac magis hi solemnes supplicationum dies maiori deuotione colantur. Sed de Regum Collegio hactenus, nunc ad alia veniamus.

DOMVS PROBATIONIS LIMENSIS.

Cum duodecim annis hæc domus in Diui Iacobi sede extra Vrbis mœnia constitisset, hoc anno ad commodiorem propinquioremque locum intra muros suum mutauit domicilium. Iuuit hanc migrationẽ Domin⁹ Antoni⁹ Correa huius domus fundator, viginti & octo millibus ducatorum, ex quadraginta duobus millibus, quos promisit, statim liberaliter impartitis: est enim vir cum ipsâ nobilitate maximam probitatem, modestiam, & animi summissionem coniungens; vt præclara signa dedit, cũ primum D. Antonio Abbati sicut noui templi Patrono, Societas in hac domo lætissimum diem egit. Cereum namque Fundatoris sibi, vt mos est, collatum, ad maximam aram remisit: inuitatusque Crucis osculo inter sacra solemnia, terram ipse est osculatus: tantus denique eius in nos amor existit, vt semper occasiones quærat illum nobis significandi. Itaque duas nouo templo Cruces ad altaris exornationem, quarum altera ducentis, altera quingentis aureis constat, munificentissimè condonauit: & quotidie

tidie ab illo maiora expectamus beneficia. Accesse-runt ad Societatem optimæ indolis & expectatio-nis Scholastici quatuordecim, ex ijs vnus Regij Se-natoris frater: à quo multa illustria munera non frustra sperare poterat, sed spem huiusmodi maior alia gloriæ sempiternæ deuicit; Fraterque noster effectus est. Sacerdos etiam Theologus iuris vtriusque peritus, ac totius Metropolis Visitator, graui fe-bri laborãs, sese Deo voti sponsione constrinxit, & vt primũ potuit, se domum nostrã recepit. Quidam præterea Cantaber, homo potens & locuples, suarũ diuitiarum dimidium ad directionem Collegij no-stri in sua patria, non procul à B. nostri Ignatij natali-tijs, elargiri decreuerat, cum tamen meditationi-bus Societatis dies aliquot animum applicuisset, di-uino numine collustratꝰ, nostris est associatus. Tam hi, quam Tyrones alij præclara virtutis opera præ-stant, atq; omnium oculis vt lumina splendidissima lucent: ita suis imperant cupiditatibus, iam dum publicè, in triuijs & compitis, mendicorum amictu stipem colligunt: iam dum mensas Nosocomijs in-seruiunt, iam dum admixti pueris nostræ fidei sum-ma capita canũt, & alia abiectissima munia libenter exercent. Sed de probationis domo satis.

COLLEGIVM SEMINARIVM D. Marini.

QVi è nostris in hoc Collegio consistunt, in insti-tuendis & gubernandis centum & triginta Collegis, tempus omne consumunt. Illud nouum & scitu dignum, erectum ex ipsis Collegis pium rel-

religiosumque sodalitium Lauretanæ Virgini dedicatum, cuius sacellum in interiori Collegij parte, eadem qua Lauretanum ipsum mensura, & omnino ad illius exemplar conditum. In hoc Sodalitio recipiuntur summo delectu collegæ ætate iam prouectiores: suũ exornare sacellũ minimũ est quod præstant, duo pietate Virginis allecti, prius tapetibus sericis eius parietes induerunt, quàm tale ornamentum fieri à quopiam intelligeretur. Sed præcipuè operam nauant in diebus cœlestis Reginæ sacris, eius maximè Annuntiationis, Natalitiarumq; summa tum veneratione, tum concentu vocum, instrumentorum atque neruorum concelebrandis. Quauis die Dominica commissa sacerdoti detegunt, singulis mensibus nosocomia inuisunt, per hebdomadas distributi, aliaque pietatis munera lubenti animo præstant. Quidam præterea collega suis sumptibus Angeli Custodis pulchrè depictam imaginem ad latus alterum aræ maximæ collocauit, quæ alteri B. Ignatij penicillo mirè expressæ responderet. Itaq; hac occasione sodalitium alterum Custodis Angeli inter collegas impuberes erectum, ijsdem religiosis officijs, quæ iam retulimus se totos alacriter deuouent. Quapropter Deus Optimus Maximus plures illorum indies singulos ad sacras familias eligit, quibus Religiosa cœnobia mirificè gaudent, quoniam virtutibus dediti onera religionis grauissima nulla difficultate suscipiant. Inter illos probitate, litteris, ingenioque præstantes Societati nostræ duodecim adscripti.

SEDES S. IACOBI.

HOcanno res Christiana summopere amplificata, primum concionibus frequenter habendis, ex quibus perceptus vberrimus fructus. Indica fœmina diues ac nobilis viro persuasit, vt mutata sede, multarum leucarum spatio ad hoc castellum commigraret, quòd locus sibi commodior videretur ad salutem animi consequendam, ergò cum multas ex nostris audisset conciones, tandem se dixit animaduertere suorum ariolorum falsitatem, atq; mendacia, quæ se grauissimis criminibus oneraſſent. At licet ita sentiret, præ nimia verecundia sacerdotem nostrum alloqui non audebat, quem tamen libenter audiebat. Vis demum diuini verbi sic mentem fœminæ compulit, vt finita illa cõcione, Patrem effusis lacrymis adiret, sæpiusque repeteret, vulnerasti cor meum Pater, amplius iam expectare non possum, meam quæso excipe confessionem, & grauissimo mœrore, quo crucior, meum animum eripe. Liberauit igitur eam Deus peracta salutari criminum pœnitentia, ad eandemq; virum cum impulisset, vterque nunc mutatis moribus perstat. Alterum etiam ex Indis maximo dæmon timore, verecundiaque retrahebat, ne grauissima quæ patrarat, crimina confiteretur, pridie igitur eius diei, quo ad genua sacerdotis tenebatur accidere, apud se statuit, talia scelera minime declarare. Attamen nocte illa, cum iam cubitum discessisset, in somnijs (vt ipse refert) ad templum nostrum se deferri persensit, ibique Christum Dominum in excelso magnificoque throno considentem conspicit á pluribus cœlitibus

litibus circundatum, præcipue Diuo Iacobo templi patrono: atque inde Iudex rectissimus iracundiam fronte, oculisque demonstrans, quid tu, inquit, sceleratissime, pessima flagitia meis ministris cęlare conaris? num forte si illos fefelleris, me ipsum poteris fallere, qui tua nefanda scelera penitus calleo? quî igitur audes in improba mente persistere? at illius, vt æquum est, grauissimas pœnas dabis. Itaq; duo nefarij spiritus sanctissimi Christi iussu, ad inferos raptant miserum, sed reductum ex itinere grauissimè denuo hominem timore perterritum Christus obiurgat, imperatque vt verè, & integrè omnia sua scelera patefaciat; & visio mox euanescit. Primo mane nostram domum indigena properat, nostroque sacerdoti rem omnem aperit, ad eiusque pedes iacens vniuersum nefas exponit, maxima peccatorum detestatione: postea pœnitens verus, sic prauos mores correxit, & in incepta virtutis via adhuc ita constans permanet, vt facile appareat, non illud vanum insomnium, sed diuinam admonitionem fuisse.

Deinde nouo quodam religionis officio, quod in purissimæ Virginis honorem exercent, multi ex indigenis à peccandi consuetudine retrahuntur. Nouem enim diebus, nostrorum hortatu, imagini pulcherrimæ Reginæ cœlestis, ter illi singulis diebus asistunt, eiusque singulare præsidium summis precibus implorant, vt tandem peccatum aliquod, quo grauius perurgentur, penitus ex animo pellant. Hoc tempore mente vitijs expiata, cœlesti pane se muniunt, stipem egenis erogant, se à cibis permissis abstinent, & asperrimam vitam

ducunt. Neque minorem fructum attulit huius ca-
stelli accolis id consilium, vt nullus prætereat dies,
quin sacro interssint sacrificio, quod primo mane
conficitur, vt ipsi possint vel prædia excolere, vel
alia munera propria obire. Feria secunda horis an-
telucanis sacrum pro animis fit purgatorio igne
cruciatis, tanta populi frequentia, atque in suos vita
functos misericordia, vt Hispani conspicientes ad-
mirentur, & aliqui eiusmodi Sodalitati velint ad-
scribi, ne tot suffragijs priuentur. Erecta est hoc an-
no maxima Crux & speciosa eo ipso in loco, vbi an-
tea damnati supplicijs debitis plectebantur, ad illi-
usque cultum, & reuerentiam ita sunt exhortatio-
ne nostri sacerdotis inducti, vt diem quo illhic el
constituta, solemni pompa, suauissimisq; cantibus
instrumentorumque dulci modulatione perege-
rint. Ad eam iam constitutam multi noctu concur-
runt, vel crucibus, vel saxis grauissimis onerati, v
opem à Christo Domino per suam Crucem, & pe
Passionem implorent. Quidam turpium cogitatio-
num põdere miserrime pressus, diuinum auxilium
ad Crucem accedens, onustus ingenti pondere, illi-
cò sensit, atque ita orto sole lætus & alacris, vt ac-
cepti beneficij gratitudinem ostenderet, confes-
sione crimina diluit. Hæc in hac sede præcipua.

COLLEGIVM CVSQVENSE.

HOc anno messem copiosam ex hoc Seruatoris
agro Societas nostra collegit, quod multi in
illo operarij diuino ardore succensi laborarint: Ita-
que nostrorum conciones frequens populus exau-
diuit, maior numerus pœnitentium domum no-
stram

ſtram vndique concurrit, & diuino ſe pane refecit. Tria ſodalitia in hoc Collegio ſtabilita, conſuetum animi cultum, & reuerẽtiam ad res diuinas, & præclara virtutum opera retinent, noſocomia, cuſtodias, inopum domos frequenter adeunt, maximo totius vrbis exemplo. Laicorum ſodalitium imagines quaſdam bellè depictas in ſuo ſacello ſtatuit, quæ illi ſtant duobus millibus aureorum, quo ornamento ditiſsimum & pulcherrimum ex omnibus huius regni putatur eſſe futurum. In ſtudiis litterarũ Humanitatis, Philoſophiæ, ac Theologiæ mediocris numerus auditorum, maximam in doctrina fecit progreſsionem, quam publicis diſputationibus demonſtrauit. Ad varia religioſorum cœnobia ſe multi è ſcholaſticis cõtulerunt. Puerorum deinde cõiunctus cœtus, vt ſingulis diebus Dominicis primo veſpere Catechiſmum ediſcant, ac de noſtræ fidei initijs diſputationibus habitis, ad honorum gradus inſignibus Doctorum condecorati prouehantur, atq; his ſtimulis mirum eſt, quantum in doctrina Chriſtiana proficiant. In vincula coniecti maxime noſtrorum cõcionibus adiuuãtur: vnde Societatis opera iudices ſemper vtuntur, cum aliquis grauioribus ſupplicijs eſt plectendus. Tanta pietate ex his vnum ſacerdos noſter hortabatur, vt ad exitum vitæ ſe compararet, quam ſuſpendio erat finiturus, vt miles quidam eiuſdem manſuetudinem cernens, ſe minime continere potuerit, quin altero die grauiſsimè ſuis ſceleribus dolens, quę per triginta annos ſceleratè commiſerat, ad pedes huius ſacerdotis iacuerit, vera ſcelerum confeſsione ad diuinam ſe gratiam obtinẽdam diſponens. In hunc

ipsum annum Illustrissimi Quusquensis Præsulis, in vigilia Principum Apostolorum, mors incidit præclarissima, maximo totius huius vrbis & regni doloris sensu, nostrorum tamen acerbissimo, quod hæc Prouincia, imo vero cuncta nostra Societas eius interitu, verum parentem atque patronum amiserit, illam enim vnice diligebat, & omnibus eius necessitatibus, quasi in illa natus & altus esset, auxiliabatur. Præcepit vt sua ossa in nostro templo deponerentur. Vude funus amplissimum Pater illius Collegij Rector, vniuersa ciuitate ad sui Pastoris exequias cohonestendas luctu maximo confluente, illius cadaueri faciendum curauit. Hic á prima ætate Præsul illustris maxima cura litteris operam dedit, & Bononiæ in amplissima totius Italiæ Academia, tum artes liberales ac Theologiam, tum ius canonicum & ciuile, clarissimo in illo doctoratus gradu suscepto, mirifice comprehẽdit. Rectorque Hispanorum Collegij in illa vrbe iam pridem erecti, Concilio adfuit Tridentino. In Hispania deinde præclarissimis sacræ fidei Inquisitoris, Vicarijque generalis, per decennium Ecclesiæ Iaensis, & alijs amplissimis muneribus functus, Pontifex tandem Cusquensis à Rege Philippo, & summo Ecclesiæ Pastore renuntiatur. Perpendit vir tum prudentissimus, tum summissione mentis insignis, cum illo honore maximum onus esse coniunctum, atque ita totis viribus contendit in alium illud reijcere. Regem adit Philippum, suaque illi vitia detegit, vt hac ratione in suam sententiam illum adducat. Rex vero tantam animi demissionem miratus, primam designationem semel iterumque confirmat;

mat: ergo diuinæ voluntati ita perſpectæ reſiſtere non auſus, munus ſuſcipit, & latiſsima maria traijciens, poſt innumeras procellas atq; labores, Cuſcum demum peruenit; vbi ſtatim nobis animum patefecit ſuum, quantumq; ſibi res Societatis cordi eſſent, verbis & operibus demonſtrauit. Nihil arduum & difficile vnquam ſine noſtrorum conſilio egit, & quod maius eſt, vnum è noſtris ferè ſemper electum habuit, cui animi labes oſtenderet, cuiuſque ſalutaribus monitis acquieſceret. Ex ampliſsimis opibus, quas ex vniuerſa diœceſi quotannis colligebat, nihil vnquam quo laxiorem vitam duceret, reliquit ſibi. Omnia namque ſua bona, vt ad ſe peruenerant, large pauperibus condonabat: ex illis noſtra Societas maximã partem obtinuit, nam in Domum Probationis Bæſanam & Collegium Guamanenſe, ſupra centum mille aureos maxima liberalitate diſtribuit, alios quindecim mille Cuſquenſi dedit; Profeſſæ Domui Romanæ bis mille remiſit. Longior eſſem, ſi vellem ſingula huiuſmodi recenſere, quare illa omnia vno verbo complectar, hunc illuſtriſsimum Præſulem ſicut verum parentem, cunctam Societatẽ habuiſſe chariſsimam, & vt ſingularem patronum noſtris rebus fuiſſe maximo præſidio, commodo, & ornamento. Sed illud certe mirabile, tantam liberalitatem cum mira quadam paupertate iunxiſſe, nunquam enim in eius corpore veſtis ſerica fulſit, ſed lanea talari toga Princeps clariſsimus tegebatur; quo ſæpe amictu veſtes cilicinas occultabat. Non dixerim inedias, vigilias, verbera, aliaque quamplurima pœnarum genera, quibus etiam ſenectute cofectus ſuum cor-

pus excruciabat. Vnde mirum non est profectò, si tanta in illo extiterit puritas, vt tota vita virginitatem seruarit. Æquitas tandem atq; iustitia in ipsius gebernatione mirabiliter eluxit. Pater Illefonsus à Pozo obijt, quadraginta septem annis natus, ex quibus septem in Societate consumpsit: sed breui tempore ingentes virtutum diuitias comparauit; nam cum ipsa natura nimium ad iracundiam raperetur, nemo tamen illum vnquam iratum vidit; tanta fuit modestia præditus, vt in quadam expeditione Indicæ fœminæ dicerent, Patri se cæco peccata explanasse sua (Patrem Illefonsum intelligentes) Ita in se asper erat ac durus, vt quotidie se acriter verberaret, adeo vt vicini Patres, illi carnificinæ modum imponeret, ipsum admonerent. Charitate in proximos maxima ardebat, semperque indigenas quæritabat omni ope destitutos: ijs ergo præclaris operibus Deo placens, demum se ad fœlicem exitum, quadam à vitę primordio criminum expiatione, decem ante morbum diebus comparauit. Postmodum graui vexatus ægrotatione, omnibus susceptis Ecclesiæ sacramentis, fœliciter discessit. Quem paruo interiecto tempore Frater Illefonsus Ortizius subsequut⁹, annum octauum, & quinquagesimum agens, decem & octo in Societate completis, omnium virtutum exercitationi deditus, verus obijt religiosus. Sed iam res ipsa postulare videtur, vt aliquid de præcipuo munere, quod Societas in his remotissimis mundi partibus prę̃stat, ipsas indigenas omni ope iuuando, consueta breuitate dicamus. Est in hac vrbe quondam Incarum Regia, ingens Indorum numerus, ita nostræ fide, ac totius

Reli-

Religionis officijs excultus, vt nulla fere vestigia antiquarum superstitionum in illa reliqua sint. Indorum Sodalitas quotidie augescit, numero, diuitijs, & præclaris ad diuinum cultum ornamentis; quorum valor quindecim millibus scutatuum penditur. Templum quod est in nostro Collegio indigenis solummodo dedicatum, hoc anno pulcherrimè tectum, speciosoque opere cælatum, & laqueatum: ad eius ornatū ara ditissima, pulcherrima, absoluta, & ipsius aræ tabernaculum opere mirabili omni ex parte perfectum. Confluxit vndique tanta pœnitentium multitudo, vt multi è nostris sacerdotibus à primo mane ad primas tenebras vsq; (si prandij tempus excipias) illorum excipiendis confessionibus sæpe in nostro templo perstiterint. Itaque duo tantum è nostris quadringentos indigenas totius anteactæ vitæ sceleribus absoluerunt, inter quos multi triginta annorum, & quadraginta sordes eluerunt. Indigena quidam nobilis minus milliario distans à vico, extremum agebat spiritū; cum eius vxor Patres aduentasse conijciens, domum suam illos propere accersit, occurrit illico illorum alter, & cuncta à pueritia peccata repetita cum exaudisset ab ægro, & illum sacro vnctionis oleo perunxisset, loquendi vsum amisit. Hanc Prouinciam miserrimè vastant quatuor hostes immanissimi, idolorum scilicet cultus, veneficorum numerus ingens, ebrietatis vitium, & aliqua latrocinia. Contra hæc igitur immania vitia assiduis diuini verbi telis coniectis, plurium mētes expugnatæ, & à dæmonum castris ad Christi ouile traductæ. Itaque cum in fulminis venerationem sacerdos noster

acriter verbis inueheretur, vi concionis quidam conuictus, multa nefaria Patri patefacit, totis artubus contremiscens, illique tremoris causam quærenti, ne putes, inquit, me non difficillimum quid præstare, dum tibi nunc ea explicem, quibus quindecim annos, sicut verbis diuinis, credidi. Sacrificia enim quamplura malo dæmoni sæpius obtuli, vt malis meis omnibus mederetur: quod quinq; scelerati venefici mihi faciendum esse suaserant: neq; ijs contentus vnus ex illis, meam mentem perpulit ad credēdum, duos quos mihi vxor pepererat, non ex me, sed ex fulmine concepisse, quā ob causam interstina disidia inter me & illam, septem annos intercesserunt. Tunc Pater vt maculas animi confessione lauaret, hominem exhortat⁹, cum id feciſſet, ingentes gratias pro mentis tranquillitate identidem Christo Domino referebat. Improbissimus dæmon cœcæ mulierculæ persuaserat, vt se tanquam Deum veneraretur, quod illa tribus vicibus præstitit, promittens in quouis malo quo premeretur, se opem ab ipso postulaturam. Postea vero facta confessione, miserum deceptorem execrabatur. Nec minus extitit admirandum, quod alij ex indigenis accidit, qui totum idolorum veneration is se dederat, & cum grauiter ægrotaret, salutis ardens cupiditate, septem consuluit ariolos, quorum vnus ad altissimum præruptumque saxum impium hominem detulit, vbi decies insensibili lapidi genua flexit, & victimas obtulit execrandas; sed cum nullum remedium reperisset; tandem audita cōcione, reperit diuinum auxilium, quo demum impulsus, summo animi dolore commissa crimina cōfessione deleuit,

deleuit. Mendacij pater indigenis rusticis persuaserat, nequaquam illos amplius posse bibere, si vel semel tantum cœlesti fuissent conuiuio recreati, quare in oppidis mille hominum vnus aut alter inuentus, qui sacram Eucharistiam suscepisset, nostri tamen diuino spiritu concitati, eiusmodi timorem ex illorum animis eijcientes, ad frequentem vsum huius admirabilis sacramenti ipsos perpulerunt, ita vt iam frequentes populi se inedijs, vigilijs, & verberibus compararent, ad bonorum omnium fontem in suis pectoribus excipiendum, & hac ratione vberius copiosas gratias peccatorumque remissiones his missionibus concessas consequendum. Quare duo inter Indos nobilissimi, capitali duorum annorum odio sublato, priusquam ad sacram mensam accederent, ad familiaritatem pristinam redierunt. Alij etiam duo fratres, quorum alter ab altero læsus alapa multis spectantibus, septem annos ab illo odio terribili dissidebat, nunc nocenti ignoscens, ambo inimicitias deposuerunt, & post sacrum cibum suis sumptibus pauperib⁹ ministrarunt. Multę sunt prętera magni momenti nummorum, aliarumque rerum factæ restitutiones (quod Indorum genti nimis est arduum) & ex ea pecuniæ summa, cuius domini ignorabantur, templum satis grande tectum, multorumque pauperum inopia subleuata. Alius indigena viginti integros annos sua scelera non confiteri statuerat, etiamsi certus esset sempiternos damnatorum cruciatus sibi subeundos, attamen diuino consilio de cælo fulmine tactus, quo diem vnum mutus permansit, mutata sententia, magno animi sensu à primo rationis vsu contractas

maculas

maculas confeſsione diluit. Periurus quidam innocẽti ſacerdoti per ſummũ ſcelus duas cędes affinxerat, eiuſque teſtimonio falſo abdicatus beneficio, adhuc grauiſsimè premebatur, quouſque iniecto à noſtris æternæ mortis ſupplicio, quo apud inferos periuri puniantur, miſer tandem reſipuit, noſtroſque duas leucas comitatus, ſuum illis crimen aperuit, cuicunque ſatisfactioni ſe liberaliter offerens dum ſuo animo mederetur: noſtri per literas à læſo ſacerdote veniam obtinuerunt, ea conditione, vt ipſe cum vxore delicti conſcia, coram multis teſtibus impoſita crimina retractaret. Deuentum tandem conſultò ad celeberrimum quendam locum, vbi dæmon fœdiſsimus ab indigenis colebatur. Erat hæc ſummæ magnitudinis rupes, ſua natura candida, quatuor minoribus ſaxis nitens, ea proportione, vt induſtria hominum illhic appoſita videretur. Rupes ab inferiori parte ita erat excauata, vt medium orbem conficeret; quo illis qui eam à longe proſpicerent, terribili incuſſo terrore, trucis beluæ capitis ſpeciem præ ſe ferret. Mirum eſt (cum non longe à via publica diſtet, qua ſemper multi prætereunt) quot illa dæmon animorum ſtragem effecerit. Multis igitur indigenis ingenti timore territis illuc adductis, fallacias dæmonum Patres illis explicarunt, ac demum in rupem lapides conieccrunt, quo exemplo Indi commoti, idolorum cultum execrantes, multis illam ſaxis appetentes, Crucẽ maximam & pulcherrimam in eminentiori loco poſuerunt. Atque hæc de Cuſquenſi Collegio dicta ſint ſatis.

COL-

COLLEGIVM POTOSINVM.

SAcerdos vnus cum Fratre villam nostram viginti leucarum spacio ab vrbe distantem incolit, ex cuius fructibus Collegium alitur: sunt in illa serui nostri viginti quatuor, operarijque quadraginta annua mercede conducti, omnes prædiis culturam adhibentes; quorum animis Pater consulit. At in Collegio, etsi nostri omnes summo studio Societatis munia peragunt, non tamen tantæ hominum, tum multitudini, tum varietati possunt animo satisfacere. Versantur enim illic Hispani quamplurimi, Æthiopum maxima multitudo, numerus indigenarum innumerus. Laicorum Sodalitium, sicut cætera huius regni, omni genere pietatis & bonorum operum, summopere studet excellere. Cum indigenis etiam vehementer à nostris laboratur, qui hoc in municipio in maximo salutis discrimine maiori ex parte versantur: quapropter infinitæ illorum multitudini diuini verbi pabula Societas tribuit, & ipsi famelici cibum huiusmodi libenter ab ipsa suscipiunt. Tandem meditatio illa perpetua in horas quadraginta diuisa, cuius iam supra memini, non minori celebritate, pietate & cultu, tum externo templi, tum animorum interno, hic à nostris, quàm Limæ, peracta. Sed de huius Collegij rebus hactenus.

COLLEGIVM AREQVIPENSE.

CVM hæc ciuitas ex florentissima regni ad summam miseriam paupertatemque deuenerit, nostrum etiam Collegium omnium illius laborum neces-

necessario particeps est futurum: attamen benignissimus Deus ita nostros cœlestibus donis cumulat, vt ipsi summo gaudio tot incommoda perferant, & ciues lacrymis & mœrore confectos, ad tot mala æquo animo toleranda, verbis & exemplis exhortentur. Cum Prætor ciuitatis longius abesset ab vrbe grauiter ægrotus, à Patre Rectore suis litteris enixe petijt, vt vnum è nostris sacerdotibus mitteret, qui se consolaretur, & adiuuaret. Missus Pater suo conspectu tanta lætitia Prætorem affecit, vt statim se melius habere confirmaret. Sacellum maximum nostri templi iam Deo fauente tectum, & reliqui parietes ex dolatis quadrisque lapidibus ad altitudinem quadruplicis humanæ staturæ, erecti. Statutum præterea hoc anno, vt cuiusuis mensis secunda Dominica, omnes qui sunt ex Virginis Sodalitio, simul in nostro templo cœlestibus epulis reficiantur. Egentissimus quidam, tametsi graui febri laborans, maiori tamen tristitia premebatur, adeo vt animi salutis oblitus penitus videretur; at eius amicus vicem hominis grauiter dolens illi suadere cæpit, vt ad mortem, quæ videbatur instare, se criminum expiatione pararet, cum renueret, sacerdotem nostrum amicus accersijt, vt ægro penè desperanti remedium adhiberet; cæpit Pater ægrum pauperem pijs meditationibus commouere, at ipse tacés persistebat; inde tamen licet coactus, ad nosocomium deductus, & maximis hortationibus incitatus, diuinis sacramentis ritè susceptis, breui è vita migrauit. Alius etiam sceleratissimus inopia summa compulsus dæmonem euocare cupiebat, vt se tanta miseria liberaret; sed cum factum impium

vellet

vellet exequi, è cœlo admonitus suum consilium cum nostris communicauit; cœlestique Numine colluſtratus, à se tenebras obscurissimas repulit, suamque paupertatem patienter sustinet, donec diuina liberalitate leuetur. Duo præterea homines suspicionibus adducti, suas vxores statuerant iugulare, nostrorumque tamen hortatu ab improbo facto repulsi, domi suæ pacato animo viuunt. Indorum Sodalitas eosdē hic, quos in reliquis Societatis domicilijs, fructus attulit. Vnus ex hoc Collegio ad Condesuiorum Prouinciam missus, omni ope, diu noctuque miseros indigenas adiuuando, maximam vtilitatem illorum animis attulit. In quadam fluminis ripa decem leucarum interuallo Indorum quingentos reperit, piscibusque capiendis intentos vel, colendis agris occupatos: quorum neminem sine confessione reliquit, multosque turpes diremit concubitus, & maximas dissensiones sedauit: intestina potissimum odia inter Parochum, & oppidi Dominum (vulgo encomendero) quæ iudex bis ad id delegatus, non modo non minuerat, sed mirum in modum auxerat: verbo tamen Domini, quod penetrabilius est omni gladio ancipiti, sacerdos illa diremit, & ipsorum animos ad concordiam reuocauit.

COLLEGIVM PACENSE.

AVcta hoc anno Collegij huius habitatio quadam noua ædium parte iam pene omni ex parte constructa. Crux etiam ex argento deaurato septuaginta sex aureorum pondo perfecta: nostrumque templum duabus imaginibus pulcherrimè pictis ornatum;

tum; altera laicorum Sodalitio destinata, ad cuius vtrumque latus singula maxima Reliquiaria sunt fabrefacta. Altera Indorum Sodalitati addicta: tandem quatuor æra campana conflata. Ex nostrorum concionibus maxima Hispani commoda percepe-runt: ex illis quidam vehementissimis grauissimorum scelerum conscientiæ stimulis ita crudeliter vexabatur, vt damnatorum supplicia sibi perpetui deretur: cunctos homines odio summo prosequebatur, atq; illos potissimum, qui sibi beneficia conferebant, quibus vitam eripere peroptabat. Interdum miser crudeli mœrore confectus, illius remedium morte, atque suspendio quærere conatus: diuinum illi lumen affulgebat, quo sua flagitia sacerdotibus exprimere volebat. Mox tñ tanta tamq; vehementi tristitia premebatur, vt omnibus pene sensibus caperetur. At inter tot ærumnas auxilium à Diua Virgine Guadapulensi flagitare non desistebat, quam sibi semper Patronam Aduocatamq; delegerat. Aduenit celeberrimus dies, quo Virginis Natiuitas magnifico templi apparatu colebatur, quo die cum afflictus miles minus confideraret, adeo efficaci motione de cœlo præuentus est, vt illico statuerit sordes animi confessione detergere, & cum secum ipse perpenderet, quem sacerdotem adiret, quadem interna voce visus est admoneri, vt à nostri Collegij Rectore Patrem deposceret, cui suum animum aperiret. Consensit admonitioni iam verus pœnitens, & Patri sibi concesso cum interna vulnera genibus flexis vellet ostendere, per frigido sudore manans, deliquium animi patitur. Post tamen ad se nonnihil reuersus, à Patre petit, vt abeat,

abeat, seq; miserum relinquat. Annuit petitioni Pater, satis de fœlici euentu solicitus, itaque se totum in præces effudit, clementissimum Deum orans, vt hominis illius misereatur. Postea in idem cubiculum reuersus, genubus terram prementem hominem reperit à diuinâ clementia auxilium postulantem. Sensit illico tanta largitate cœlestem opem, vt mira perfusus lætitia corpus à tantis angustijs, & animum à tot sceleribus vindicarit. Ex Indorum etiam messe latissima vberiores fructus percepti, cum non solum ex vrbe, sed ex vniuerso confinio domum nostram conueniant, non ignari quantis à Societate beneficijs afficiantur; vt quædam Indica fœmina suo Parocho quærenti, cur ad nos auri & argenti cupidissimos veniret sæpius, perspicuè significauit, dum respondit; se à pueritia semper ad templum nostrum accessisse, nunquam tamen à se, vel ab alio nummum Patres postulasse: sed illos potius propria bona cum indigenis sæpe communicare; neque etiam pro sacris, nuptijsve celebrandis; sicut alios parochos vel religiosos, Societatis Patres argentum deposcere; quo responso conuictus sacerdos, rubore perfusus abijt. Hoc anno argenteæ tonsæ operæ præclaro cœlatæ confectæ sunt, quæ Indorum Sodalitati amplius duobus millibus & quingentis aureis constant. Incredibile est quanti momenti fuerint exhortationes, aliaque pietatis officia, quæ in hac Sodalitate exerceri consueuerũt, ad ebrietatem atque luxuriem, maxima ex parte tollendam, siquidem nimium potum ignominiæ loco iam ducunt, & ipsam venerem fœdissimam, & turpissimam iudicant: vnde centum amplius, qui

luxuriosè viuebant, vel quatuordecim, vel viginti, vel etiam annos triginta, à pellicibus sunt auulsi, vel cum illis matrimonio copulati. Multi Sodales, vt hoc vitium potissimè à sua mente depellant, tempus totum Aduentus â carnibus abstinent, & nonnulli solum nodo pane vescuntur: Verberibus etiam, vesteque cilicina corpus torquent, adeo vt nó defuerit, qui annum integrum setis acerbissimis se excruciarit, vt turpium cogitationũ molestijs se liberaret. Fœmina indigenam peregrinum inuenit grauiter ægrotantem, statimque domum nostram accurrens, illuc Sacerdotem accersijt, qui reperit ægrotum nondum baptismate sacro lustratum, quod inter pecudes in syluis natus, & educatus, postea iam grandior præ verecundia tantum bonum omisisset: tunc cælesti lauacro purgatũ hominem, statim ipsa vis morbi & omninò tandẽ morbꝰ deseruit. Alia fœmina iam diu à pessimo dœmone grauiter horrificis spectris vexata, & capillis tota domo raptata, ad Indorum Sodalitatem admissa, mox ab illa graui vexatione libera extitit. Quidam ariolus pestifer ab impio dœmone deceptus, multos à uia salutis auerterat, sed tamen suo peccato dolens domum nostram confugit, vt tot grauissimis malis remedium efficax adhiberet. Non sic accidit alteri deceptori, qui seipsum Christi sanctissimi fratrem prædicabat, & innumeris præstigijs, atque fallacijs ignaros indigenas seducebat: hic ergò in suis maleficijs deprehensus, multisque conuictus testibus, grauissimas pœnas dedit. Duæ tandem à nostris expeditiones tum ad Indos, tum ad Hispanos ex hoc Collegio factæ, maximè, sicut speramus, Deo sanctissimo placuerũt

cuerunt, quòd multis proximis salutaria remedia ad suam salutem fuerint adhibita, & plures ex pueris & adultis apud Indos lauacro cœlesti abluti; aliique complures vniuersæ vitæ delictis absoluti, & à morum prauitate ad honestam vitam traducti.

CHVQVISAQVENSE COLlegium.

Omnia Societatis munera maximo totius ciuitatis commodo, & probatione, à nostris hoc anno sunt præstita. Tribus diebus in Quadragesima sub noctem cœpta sunt exempla referri, ingéti hominum turba vndique confluente, ac sese postea acriter verberante. Attamen maxima multitudo, quæ ad nostrum templum conuenit, cum celebris illa oratio habita est per horas quadraginta, vix poterit hac litterarum breuitate percensèri. Atque ita id vnum dicam, excogitata fuisse præclara media, vt res fœliciſsimum quem habuit, euentum sortiretur. nam multo ante dies illos solénes Senatus, tum Regius, tum Ecclesiasticus, tum Vrbanus admoniti, pro se quisque rem illam Deo gratisimam sicuti propriam susceptt. Primum diem summa veneratione cultuque celebrauit vniuersum canonicorũ Capitulum, illius Decano maximum sacrũ faciente, summa omnis generis vocum iustrumentorumque varietate, eademque reuerentia & ornatu Virginis puriſsimæ Sodalitium feriam secundam sibi colendam susceptt; & finem tandem omni pietate pleniſsimum his sacris meditationibus feria tertia Senatus

Regius imposuit, aureis quinquaginta præmissis ad templum multis luminibus illustrandum, quo die Archidiacon⁹ sacra peragens, Senatus Præsidẽ, cunctosq; Senatores diuino pane refecit: quod religiosissimum exemplũ cunctus populus imitat⁹, ad amplissimas gratias diebus illis concessas sacratissimis Pœnitentiæ, Eucharistiæq; sacramẽtis ritè susceptis se comparauit. Neq; minorem pietatis significationem vniuersa gens Indorum ostendit, quorũ amplius tria millia in platea nostro templo propinqua, eodem tempore diuini verbi semen à nostris concionatoribus sparsum libenter in suis cordibus exceperũt. Vnde bonorum operum vberrimi fructus processerunt. Sodalitas enim Indorum in carcerem detrusos conquisitissimis epulis pauit, quod misericordiæ munus singulis hebdomadis erga pauperes ægros exercet, & alia quamplura præstat, quæ quia cum a ijs Collegijs communia, prætermitto. Hispanorum sodalitium (sicut & alia huius regni) ingentes gratias habet & refert pro maximo beneficio, quo ad istud primarium sodalitium maximum publicis litteris est associatum; vnde Sodales omnes denuo vehementer accensi ad præclara pietatis officia. Sed illud inter cætera insigne, quod in se receperunt toto anno vnum ex publicis carceribus copiosissime sustentare. Hoc tandem anno Scholasticorum sodalitium erectum, qui, Grammaticæ schola maxima totius ciuitatis lætitia restituta, iam in ipsis initijs numerum quinquagesimum superant. Vnum ex nostris tyronibus, Hieronymum à Montenegro nuncupatum, Deus, vt confidimus, ad cœleste regnum vocauit: nam humillimæ demissionis

missionis atque patientiæ præclara semper præbuit exempla, tum valens, tum acerbissimo pressus hydrope, qui tandem illi vitam eripuit.

COLLEGIVM D. IACOBI Chilense.

PRiusquam res præcipuas huius Collegij referam, breuiter illa percurram, quæ in nostra nauigatione, cum illud visitatum contenderem, acciderunt. Vehebantur vna nobiscum præter plures nautas & peregrinos, militum manus, partim sua sponte, partim inuitatu ductorum; inter quos etsi frequentes solent esse contentiones & rixæ, tunc verò assiduis exhortationibus, concionibusq; nostrorum tanta pax floruit animorumq; concordia, vt ipsimet milites mirarentur. Tribus diebus in hebdomada vnus è Patrib⁹ ad illos verba faciebat: & diebus dominicis sacris sine consecratione peractis omnes adesse solebant: quotidie sub vesperum B. Virg. letania, vel eiusdem, vt mos est, consalutatio in puppi concinebatur, quam pij cuiusdam facti narratio subsequebatur. Neq; pueris & seruitiis idoneum Christianæ doctrinæ pabulum diebus singulis deerat; quam multi etiam militum & nautarum libenter excipiebant. Legebantur præterea contẽta voce interdiu rerum sacrarum libri, vt hac ratione multi à ludis vel maledictis abstinerent. Ergo huiusmodi mediis multa mala in nauigiis perpetrari solita, impedita, & maxima religionis opera præstita: omnes enim qui aderant in nauigio, ducibus illis exemplo præeuntibus (tempus enim erat Quadragesimæ) animorum sordes confessione di-

luerunt. Neq; minor ſuſceptus labor in vrbe Conceptionis; ad cuius portũ feria 4. poſt Dominicam in Paſsione nauis appulit, erat enim vrbis Epiſcopus pene ſacerdotibus deſtitutus, ipſe tamen maxima cura exaudiendi confeſsiones, & concionandi muneri incũbens, atq; ita quindecim dies in eiſdem officiis exercendis toto conatu poſuimus, & vniuerſa ciuitas libens ad nos confluxit, vt peccatis commiſsis facta confeſsione liberaretur. Quibus officijs gratum animum præbens, omnia ad victum neceſſaria nobis præſtitit, & ad iter quod ſupererat copioſiſsimum commeatum. Non inanem extitiſſe puto noſtrorum in naui laborem; ſed fortaſſe multis militum occaſionem fuiſſe ſempiternæ gloriæ breui conſequendæ: nam cum vniuerſam cohortem Dux eius ad caſtra Gubernatoris deferret, vt ſeſe cuncto exercitui, qui in hoſtium regione verſabatur, adiũgeret, decimo die, quo illuc iter faciebat, in hoſtium inſidias incidit, in anguſtijs viæ illius aduentum expectantium; tantoq; impetu aduerſarij in noſtros irruperunt, ad pugnam imparatos, vt viginti quatuor ex valentioribus, & dux inter illos ſtrenuus atq; fortiſsimus interierit, nõ ſine magno illius regni dolore. Qui Dux (Antonius Villanoe) robuſtiſsimus quidem, maximarumque virium, ita vt, (quemadmodũ ipſe dicebat, & experimentis in naui factis, verũ id eſſe, credi facile poteſt) talenta ſex Græca, & libras ſeptuaginta quinq;, quæ viginti ſeptẽ Hiſpanis arrobis reſpõdent, ſimul & vno impetu dẽtibus manibusq; è terra in altum ſuſtuliſſet. Hic, inquã, incredibili animi robore, inter cæteros, qui naui quadam ad Philippicas Inſulas vchebãtur, auſus

ausus fuit altera manu apprehenso rudẽte, altera effigie depicta B. Ignatij delata, inter ingentes pelagi fluctus, nauisq; ad scopulos adhærentis vehementẽ agitationem, ad ipsius vsq; proram accedere, atq; in eo foramine, quo rudens nimis attritus & penè confractus prodibat, sanctam imaginem alligare; vnde factum est, ne rudens prorsus concideretur, totque homines deperirent: Idque singulare beneficium, nouo quodã, & inaudito miraculo per merita B. Ignatij obtentum, est iam Hispaniæ nouæ annalibus explicatum. Sed iam ad res huius Collegij venio. Sacerdos è nostris hoc anno cunctæ Philosophiæ exponendæ finem imposuit, quindecim externis auditoribus, qui penè omnes optimi euaserunt. Templum nostrum properè ædificatur, maxima enim liberalitate hui? vrbis ciues ad hoc opus nobis eleemosynam tribuũt; sed totius Regni Gubernator cæteris hoc beneficentiæ genere præstat. Nostra etiã res familiaris in singulos dies maius habet augmentũ; at animorũ cura, & salus multo pluris à nobis, quam res familiaris habetur, ideo magis ac magis indies crescit. Hispanorum Sodalitiũ (vt in alijs Collegijs retuli) vniuersæ reipublicæ clarissima bonorũ operum præbet exempla. existimãt enim omnes, qui ad huius Sodalitij cœtus frequẽter accedunt, inde rerũ suarum fœlicem exitum depẽdere, vt quidã ex ipsis diues satis animaduertit, qui cum his sacris cœtibus, vt solebat, aliquandiu non adfuisset, & nulla, illis diebus, ex rebus, quas agebat, ex animi sententia cecidisset, suã desidiam illorũ casuum fuisse causam animaduertens, mutata mente nunquam ab ijs cœtibus abesse decreuit. Dissidia

etiam grauissima inter viros Principes à sacerdote cõgregationis præfecto penitus extincta. Quædam ex Indis fœmina adhuc Ethnica, cum fidem nostram diutius suscipere renuisset, dicens se corpore & animo immortalem, cum tamen grauissima febri laboraret; vltimo tandem sacerdos noster, cum aliis remediis nihil proficeret, ad diuina confugit, initium sacrosancti Euangelij secundum Ioannem recitans ægrotanti, illico mulier diuinitus mutata, in hæc verba prorupit, credo, inquit, absque vlla dubitatione, quidquid mihi de illo præpotenti Deo refers, etsi mihi antea penitus inauditum: christiana fieri cupio, & mei animi sempiternam salutem vehementer exopto: igitur accersito Parocho mulier illa sacro baptismate abluitur, & tertio die iam morti proxima eidem Patri, se maximè confidere, dixit, fore vt hanc miseram vitam cum illa fœliciſsima commutaret. Alia rursus Indica fœmina, quæ turpi amori viginti sex annis procaciter inseruierat, aculeis conscientiæ suæ grauiter pressa, à primo rationis vsu cuidam è nostris omnia flagitia manifestauit, neque his contenta, amatori desipienti prudentissimè persuasit, vt se ad meliorem frugem cõuerteret; quo medio miles Hispan⁹ castam vitam instituit, & vterque dæmonis suggestionibus constantissimè restitit. Maximus Indorum amor in nostros facit, vt in suis malis & morbis ad eos, tanquam ad parentes, confugiant; quapropter obtẽta ab Episcopi Vicario facultate, vt ægrotis iã morituris cœlestis panis à nostris sacerdotibus præbeatur, illi vt tantum donum de manu nostra suscipiant, se ad nostrum templum deferri curant. In-

dorum

dorum Sodalitas magis quotidie in consuetis pietatis officijs perseuerat. Singularis erga B. P. nostrum Ignatium totius huius ciuitatis religio, etsi semper magna, nunc tamen in ipsorum animis maior existit rebus mirabilibus, quæ ab ipso parente nostro diuinitus perficiuntur. Pia etenim fœmina à religiosis hominibus postulauit, vt sacrum facerent, quo diuinam benignitatem per merita sanctissimi Ignatij, infinitã multitudinem locustarum, vt ex suis fugaret agris, deprecarentur, simulq; in eodem agro crucem defixit huius B. Viri insignitã effigie, quo pietatis opere factum est, vt cum in vniuerso confinio maxima vis locustarum crudelem stragem efficeret, in eius prædijs nullum damnum reperiretur. Cuius exemplum alius vir imitatus, in agro suo, quem iam locusta vastabat, crucem in honorem B. Ignatij collocauit, atque ita locusta vim diuinam persentiens, inde penitus aufugit. Facta est hoc anno à nostro sacerdote quædam excursio per Hispanorum prædia, cuius aduentu tantam ad diuinum cultum in animo suo mutationem indigenæ persentiebant, vt illorum domini & ipsimet mirarentur.

COLLEGIVM GVAMANGENSE.

Præter ea quæ ſuperiori anno de huius Collegij erectione retulimus, pauca nũc ſeſe offerunt præcipua, quæ dicam. Excolitur certè hæc noua domini vinea omnibus noſtræ Societatis officijs, ſicut maximus ciuium in noſtros amor expoſcit. Itaque ſublata ex illorum animis plurima & inteſtina diſſidia; quæ ante noſtrum aduentum, ciuitatem maximè perturbabant. Hiſpanorum Sodalitium indies augeſcit, tum numero, tum virtute. Amor Indorum & gratitudo, quæ noſtris oſtendunt, eos vehementer inuitat, vt maxima diligentia illorum ſalutem conſulant: Itaque non deſiſtitur ab Indorum cultura concionibus, exhortationibus, exemplis, alijſque omnibus medijs, quib⁹ deſertos indigenas Societas adiuuare conſueuit. Subuentum turpi mulierculæ iam penè collum in laqueum inſerenti, quòd ſe contemptam á fœdo amatore cenſeret, & pijs exhortationib⁹ ab vtroq; malo liberata eſt. Imagine quadam picta, qua ſempiterna damnatorum ſupplicia ſpectantium oculis ſubijciuntur, tanta est Indorum facta commotio, vt multi totius vitæ ſcelera confeſsione purgarint. Tandem Scholaſtici noſtri, quorum numerus vehementer augetur, tum litteras, tum virtutes amore maximo complectuntur, atque ita omnes illas exercitationes, quæ in Societatis ſcholis fieri ſolent, ſummo illi ſtudio proſequuntur. Omitto ſingula, quia ſæpius repetita,

MAN-

MANSIO IVLIENSIS.

TOta nostrorum cura in hac Sede ad excolendos Indorũ animos ordinatur, quapropter illorum in virtute profectus eò magis indies crescit, quò herbæ veneno infectæ plures euelluntur. Itaque veneficus quidam audita concione grauiter suis flagitijs doluit, & collectis omnibus instrumentis, quibus antea seruierat dæmoni, se cum illis ad Patris pedes abiecit, enixè postulans vt suo animo mederetur, qui sæpius esset dæmonem allocutus, non tamen in oppido, quòd pessimus deceptor se id nostrorum causa facere posse negaret. Alius miser ariolus in suis veneficijs deprehensus, & in custodiam coniectus, nunquam potuit à sua prauitate conuerti, itaque post quatuor menses forsan adiutus à dæmone, liber è carcere fugit. Conantur nostri omnibus modis hoc vitium ex hoc oppido radicitus tollere, quòd innumeris malis soleant cæteros afficere decepti indigenæ, in quibus vitium huiusmodi altas radices egit. Erecta est hoc anno quædam Sodalitas in honorem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, ad hunc maximè finem, vt cum cœlestis hic panis ad ægrotos defertur, omnes qui possunt indigenæ illum comitentur, quod hactenus dato signo factum, & tanta illorum frequentia, admixta singulari pietate, vt sint ipsis Hispanis exemplo: semel singulis mensibus noua fit huius admirabilis Sacramenti consecratio, incredibili vocum, instrumentorumque concentu. Hoc anno primum ad spontanea verbera tẽpore Aduentus, & Quadragesimę

indi

indigenæ inducti, multi in nostro templo bis in hebdomada se ligulis ceciderunt. Tandem solemnis illa oblatio ad Bacchanalia tollenda celebrata perilluſtri ornatu ſuauiſsimoq, concentu, & ingenti Indorum multitudine, ita vt illo triduo præter plures Hiſpanos mille & quingentis indigenis cõfeſsione præmiſſa, cœleſtis cibus fuerit impertitus. Neque cæteris oppidanis defuit debitus cultus & reuerentia, quandoquidem illis diebus nullus tam vecors inuentus, qui ludis ſolitis, vel ebrietati vacaret.

EXPEDITIO TVCVMANA & Paraguaiensis.

SEptem ſacerdotes toto anno has latiſsimas Prouincias diuiſi luſtrant, niſi cum ſtatuto tempore ad Societatis meditationes obeundas, & res agendas communicandas in deſignatum locum conueniunt: Hoc anno Cordubam confluxerũt: ex quorum litteris, quos labores ſubierint, quoſque fructus collegerint, intellexi. Sed leuibus & communibus prætermiſsis, ſingularia ſolummodo, præcipuaque recenſebo. A Patre Ferdinando Monroy, & Patre Iohanne Viana excurſio facta ab Auguſto Ianuarium vſque, in qua tanta ſunt vbique charitate ſuſcepti, vt cum fames valida terram occupaſſet, numquam tamẽ illis ad victum neceſſaria defuerint, imo vero tanta ſæpius ciborum copia redundarint, vt cum multis egenis illos communicarent: & aliquando contigit, vt cum dimidium panis

panis, qui tantum domi supererat, pauperi tribueretur, paulò ante horam prandij tot panes à ciuibus mitterentur, vt & Patribus, & alijs multis egenis ad victitandum sufficerent: quapropter verum illud experiuntur dictũ Apostoli, nihil habentes & omnia possidentes. Sed vt hæc beneficia maioribus officijs compensarent, omnibus nostræ Societatis muneribus Hispanos, & indigenas adiuuerunt. Scholasticus quidam decem & octo natus annos concione nostrorum impulsus, vt suam conscientiam ab omnibus vitæ sordibus emũdaret, quod cum præstitisset, & sacrum cibum sumpsisset, paulò post inopinato morbo correptus, & cunctis sensibus captus, intra horas duodecim vitam finiuit. In ea excursione vnum & viginti castella, & villæ decem & nouem à Patribus lustrata, in illis mille amplius & quingenti generalem confessionem fecerunt. Segetes cuiusdam oppidi nimia siccitate deficiebant, cum summis precibus à nostris est impetratum, vt supplicatio solemnis pro pluuia fieret à diuina benignitate obtinenda; illa absoluta, tanta vis imbrium de cœlo decidit, vt segetes arefactæ denuo reuixerint, & maxima frugum vbertas secuta sit. Neque illud caruit prodigio, quod cum omnes à Patribus admoniti, se frugum ariditate ab irato Deo puniri, quod suis sceleribus minimè mederentur, reliqui nostrorum hortatibus & monitis paruissent; duo tantum Iuuenes consilium Patrum spreuerunt, sed non absque manifesto supplicio, siquidem nec minima imbrium gutta in illorum satis apparuit, cum reliquorum agri con-

fines

fines copiosis imbribus abundarent. Lustrata præterea Indorum Prouincia, qui propria lingua Lules dicuntur, hi cum triennio ante ab eisdem Patribus sacro fuissent baptismate mundati, nunc pecudum more viuentes, sacerdotum qui ipsos docerent penuria sunt referti, sed nostrorum conspectu maxima lætitia pleni, ad eos, sicut pulli ad matrem solent, properabant. Itaque denuo rebus nostræ fidei instituti, & suis criminibus confessione facta liberati, tandem, etsi maximo cum dolore, à nostris relicti sunt, qui vt omnino desertorum hominum curam haberent, famem, sitim, æstus intolerabiles & ingentia ferarum discrimina perpeti, lucrum maximum reputarunt. Neque silebo factum satis quidem mirabile, si iam miraculo careat. Erexerant nostri sanctissimæ Crucis signum in quodam loco, vbi diuina sacra peragerent, sed cum illa in solitudine remansisset, temporis decursu, & ingentibus ventis agitata, ad terram inter alias arbores euulsas decidit. Hoc autem anno cum quidam Hispanus id solum aratris vellet proscindere, quod satis sibi pingue ad producendas segetes videretur, ignem in ligna coniecit, collapsam crucem minime animaduertens, & cum omnia ligna maximo illo incendio combusta & in cineres essent conuersa, solummodo (mirum dictu) crux illa sacrata flammis illæsa remansit, signo tantum fumi notata, vt prodigium illud clarius conspiceretur. Quædam Hispana fœmina in oppido Diui Iacobi iam quinque mensibus grauida, vehementi morbo cruciata, ad vltimum vitæ finem peruenerat, cuius vicem tamen

vit

vir eius atque cognati grauiter dolerent, illos tamen grauissimè commouebat filij, quem gestabat in vtero, interitus sempiternus; ergo accersiti nostri, vt tanto malo remedium aliquod adhiberent, facta cõsultatione, cognati matris vterũ post mortem aperiendum esse censebant: at nostri efficacius remedium inspirante Deo repererunt. Itaque sacram B. P. N. Ignatij effigiẽ cum quibusdam ipsius Reliquijs ægrotæ fœminæ dum imponunt, intra breuissimum tempus viuum fœtum in lucem edidit, & aqua salutari perfusum cœlestis Pater ad gloriam detulit, quem statim mater sequuta, piè creditur ad eundem locum transmigrasse. Tucumanus Pontifex ita nos amat, vt sæpe sæpius palam confirmarit, si nostra Societas Prouincias illas desereret, illico se suo Pontificio munere abdicaturum. Vt Patres animos hominum ad pietatem compararent, pridie eius diei, quo sacri cineres Christianorum capitibus imponuntur, cœleste illud sacramentum, in quo CHRISTVS sanctissimus continetur, in ara maxima nostri templi manifestum omnibus posuerunt, à prima luce ad primas tenebras vsque inusitato populi totius concursu, Prouinciæ Prætore ad hoc religionis officium exemplo suo cæteris præeunte. Cumque sub vesperum eques quidam in equum conscendisset, vt sicut assolet, stadium curreret, ex equo in medio decidens cursu vehementissimè corpus offendit, adeo vt eius parentes eo se filio orbatos arbitrarentur: illum tamen ad se reuersum frater leuiter reprehendit, ipsum admonens, ideo tam infaustum euentum eius curriculum habuisse,

quòd

quod Societatis solemne festum neglexissent. Hoc anno instaurata excursio Paraguaiensis, & vt optima iacerent fundamenta, duo illuc sacerdotes missi, qui ex Vrbe Assumptionis Regni præcipuâ, ad me scribunt, maximos se labores in itinere, terra fluminibusque tulisse, multarumque rerum, quas deferebant, fecisse iacturam, maxima tamen mentis lætitia, vtpote qui vitam ipsam pro diuino Christi amore libẽti animo profundere sint parati, nedum libros, & suppellectilem: dicunt tamen eam bonorum amissionem optimè compensatam fortunatissimo longo itineri imposito fine, quandoquidem vniuersa ciuitas eorum aduentum appropinquare cognoscens, sese tota ad illos inuisendum & comitandum effudit; tanta animi alacritate, vt nõ solum lætari, sed gestire & exultare cuncti viderentur, quo tempore alij alijs congratulari, quasi aliquod incredibile bonum vel munus excellẽtissimum singuli obtinuissent: igitur illorum conciones exauditæ mirâ Hispanorum & indigenarum frequentia in templo maximo rogatu Decani Presbyteri ad cunctum populumm habitæ.

EXPEDITIO AB SANCTA Cruce.

ETsi nostri in hac missione summa rerum externarum inopia premantur, & innumeris vndique periculis circumueniantur, incredibilibus tñ de cœlo gaudijs abundant, quibus omnes ærumnas minimi faciunt. Eorum quæ ab ipsis hoc anno sunt gesta, hæc digna, quæ referantur. In Vrbe S. Laurentij

rentij ſtudia latinitatis inſtituta, quæ diu iam illius ciues exoptarant. Iudicatum enim remedium inter omnia efficax valde, vt deprauati ciuium mores corrigantur, qui quaſi hęreditario iure à patribus in filios dimanabant, & prętereà iuuenes nimium torpentes otio ad omnia vitiorũ genera facilimè labebantur, itaque tantum Deus huic recenti muneri fauet, vt aperte demonſtret è cœlo cogitationem huiuſmodi in animum Patris Viceprouincialis iniectam ad ſummum bonum illius diſperatæ iuuentis. Quod iam paruo tempore in illorum mentibus ineſſe conijcitur, ac deinceps inſeſſurum eſſe ſperamus. Viginti namque & ſex Scholaſtici qui in noſtris Scholis verſantur, totidem Angeli in terris degentes, modeſtia vultus, pietate animi, vitiorum odio, & omni denique genere virtutis eſſe vidẽtur, in ipſisque litteris iam mediocres progreſſus faciunt. Attamen pręcipua cura & labor in indigenis Chriſtiana fide erudiendis à noſtris adhibetur, vt ex litteris Patris Anentiq; Oliuæ, quẽ illuc biẽnio ante miſimus, facile conſpici licet, ait enim ſe miſsũ cũ P. Angelo Monitola ad nationes Chananonũ et Gogotocorũ (quidiuerſa abillis vtũtur lingua) & ſex oppidis cõfeſſiones audiuiſſe, ait præterea, maxima difficultate perſuasũ ægrotis iã morituris, vt ſua delicta ſacerdoti patefacerent, quod falſo errore decepti ſtatim ſe morituros arbitrarẽtur. Sed tamẽ negotiũ ita arduum diuino iuuante ſpiritu perfectum, & peſsimo dœmone ſuperato, ſacrę confeſſionis veritatem iam indigenis innoteſcere, tantoque deſiderio hoc illos expetere ſacramentum, vt à primo diluculo ad multam noctem vſque, hoc vnicum ſuæ ſalutis re-

medium magno silentio, animique dolore expectantes persisterent, vt nostris sacerdotibus nõ nisi ad festinũ prandiũ locus relinqueretur, tum cõfessione facta ita præteritã viuendi consuetudinem emendare, vt satis appareat non illos simulatè de cõmissis peccatis doluisse. Hæc rursus memoria digna. Habitabat ruri in paupere quodã tugurio puella virgo, nõdum decimũ quartum annũ egressa, cũ duabus sibi cognatis fœminis; cum repente indigena iuuenis igne turpissimo flagrans, honestas illas aggressus fœminas, ad turpe factum pellicere conabatur. Sed cum nihil blanditijs proficeret, cœco libidinis impetu vim imbecillibus adhibebat, at virgo tenella non ferens improbũ facinus, viri vestita robore, hominem primum grauiter verbis obiurgat, deinde cum in illam insanũ ipse furorẽ cõuerteret, maximo castitatis amore virgo succensa ardentẽ de foco torrem arripiens, in impudicum impetum facit, & illum eijcit de tugurio: quapropter ipse nimio pudore suffusus, re infecta tristis abscessit. Vt simile discrimen effugeret alia eiusdem ętatis & conditionis puella, quã Hispanus quidam turpiter diligebat, artificio mirabili fœdum amatorem delusit. Nam cum agri culturam, vbi Hispanus ille degebat, minime posset relinquere; ne tamẽ agnosceretur, pectus, brachium, ipsamq; faciẽ atro colore fœdauit, vt indecora nimis atq; deformis humanis occulis appareret. Quo remedio etsi sæpius ab Hispano quęsita, nunquã tamẽ inuẽta est. Anus quædã decrepita morbo quo laborabat ingraescẽte, frigida mẽbra igne calefaciebat, atq; in ipso cinere misere cubitabat, sed cũ in tãto discrimine versaretur, nihil minus quã de confessione cogitabat. At Pater

An-

Annellus pietate cõmotꝰ ad pœnitentiã aniculã exhortatus, tandẽ ipsa illiꝰ precib. annuit, & paulo postè corporis vinculis eius anima euolauit. Ab Oppido sanctæ Crucis septentrionem versus vrbs 50 leucas abest, solũ habet satis accõmodatũ, optimæ tẽperationis, & aquis puris abundat, & suauib. Cũ illa primũ condita fuit 14. abhinc annis, crudele bellũ indigenæ nostris hominib. intulerunt, & venenatis sagittis Hispanorũ multi traiecti quasi rabidi canes interierunt, atq; ita grauissima dána ab Indis nimium elatis superbia, tũc tẽporis sunt perpessi, at postquã pestilentiũ herbarũ antidotum est repertũ, Indi mitiores effecti Hispanis sese summittunt, quod maxime iuuat Pater Ortisius, qui cũ indigenis sit charissimus, & illorũ animos Christianis morib. imbuat ipsa religiosa pietas homines feros, & barbaros efficit mãsuetiores. Itaq; iã Hispani trãquilla pace fruuntur. Hic Pater Ortisius incredibiles in intinere passus labores, cũ vrbẽ D. Frãcisci peteret, q, necesse fuerit maximis viarũ anfractib. illuc tendere, ppter ingentes Guapai fluminis alluuiones; dum eò peruenit, vehemẽter de via fessum grauissimus morb. corripuit, qui tres integros menses Ortisiũ crudeliter vexauit: Sed indefessa animi virtus illi sic ægrotanti animos addidit, vt in ipso lectulo iacens tot sẽpiꝰ pro salute proximorũ labores, ac si sanus esset, susciperet; Attamen vt Ortisius iã tandẽ aliquantulũ cõquiesceret, ab vrbe S. Laurẽtij Pater Angelus illuc missus, qui eius pondus grauissimũ sustineret, & ad D. Laurentij ipsum remitteret: ille vero vbiq; ardẽs in proximos charitate, diuini verbi semen effudit, & segetẽ illã copiosam, & si pene solꝰ excoluit, semper immensã deprecãs bonitatẽ, vt mittat operarios in messem suam.

A Collegio Quitensi Viceprouinciæ noui regni, nihil quod in annales referatur accepimus.

SEDES PANAMENSIS.

VIr quidam maximo timore solicitus, ne vi morbi perimeretur, vnum è nostris accersit, & pro iniurijs illatis Deo confessione satisfecit, tum vero Pater homini persuasit, vt ad cœtus accederet sodalitij, si per B. P. Ignatij subscriptionem optatam salutem consequeretur: cõsensit ægrotus monitis, & imposita subscriptione melius statim valere cœpit. Eadem B. P. subscriptione quidam è nostris Fratribus præmunitus molestissimam tertianam febrim, qua vexabatur, effugit. Nosocomia etiam, publicasque custodias nostri frequenter inuisunt, & innumeram vim Æthiopum penitus desertorum fidei principijs & Christianis moribus imbuunt. Hoc anno illorum sodalitas domi nostræ iampridem erecta diem sacræ Præsentationis Mariæ solemnem publica à templo maximo ad nostrũ vsque supplicatione celebrauit, iustisq; sacris peractis, illorum plures cœlesti accubuerũt cõuiuio. Excursio a nostro sacerdote facta, multa animorum emolumẽta reportauit. Persuasum cuidam ne inimico vitã eriperet, quod diu iam peroptabat, multi à cœno turpi luxuriæ ad honestatem extracti, & huiuscemodi multa spolia èdœmonum castris erepta. Duodecimo kalendas Februarij ara quædam in nostro templo statuta imagini B. P. Ignatij, maximo totius ciuitatis erga illum studio, amore, & pietate; factum hoc præclarissimum non tantum approbante ciuitatis Antistite, sed etiam publicis illud litteris, &

teris,& verbis honorificentissimis decernente. Solemnibus illius diei sacris , quæ custos cœnobij D. Francisci celebrauit , vniuersa curia regia & ciuitas frequens interfuit. Atque vt maior existeret in B. Ignatium huius prouinciæ pietas,& religio, mirabili quadam ratione quendam è nostris Fratribus in vrbe Portusbelli febri grauissima laborantẽ ad integram restituit sanitatem. Iacebat ille in Noscomij publici lectulo iam desperata salute morti propinquus , & summo præterea mœrore confectus,quòd in illa extrema pugna, quæ vndique solet esse grauissima,nullum haberet è Societate, cuius precibus, & auxilio in dœmonem victor euaderet.Igitur in illo postremo vitæ discrimine conuertens oculos mentis ad parentem nostrum sanctissimum,vt sibi salutem redderet postulauit:illico voce clarissima ęgrotantis aures insonuerunt,nihil, aiunt,timeas, surge, salutem enim optatam consequeris. Hac voce promissioneque confirmatus acutè & fortiter exclamauit, cui statim vnus è Fratribus B. Ioannis Dei accurrens,cibos optime conditos detulit,quos,cum triduo iam nihil quo posset ali cepisset, tum bono animo edit, pauciſque post diebus ex desperato morbo conualuit,non sine maxima omnium admiratione, qui diuinitus illum a B. suo parente sanatum prædicabant. Missus sacerdos è nostris senatu regio petente , ad Indos Ethnicos adhuc, cum tamen triginta annos Hispanis inseruierint;illuc anno præterito quidam senator accessit,vt rusticos homines montibus ac syluis ferarum more vagãtes in cœtus populares con-

iungeret, quod adhuc donec perficiat constanti mente persequitur, cum inde incredibilis animorũ vtilitas expectetur, & indidẽ ianua pateat ad plures alias nationes ad fidem Catholicam conuertendas, quæ diuina orbatæ notitia in interitum sempiternum miserè detruduntur, atq; de hac Sede satis.

STATIO SANCTÆ FIDEI noui Regni.

IN hac vrbe nostrarum ædium habitatio satis idonea est, vt viginti è nostris in illa degant, optimo loco sunt sitæ, & minimo à foro maximo spatio, octoque millibus aureorum Societati constant, quos maxima ex parte liberalitas ciuium suppeditauit. Tantus est illorum erga nos amor, quibus tamen maximo studio de nobis bene merendi Illustrissimus Ioannes Borgia, Beati Patris Francisci nepos, Senatus præses, & illius prouinciæ prætor excellit; qui in singulos annos quingentis aureis nostram subleuat egestatem: ipse vero præses Reuerendissimus Archiepiscopus, alijque pij homines, aureos amplius sexcentos donarunt, quibus subsidijs, & mediocri copia annonæ, quæ tempore messis stipe corrogata colligitur, abunde satis est ad quotidianum victum, quin cura ad vitam necessaria quærendi Societatis impediat ministeria ad proximos adiuuãdos. Tãta viri principes experiũtur ex muneribus nostris emolumẽta, vt Archiepiscop⁹, senatus regij eiusque visitator vno animo à Rege Philippo enixe petierint, triginta illuc è nostris mittat, qui barbariem, inscitiam, idolorumque cultum penitus insitum ex multarum nationum animis stirpitus

tus euellant; sicut ipsam ciuitatem regni totius caput nostri qui illam incolunt, auspice Deo, ab improbissima in optimam conuerterunt; per illos enim multæ conuentiones illicitæ sublatæ; adulteria multa, odia atq; dissidia innumera penitus sublata. Erectum etiam Monialium cœnobium Patris Didaci Viceprouincialis monitis & hortatu, ex quo ingens bonum speratur; ab eodemq; donec aliud præpositis maioribus videretur, cuiusdam Indorum Oppidi, Caxica nuncupati, cura à nostris habenda, sicut fit in Iulienſi sede, susceptа, cuius indigenæ ipsi Regi vectigal pendunt, eiusq; templum præclarum satis, & optimis ad diuinum cultum vestibus exornatum. Itaq; locus ille maxime videtur idoneus, vt nostri difficillimam linguam Muscam addiscant, quam aliqui post laborem quatuordecim mẽsium, multis superatis difficultatibus, ita tenent, vt summa fidei capita magna verborum proprietate in eam linguam transtulerint, quæ translatio, ab Archiepiscopo, & Præside, facto examine, comprobata; decreto quodam publico omnibus Parochis imperatum, vt illa indigenis explicetur, quam ipsi facillimè discunt, & ex Christianæ religionis notitia magnam in illorum animis morum mutationem in dies singulos experimur: nam cum antea pauci vellent vxorem secundum ritum Ecclesiæ ducere, quod ex corruptela naturæ multis implicarentur pellicibus, id iam est illis facillimum, ita vt paucis diebus ducenti amplius fuerint matrimonij vinculo ritè consociati.

COLLEGIVM SEMINARIVM D. Bartholomæi.

IN eadem vrbe administratio seminarij collegij, (cui a D. Bartholomæo nomen est) à nostris suscepta. Ædes habet optimas ciuitatis, ab Archiepiscopo ad hoc egregiũ opus coëmptas: in illis octo & quadraginta Collegæ residẽt, ex quibus octo, qui ad seminarium Ecclesiæ spectant, suis sumptibus Antistes alit, pro singulis centum aureis persolutis, hi focalibus vtuntur pulli aut liuidi coloris, & templo maximo temporibus assignatis deseruiunt, cæteri sunt conuictores, & expensis proprijs aluntur, quibus focalia pendent è collo rubea siue coccinea, vt à primis distinguantur. Omnibus præest vnus sacerdos è nostris adiutore Fratre sociatus, qui tãta diligentia hanc iuuentutem litteris & virtutibus educat, vt multi doctrina, & pietate præditi in locum hominum ignorantiũ possint ecclesijs suffici.

MANSIO CARTHAGINIENSIS.

HAc noua apud Indos Carthagine concepta, de nostris hominibus & muneribus præclara opinio indies magis apud omnes ciues crescit, nec mirum, cũ nostri totum suum laborem impendant in hominibus omnis generis e colendis, quorum vberrima messis alios plures operarios exposcebat, siquidem ciuium amplius tria millia, Æthiopum septies mille, plusquam octingenti nautarum, & militum fere trecenti, diuini verbi pabulo reficiũtur. Quibus accedunt classes Hispanicę, quæ singulis annis hunc portum tenentes, ingentem vim ægrotantium secum apportant, quibus remedijs cœleſtibus

lestibus à nostris statim occurritur. His pietatis officijs gratissimos se ciues præbent, ciuitatesque confines ardenti tenentur desiderio tanto bono perfruendi, vt Mesochorus Cathedralis Ecclesiæ insulæ Hispanæ huius sedis superiori litteris suis ostendit, illum enixè deprecans, vt aliquos eò mittat è Societate: quod nemo sit qui insulę illius habitatores in vitiorum cœno demersos, inde velit extrahere. In hac igitur vrbe maxima concurrit ad nostrum templum hominum multitudo, vt peccata confiteatur, & sacras audiat conciones, ex quibus maximus colligitur fructus.

Æthiopum sodalitas maximè iuuat, vt huiusmodi cœteri de rebus fidei, & morum emendatione doceantur. Hæc nostrorum opera ciues magna liberalitate compensant: siquidem anno ac sex mensibus amplius aureorum quatuordecim millia nostri ab illis acceperunt. Templum etiam pulcherrimo tabernaculo, & argentea deaurata pyxide ad sacrã Eucharistiam asseruandam amplificatum, sanctissimique pueri IESV pulcherrima statua decoratũ. Missi ab hac sede ad oppidum sanctæ Martæ, triginta illinc leucarũ interuallo disiunctum, à ciuibusque magnæ lætitiæ signis excepti: statimque tota commota ciuitas, vt peccata confessione lauaret, multa sublata dissidia inter viros Principes, ex quibus mala grauissima timebantur. Sed tamẽ indigenis propter linguæ ipsorũ inscitiam minime consultũ, qui pene omnes huius prouinciæ hac de causa Ethnici remanent, nec solum ipsi, sed triginta Ethnicorum millia ab hoc oppido ad sãctissimę Triados vsq;, eos qui se de fidei veritatibus doceãt, vehemẽter expo-

scunt. Excursum denique à Patre Viceprouinciali, & Patre Illefonso Sandoual ab hac vrbe in Ethnicorum prouinciam, Vraba dictam, ex Episcopi, & Gubernatoris sententia; Cacicij enim præcipui suæ gentis legati Carthaginem venerant, sacerdotes, qui se Christiana doctrina imbuerent, postulatū. Octo diebus aduerso scaphæ cursu renitentibus vē tis illuc peruentum, vbi nonnullis ægrotis infantib baptismate sacro ablutis, & aliquibus Indorum d fidei rebus instructis, Lauretanęq; Virginis structo sacello, in vrbem, vnde Patres exierant, reuertertū, aliqua gentis huius accepta notitia. Terram enim incolit syluis, nemoribus, fluminibus, præruptis montibus, & conuallibus cœno infectis profundis simo plenam; sterilem deinde nimis & calidam; nul lis argēti vel auri venis copiosam; radicibus arborū & illorū exiguis fructibus, sylueſtriq; carne barbar vescūtur, & quindecim oppidis in collium altitudi ne sitis habitant; quibus aliæ quinq; Prouinciæ sunt conterminæ, eadem lingua, vt apparet, ad discendū facili. Idolorum cultu carent, præterquam quòd qui ægrotis medentur, cum Dœmone colloquun tur, sua quilibet vxore contentus viuit, viri omnino nudi, & vnguento rubeo obliti incedunt, desuper varijs depicti coloribus; fœminæ honesto habitu in dutæ, tantum id curant, vt suis viris inseruiant; illi verò otio desidiosissimo diffluunt; iter tamen fa cturi, arcu & sagittis veneno infectis instruūtur, eli guntex ipsis concionatores, qui voce con-

tenta absque vlla actione lo-

quuntur.

ANNÆ

ANNVÆ LITTERÆ PROVINCIÆ PHILIPPINÆ SOCIETATIS IESV

Anni 1606.

NVmerat hæc Prouincia Philippensis tres & nonaginta Socios: ex his triginta septem sunt sacerdotes, Scholastici viginti tres, sex & viginti Coadiutores temporales, reliqui Tirones. Continet vniuersa prouincia Collegia duo cum Hispanorũ Seminario: Sedes vero sex, duob. etiam Indorum Seminarijs adiunctis. In Manilensi Collegio cũ Seminario quatuor supra quinquaginta e nostris commorantur, è quibus tredecim sunt sacerdotes, tres & viginti Scholastici, Adiutotes 11. Nouitij vero 7. è quib. Scholastici tres recensentur. Duo Theologiæ Professores, vnus Philosophię magister, alter grãmaticæ. Theologiæ aũt auditores nouẽ, 11. Philosophię; duo Grãmatices. Ex his tres Seminario præfuerunt sacerdos cũ duob. Fratribus, Adiutore altero, altero Theologo. In Antipolitana Sede tres sunt Patres, totidem adiunctis Fratribus, in Silanẽsi duo Sacerdotes. In Zebuano Collegio tres Patres cum quatuor Fratribus, ex his Sacerdos cum Fratre Octonienſi missioni adfuit. In Dulachiensi, quod Collegij nomen tantum, Sedis vero rem habet, quatuor habitant sacerdotes, duoq; Fratres & Seminarium. In Carigarẽsi Sede tres Patres cum duobus Fratribus: adde Patrem Superintendentem. In Boholana tres item sacerdotes, Adiutoresq; duo cũ Seminario Indico, in Tinagonensi Patres quinq; cũ duob. Fratrib. Admissi in Societatẽ duo Scholastici

cum

cum Fratre Coadiutore. Reuersus est Roma Pater Petrus Chirinus Procurator cum vno sacerdote, quinq; Scholasticis, ac duobus Coadiutoribus.

Mortuus est pater Christophorus Cerecellius quarto idus Augusti. Is patria erat Senensis, Romę in Societatem adscriptus. Studuerat Philosophiæ ac Theologiæ. Sacerdotio initiatus Tagalensibus Indis operam dare cœpit hoc eodem anno, pari animi demissione suique contemptu; vir patiens ac humilis raptus à Deo, breui interuallo expleuit tẽpora multa, illi placens cui inseruierat.

MANILENSE COLLEGIVM.

ADhuc & nos sub spe ac metu: quantumque illa addit animi, tantum hic incutit terroris: fauerat illa hoc anno, glorioſa nostris de Malucensi regno parta victoria: sed obfuit ille, repentino optimi ac præstantissimi Mahilẽsis Gubernatoris interitu: illa Mindanaenses cõmunes hostes, priori victoria profligandos sperabat; hic vero posteriori morte audaciores futuros timet.

Perrexit superiori anno noster Gubernator insigni Hispanorũ classe stipatus ad bellum, voluit tamen, Malucenses Insulas expugnaturus, aliquot è nostris secum mitti: & quidem missi sunt quatuor, è quibus tres fuêre sacerdotes, omnes ex Indica Prouincia, qui adnos appulsi ob factã in suas sedes irruptionẽ ab Olandensibus hæreticis, nobiscũ etiã sunt hoc anno versati. Missi ergo summo fuerunt bono vniuersis, Gubernatorem consilio, aliorũ ordinum viros exemplo, duces ac milites verbo, ope ac industria miseros, infirmosq; iuuerunt, eximio vbiq; veręe religionis odore relicto. Postquam autẽ,

Deo

Deo dante, victoriam sunt nostri haud magno periculo cõsecuti; data est statim Patribus à Gubernatore antiqua eorũ Ecclesia, quæ à Diuo Paulo nomẽ habet, quæ cum in præcipua Terrenatensi Insula sit sita, pręcipuam etiam inter reliquas illam efficit Sedem. Qua in re cùm Patres ipsi de omni euentu Paternitatem veram sint facturi certiorem, ijs omnibus, quæ ibi acciderunt, prętermissis, ad nostra tantummodo breuiter narranda, me ipsum impendã.

Redijt ergo victor Gubernator, nostraq; Silanẽsi domo haud exigua lætitia visitata, Manilam ingressus est ouans: vbi paulo post Deo gratus, illi gratias exhibere voluit in nostro templo, prętuia tota vrbe, clero, religiosisq; ordinibus, qui omnes non minori pompa, quã animi gratulatione glorioſum sunt principem, eumque humilem sociati: ibi rite decantato solemni sacro, concionem habuit grauẽ Episcopus Segouiensis, qua in re vtriusq; Principis patuit animus in nostrum ordinem. Sed lætitiã hanc turbauit subsecuta post quindecim dies Gubernatoris nobilis mors, qui scripta nobis Epistola sensu plenissima, nostrorũ se sacrificijs, precibusq; moriens commendauit. Sed iam propius accedamus. Tirones altera anni parte Manilæ sunt cõmorati, altera vero apud Antipolum: vtrobique cum fœnore, nec minori propriæ perfectionis studio vacant, quam alienæ desiderio.

Sacerdotum vero ministeria cum Hispanis, Indisque aucta sunt alterius sacerdotis lingua, quam Malaiam vocant (hoc præcipuum inter Mindaenses Patribus emolumentum, eorum linguam ediscere, captiuitatis suæ non exiguum trophæum) quæ

cum

cum sit inter Manilensia mancipia frequens, haud parum illis profuit, tum reliquo anno, tũ præcipue quadragesimali tempore, quo maior esse soler vniuersorum concursus ad salutarem pœnitentiã. Porro Pater idẽ Seminario D. Iosephi præest, è quo scholastici duo Societati nostro dedere nomen, æmulis relictis, qui cum nostrorũ disciplina imbuantur, frequẽtiores in studijs, firmiores in ijs, quæ ad salutem expectant, esse solent, maioriſq; culturæ fructus referunt non spernendos.

Sed dum suo quisq; operi insudat, ecce hora fere nona. Patre Rectore Collegij in maximo Templo exhortationem habente de sanctissimo Christi Domini corpore, infra Octauã eius diei, quo ãniuersaria eius celebris est memoria in Ecclesia vniuersa; accessus repente ignis, cui mirum in modũ subiacet hac tellus, tum ob tabulatas, arundineasq; domos, tum etiam ob furẽtes ventos, qui accenso igni associati, suo flatu per obiecta quæq; incredibili impetu bacchantur. Ignis ergo non longe à nostra domo furẽs, plures repente vorat domos; sed dum iam expectatur Collegio appulsurus, flante (quæ Dei benignitas fuit) alio vento aliò pergit, flagrãs vrensq;, nostro Collegio nostrisque domibus intactis, plures deuorat ædes, Augustinianensiq; insigni domo, Diuæque Potentianæ Collegio absumpto. Nec in alio ignis discrimine defuit nobis Deus, dum paleis incensis vrgente vento, nostra in horto quodam domui proxima igni, periculo libera euasit, vnde nec ambusta cessit, nec ignis, pellente vento, illam absumere valuit. Sed licet liberi ab igne perstrepente euaserimus, non tamen euasimus aquam, quæ aper-

tam

tam quodammodo domum pluuiali tempore petens magno fuit nostris incommodo: In causa fuerant ablatæ propter ignem è tecto paleæ, quibus domus hæc magna ex parte tegebatur: quare factum est, vt male tegulatam domum penetraret imber, qui nobis nostrisque rebus non semel offecit.

Nostrorum autem animus in vtroque periculo firmus, tertium etiam frequentis terræmotus superauit, Diuo Polycarpo Patrono, (cuius sacras reliquias sacellumque habemus domi) nos vrbemque tutante, quæ iam missis paleis tegulas adhibet domibus, cautior in futurum. Porro tribus elementis agitati, haud quarto liberi omnino, tutique seruati sumus: quia tamen pro consueto hoste habetur ventus, non adeo nos terret in vrbe, sicut in mari assolet, vbi nauigantes nullo alio tutamine quam diuino, ingruentes superant tempestates.

Sed & nostrorum opera in graui quadam perturbatione sedanda enituit, quæ haud modicum tum Hispanis periculum, tum Iaponensibus detrimentum minari visa est. Iaponica gens armis assueta magis quam paci, dum hîc mercaturæ vacat, moræ studens diuturniori, quam Manilensibus placebat: factum est, vt oblato inter Hispanum satellitem, ac Iaponensem hominem, graui dissidio, is à nostro milite breui interuallo necaretur, dumque hæc à paucis incaute patrantur, maioris interim crescunt causæ dissidij: Iaponenses

ètenim,

etenim, socio interempto, arreptis statim armis accurrunt celeres, in vindictam ne, an in defensionem, ambiguum adhuc; Hispani vero coniurationem suspicantes, furore actos Iaponenses perdere tentant, antequam audeant maiora. Ecce parua scintilla contempta magnum excitat incendium. Accurrunt vndique nulla acie instructa, qui adiuuent socios, hostes comprimant, dissidentes saltem concilient: adfuit etiam Manilensis Collegij Rector, qui mox iratos Hispanos coërcet, mox Iaponenses adit, ne irrumpant, monet vt se in propria vrbique proximas ædes recipiant, eosdem ad petendam veniam inuitat, nostros vero ad clementiam impellit, militarem illum fuisse furorem, popularemque tumultum, non coniurationem. Sed Hispanos ira mouet magis, Iaponenses autem furor agitat, vtrique consentiunt ad bellum, nec tamen desistit Pater, donec suadeat Hispanis, vt se ad opportunius tempus seruent, Iaponensibus vero insinuat vt cautius agant, neue sint inposterum pacatis Hispanis offendiculo: Dein Patrem Ministrum mittit, qui cum Iaponensibus pernocter, ne aliquo siniſtro consilio suscepto, à recto desistant; tota tamen nocte laborat ille cum Sacerdote quodam ex Franciscana familia, sub quorum disciplina sunt Iaponenses. Sequenti die accedit luce è nostris alter, Iaponenses adhuc dubios terret Hispanorum potentia, eorum milites ad futurum discrimen paratos ostendit, tormenta bellica parasse; suadet, ne se tanto periculo opponant, quin & arma exhibeant vt Hispanis petentibus, monet, manusque vt dent, inuitat, nullum discrimen metuen-

tuentes, nec fruſtra. Deo namque bene fauente optatum tandem ad exitum perducta res eſt. Sed ſequenti adhuc nocte, prope Iaponenſium ædes repentino incendio flagrare incipiunt nonnullæ eorum domus, viſoque igne idem Pater, qui in propinqua noſtra æde tunc temporis morabatur, accurrit velox, Iaponenſes que inſidias ſuſpicantes, miſſumque à noſtris illum ignem (qui caſu accẽſus eſt) arbitrantes ad ſuorum internetionem, ſedauit iterum, noſtros haudquaquam talia fuiſſe machinatos probat, verbis reque facit palam, Deoque bene fauente, rem totam nouum periculum minitantem iterum componit, inito vtrinq; fœdere, amicitiaque veteri iterata.

Iam vero, hoc fugato periculo, aliud mox ciuium animos perturbauit: ventura ſcilicet aliquot Iaponenſium millia, quæ inſulam quandam noſtris hiſce Philippinis proximam, Formoſam nomine, expugnatura erant. Verum licet in Iaponia hæc agitarentur ob mercaturam potius exercendam cum Sinenſibus quàm ob bellum cum noſtris ineundum Iaponenſes tamen ex militibus mercatores, imminenti nos metu liberarunt. Quare nos hîc commorantes ſpes ſæpè, ſæpius vero metus agitat, nec mirum, pluribus namque ijſque gentilibus, vallati nationibus, exigui numero, aſsiduo ferè concutimur metu, ſed nec ſpe fruſtramur, adfuturum nobis vbique Deum, qui & nos exiguos ſeruet, hoſtesque licet plurimos contineat ne perdant, ſeu fuget ne audeant.

Sed neque hoc ſatis: pacatis namque Iaponen-

sibus , Mindanaenses antiqui hostes haudquaquam ab incepto iam dudum facinore destiterunt. Continuerant namque se ad tempus ab armis, Patre Melchiore Vrtado (de quo infra) suadente. Moxque victis Malucensibus , non parum territi, se ad pacem aptabant: at vero audito nuncio, diem extremum clausisse Philippinarum Insularum præstantissimum Ducem ; armata denuo classe , quidam ex illis haud magni nominis, Pictas iam pluries expugnatas Insulas petiere, non sine Christianorum damno nostrorumque periculo, de quo in Dulachiensi Sede. Nunc autem lubet breuiter exponere, quicquid actum sit apud Mindanaenses cum Patre Melchiore Vrtado, Fratreq; Didaco Roderico in ea, quam ad eosdem , Manilensis præsidis, vrbisque nomine, suscepere expeditionem , ad quam vt legati missi, vti captiui habiti , vti liberi tandem aliquando euasere. Porro hæc ipse Pater ad me de suo itinere, commoratione, redituque perscripsit.

Vt iniuncto muneri faciam satis , teque vti par est, de mea Fratrisque Didaci Roderici reuersione & Mindanaensi Insula faciam certiorem ; ad maiorem Domini gloriam , meique ipsius contemptum, hanc scribo epistolam , breuem illam quidem , quantum rei ipsius opportunitas exigit, non tamen oblongam, sicuti reuera temporis longinquitas varijque euentus postulabant.

Quare prætermissis maris iniurijs , quibus nauigantes quique , etiam nolentes lacessuntur, initium ab ipso nauigationis fine sumam. Peruenimus ergo ad Mindanaensem fluuium maximum,

ximum, ibique à principibus Indis excepti primò sumus magna lætitiæ significatione, quæ quidem aucta delatis à nobis Regijs donis tamdiu durauit, quandiu eorundem lenitus animus ad priorem reuersus est duritiem : munera namque, vti aiunt, durum quodcunque emolliunt, sed nullo vnquam sapore nigra Æthiopis cutis albescet.

Paulo post omnes quicquid fictum intus latebat, fecere palam. Pacem quam inierant nobiscum verbis, opere ipso fregerunt : primo namque Silonga (is est Mindanaensium quasi Rex & antesignanus, nisi illum tyrannum voces) per fallaciam, quæcumque ferè ad captiuos redimendos mecum attuleram, arripuit hoc consilio, ne quisquam illa prius à nobis auferret, solum apud nos remansere exigua quædam, quæ vix satis erant ad victum comparandum ad tempus.

Nec multo post, eo ipso die, quo duobus antè annis è Dulachiensi Sede captus captiuus primum factus sum ; nostram adijt domunculam dux is à quo captus fueram, nullaque re inuenta, quam secum abstraheret, iussit vt me aptarem ad iterum nauigandum, futurum iterum captiuum Regis Malucensis, ea tantum de causa, quod pro me nondum illi solueram pecuniæ loco, tormentum bellicum, quod quidem attuleram, sed haud talem, qualem ipse exoptabat.

Tandem minis ſolummodo illatis contentus, ſecum detulit Hiſpanos aliquot homines, qui etiam capti ac captiui apud me alebantur, præ commiſeratione potius, quam facultate; à quibus cum certior factus noſſet nos non exigua inopia laborare, nullumque argentum poſsidere, illos iterum ad nos miſit.

Poſt hæc ſoluente Hiſpanica claſſe Malucum verſus, ipſe Regius Gubernator D. Petrus de Apuna aliquot ſtipatus triremibus, illuc ad fluminis Mindanaenſis oram (recto prætermiſſo curſu, non ſine claſsis periculo ob aduerſos ventos) nauigauit, tum vt initum cum Mindanaenſibus fœdus ſtabiliret, tum etiam vt nos inuiſeret pro captiuis habitos: Illi vero è conuerſo, non ſolum non rependunt amoris vices, quin potuis nec inuiſunt viſitantem Principem, nec per litteras ſalutant, ſed ad ſuperiora fluminis aufugiunt infidi: interim pręſtolatur ibi aliquãdiu illos patiens Gubernator, nec apparent: quo viſo mittit triremem, quæ flumen ingreſſa exploraret loca, animoſque meque ſimul cum ſocio, exhibito altero bellico tormento pro redemptione, ſecum inde auferet. Hoc audito, iterum me Silonga metuens ſatellitibus cuſtodiendum tradit, illud vſurpans, eundem futurum vtriuſque exitum. Imperat vt ſcribam Hiſpanis Epiſtolam, qua moneat illos, ne accedant: imperio ceſsi, ſed nec ſibi placens petijt vt illi ſignificarem, quidnam opportunius cenſerem faciendum? afferui illud optimum, obtemperare Gubernatoris voluntati, eumque inuiſere ad oram fluminis præſtolantem: paruit ille,

ille, duabusque aptatis nauiculis, alteram conscendit, alteram & ipse conscendi, sed licet cito cursu, citiori nauigarunt Hispani Malucum versus : illi namque Silonga non comparente, Indo cuidam tormentum exhibent bellicum , nulloque læso recessêre, relicta tantum Gubernatori Epistola, illàc (peracti bello Malucensi) vela iterum daturi. Interim Mindanaenses falso nuncio, seu suspicione tacti, velle nos Silongæ illudere , nostram pauperem domum cum vniuersa re diripiunt. Reuertens vero Silonga ad suos, facilè Hispanorũ fidẽ agnouit , qui pro glandibus tormenta suis dedêre hostibus, quique direptionem, furta, incendia, rapinas, occisionesque fuerant experti, nunc facili negocio Mindanaensibus superiores, nec minimũ quid damni aut læsionis machinati sint : vnde sæpius illud habebat in ore, Hispanos licet sin Capres (gentilico nomine illos compellans , eò quod Sanctorum Imagines adorent) veritatis tamen esse amatores, ac datæ fidei cultores integerrimos. Interim se præparant ad futurum bellum, conscientia potius negatæ fidei, quam Hispanorum metu perterriti: muniunt oppidum præcipuum , tum ligneo muro , tum aperto fluminis riuulo : ego vero iterum iam captiuus nec moueri loco valebam, nec aliò (vti antea) incedere, quin aliquando petitus fum ad mortem , quam facile attuliſſet Sinensis quidam , qui de nobis male obloquebatur , si illi concessum a Mindanaensibus fuisset , qui non semel inito consilio nos etiam confodissent, vti pro certo cognoui, nisi nos seruasset Deus : cuius consilij participes facti qui no-

biſcum remanſerant Hiſpani, arrepta fuga ad oppida quædam amica ſe contulere, ne nobis in morte ſocij fierent, quam timebant. Sed factum deinde eſt, vt odium hoc in amorem conuerteretur, quique nos expetebant ad necem prius, poſtmodum ad ſalutem cuſtodiebant, hoc ſibi perſuaſi, nihil mali paſſuros ſe ab Hiſpanis, nobis apud illos verſantibus: ſicque recedendi facultatem verbis differebant, opere vero penitus denegabant, eòque magis, quòd certo nuncio cognouerunt, victos à noſtris Malucenſes Kalendis Aprilis, inſigni potitis Hiſpanis victoria, quam Mindanaenſes haudquaquam ſuſpicabantur futuram. Sed haud multo poſt delatæ illuc ad me ſunt Gubernatoris Manilenſis epiſtolæ, quibus monebar, vt quamprimum poſſem, inde recederem Manilam rediturus, Mindanaenſes viſis epiſtolis, certioreſque facti de noſtrorum victoria, Malucenſique Rege vna cum nobiliſsimis Terrenatibus, capto, territi, ceſſerunt tandem, factaque diſcedendi poteſtate; vbi primum potui, nauiculam conſcendi cum ſocio, eo ipſo die, quo celebris eſt Beati Parentis noſtri Ignatij memoria: quia tamen nauigaturis nullum aderat velum, duobus præſtolati ſumus diebus Indum, qui miſſus illud ad nos deferret rediens, ſed inſtante nouo nuncio, nos iterum euocandos, papilionibus pro velo vſi ſumus; his ergo vſi velis, quibus antea contra culices, quibus hæc terra ſcatet, vſi eramus; non aſſueto maris tractu, propter hoſtium pericula, vela ventis dedimus ſecuriores,

riores. Factumque est, vt tunc ex hostium manibus erepti rectum cursum habuerimus, quem quidem haud tenuissemus, si aliquantulum præstolati, nuncijs de morte nostri Gubernatoris, quæ iam Manilæ acciderat, interfuissemus.

Quare eo tempore sumus Manilensem vrbem ingressi, quo de reuersione nostra spes erat fere nulla. Audito tamen nuncio de Gubernatoris obitu, citiori cursu mare hoc traiecimus non sine periculo, proiecto prius in mare victu, ijsque rebus, quas nobiscum è Mindanaensi ac Boholana Insula detuleramus: ibi namque excepti fuimus à nostris perhumaniter, pluribus ad iter necessarijs exhibitis: Eoque impetu ferebantur aquæ, vt quæcunque adueniens vnda vltima putaretur. Sed nec exigua bene de Deo merendi occasio in hac seu legatione, seu potius captiuitate exhibita nobis est: nonus is mensis erat, quo res nostras abstulerant hostes, nosque haud in modica egestate versabamur, adeo vt visa necessarij victus penuria, non semel ipsa Silongæ soror, præ commiseratione lachrymas fuderit, quæ etiam nobis recedentibus, oblato ad victum argento aliquo fauit: nec defuêre captiui captis nobis, quin & ipsi hostes adfuêre vtcunque, eo præcipuo tempore, quo populari furore res nostra tota deperdita est.

Quadam etiam nocte euocatus ab infirmo captiuo, eoque Christiano, vt ei in suo mortis periculo

adeſſem. Frater Didacus, demerſa exigua eius nauicula, non minori ſuiipſius periculo, quàm ingruentium Crocodilorum numero, ſed Deo volente euaſit periculum, non tamen pluuiam, qua ſatis madidi, omni alio indumento carentes noctem transegimus laborioſam. Sed vt quid hæc refero glorioſè? Si quid (quod modicum quidem illud eſt) vel cibo laborauimus, vel veſtitu caruimus, vel alio quocunque mortis periculo territi, ſeu circumvallati fuimus aliquando: quot nobis Deus ipſe vel beneficia contulit, exhibuit munera, vel dona largitus eſt? Labores, ſi qui fuêre, ſupra debitum compenſauit, fugauit triſtitiam omni nos lætitia cumulans; pericula funditus arcens, noſtris nos reddidit incolumes, tutos que ſeruauit. Sed quid? in ipſa Mindanaenſi Inſula nobis adfuit cumulatiſsime, deditque vt ei in aliquo famularemur intrepidi. In Dapitano oppido, graſſante peſte, baptiſmo nonnullos ablui, è quibus infans illo ſuſcepto ad cœlum felix advolauit: in Mindanaenſi flumine idem præſtiti captiuorum natis, è quibus aliquot ad ſuperos euolarunt nullo ad huc crimine fædati. In ipſa reuerſione nonnullis iterum apud Dapitanum baptizatis, tempeſtateque ac fame vna cum ſocio iactatus, flumen quoddam ſumus ingreſsi, emendicantesque victum morienti infanti ad fuimus, quo baptizato, nec ſpirituali nec corporeo cibo caruimus. Nonnulli Chriſti fideles in Mindanaenſibus oppidis reperti ſunt, qui adulteria pro matrimonio fouebant, factumque Dei beneficio eſt, vt Chriſtiani Chriſtiano more uiuerent, catholicoque matrimonio

monio contenti, illud omni relicto luxu, venerarentur. Aliquot qui è nostra religione ad Mahometicam se sectam contulerant, illa iterum abnegata, Christo colla dederunt, fortiores effecti etiam inter hostes. Ex his vnus Æthiops repertus est, qui cum, ob eximias corporis vires, magno in honore esset apud Silongam, è cuius latere nunquam diuellebatur, eò deuenit, vt iterum Christianæ denegatæ religioni firmius adhærens adduci nunquam potuerit, vt inter hos nobilis, diues, captiuisque vallatus viuere vellet, quin & oblata multa, tum à Silonga, tum ab eius vxore nobilissima fœmina, omnino recusauit, paruulamque filiam potius ibi relinquere inter infideles voluerit, quam pluribus commodis, honoribusque cohonestatus à Christiana religione recedere. Et quod maius est, elegit libentius iterandam apud Hispanos seruitutem, suscipiendosque labores ac contemptum; quam ibi inter principes viros, liberosq; commorari vna cum filia nunquam alteri seruiturus, æternam tantum libertatem exoptans, sicque nullis precibus victus, nobis se adiunxit cum alijs triginta eoque amplius captiuis, quos nobis dono datos à Silonga ad suos duximus redituros: is vero priori iam domino Hispano iterum inter mancipia deseruit fælix, ac negatæ prius fidei pœnitens, futuram cœlestem libertatem sperat.

Sed placet illud inter præcipua Dei erga nos nostrosque beneficia referre. Parauerãt Mindanaenses classem prægrandem pluribus refertam piratis, qua nil aliud intentabant, præter id quod iam

pridem fuerant patrati : noſtras puta Inſulas infeſtare, Chriſtianos vel capere vel trucidare, ſpoliare Eccleſias vel comburere , omnia vel ſolo æquare vel euertere, cunctiſque vti poſſent obeſſe, quæ quidem omnia ad noſtrum in eam Inſulam ingreſſum ceſſarunt ſumma Dei clementia : quod quidem patuit , cum eodem fere tempore plures alij gentiles, alterius loci coloni minoriſque nominis hoſtes, Pictas petiere Inſulas, non modico earum Chriſtianorumque detrimento , quod quidem longe maius fuiſſet, ſi claſsis illa Mindanaenſis vela quæ parauerat ſoluiſſet ad noſtros. Prouiſum etiam eſt in hac noſtra excurſione pauperibus captiuis, exhibita eis ea Eleemoſyna, quam ex Manilenſi vrbe ad illos vſque detulimus, magna Mindanaenſium admiratione; & quidem pluribus adfuiſſemus , niſi nos hoſtis fallax ijs expoliaſſet. Non ſemel de religione diſputatum eſt à nobis cum Capitis, Imamis, Labaiſque eorum ſacerdotibus, præcipue vero cũ eorum principe Silonga, qui ſæpius cõceſſit, Deum eſſe verum, quem nos adoramus, eoſq; qui mente carent corrupto nos vocabulo gentiles compellare. Is vero qui vere princeps eſt Mindanaenſium, quẽ Raiam Moram vocant, de Imaginbus ſanctis mecum differens, veritateque conuictus reſpondit, ſe nunquam talia didiciſſe, quod quidem plures alij faſsi ſunt, qui licet Chriſtum Dominum vt Prophetam maximum venerantur, eius tamen ſanctiſsimis verbis quaſi alienis aut fucatis credere haudquaquam volunt, ſuis tamen Mahometicis fabulis contenti, qui cum firmiſsima noſtræ religionis principia aperte denegent, nullum argumentis, veritatiq; locum

locum dare coguntur : quin firmiſsime ad hærent ſectæ, quam à pueris imbiberunt, quæ cum tanto luxui ſit dedita, tantamque in omnibus licentiam præbeat Mindanaenſibus, eradicari ab illis vix poteſt, eique adeo à prima ætate ſtudent, totque Magiſtris inſtitutoribus vallatam retinent, vt pueri ipſi adultis nulla in re ſint inferiores, tantumque calleant infantes, quantum ipſi ſenes callent, exiguoq; interiecto tempore diſcipuli in omnibus eius ſectæ dogmatibus Magiſtros ipſos æquent facilime : Sed proh dolor! in tanta viuendi cæcitate, tamque deperditis moribus, cultui ſtudent vrbano, falſæ religionis præcepta ſeruant maxime; Vniuerſis præeunt nobiles tum in frequentandis templis, tum in praua lege ediſcenda ſeruandaq;. Faxit vtinã Deus, vt aliquando vere ſapiant, qui in tanta nunc mentis imbecillitate verſantur, quiq; tali pollent ingenio ad malum, ad bonum etiam Deo diſponente comparentur, quo ſapientiores facti & Deum agnoſcant, & agnitum diligant, & dilecto tandemaliquando nunquam interituro æuo fruantur,

Vale.

ANTI-

Sedes.

PLura Sedes hæc continet oppida: Sed præcipua sunt Antipolum, Taytaium, & cui Diui Iacobi à Cruce nomen est inditum. Sex è nostris numerat Socios, quorum tres sunt sacerdotes. Horum opera elucet tum in Christi fidelibus conseruandis, tum in Christi gregi gentilibus aggregandis: Horum facilitas, illorum profectus, ex vtrorumque prouentu poterit colligi: Gentiles enim vel excoluntur libentius, vel citius imbuuntur, susceptо cum par est, sacro baptismate: Christicolæ vero cælesti disciplina exculti magis, maiora appetunt susceptæ religionis emolumenta.

Mos est in hisce insulis æstiuo tempore, campos igne purgare: prægrande enim fœnum & crassum falcibus est minus aptum, Indisque magis difficile. Quare vbi cremãdi tempus adest, monentur incolæ. vt vt primum possint, loca oppidis propinquiora concrement, quo facilius immisso in campos igni resistant. Hoc anno vel casu, vel insciо oppido, adiacentes campi ardere visi sunt, ventoque impellente, iam iã ignis propinquiora vastabat: accurrunt Indi; accurrunt & nostri: sed quis facile ventos depellet, aut comprimet ignem? iam nulla spes erat tutandi oppidi prægrandis: hinc advolant nostri ad Ecclesiam, quæcunque possunt, quæ alicuius sint ponderis ac momenti, auferunt vt seruent, sed alij (fidentes forte) in genua procumbunt; Parentem Ignatium, vt ignem vel perdat, vel saltẽ disijciat, rogant: extemplò cessante

aduerso

aduerſo vento, alter recens efflans noſtris propitius vaſtantem ignem aliò compulit, quò cunctis profuit, nec obfuit vlli.

Beatæ Virginis Sodalitas recenti ad Romanam aggregatione efflorescit amplius. Incepta meditandi conſuetudo, Sacramentorum vſus frequens, aſsiduus de Chriſtianis virtutibus ſermo inditam pietatem excolunt, excultamque augent, ita vt exemplo ſint omnibus ſodales. Mulier quædam audaciam iuuenis in eam inſultantis, ſolo hoc reſponſo compreſsit: Cliens ſum Virginis Deiparæ. Conſcientiæ (quod vocant) examen quotidie ſub noctem peragunt, ſummoque mane, exhibitis Deo gratijs, ei quicquid ea die acturi, vel dicturi ſunt, pie offerunt, vnde factum eſt, vt horum exempla imitati adoleſcentes, ac pueri, ita ſe excolant, vt recentes Chriſto Domino adiũcti, videantur iam dudum excultis Chriſtianis perſimiles, & quod magis eſt, Chriſtianam mortificationem læto animo, quoties ſe occaſio offert, amplexentur libentiſſime.

Indus quidam propria neglecta vxore, alteri mulierculæ turpiter adhærebat, dum que adamabat alienam, mulctabat ſuam. Hunc inſanientem Dominus tum immiſſo terrore, tum incuſſo metu, ad ſanam mentem inuitabat, mox ad lachrymas tum in templo, tum in domo ſedentem, orantemve euocabat. Sed inualeſcente turpitudine nitebatur in vetitum. Monet iterum atque iterum Deus, nec ſapit, vulnerat tandem graui morbo reluctantem, ita vt & amici dicerent illum eſſe peccati pœnam, ſimulque illum ſic iacentem

tem ad Ecclesiam deferunt, atque ad expianda scelera, si vitam cupiat, quodammodo compellunt. Stat ille iussis, aperit Sacerdoti vulnus, acceptoque remedio vtramque sanior effectus recuperat salutem, corporis scilicet & animi.

Decreuerat Mulier alienæ se subdere voluntati, turpique quæstui deseruire: condixerat diem & horam. Sed ecce dum forte ante eam Imaginem, quam domi asseruabat, tacita secum pensitatione voluntarium crimen euoluebat; subito quodam tremore concussa paulo post futuri sceleris pertæsa, mentem mutat, & cœptum. Eodem prorsus tempore leno è sua domo ad mulieris domicilium prosiliens, (Deo ita disponente) mutatæ alterius voluntatis ignarus, repentino etiam terrore interius vrgente, animum ad alia transfert, aliò etiam dirigit iter: fuit siquidem Dominus pœnitenti mulieri, homine ad saniora traducto.

Graui quodam morbo vexata mulier, animum confessione expiare cupiebat: aberat Pater, sed illi per quietem vir grauis apparuit: ne timeas, inquit; Crastina die sub vesperum aderit Sacerdos, (simulque eius exprimit nomen) apud quem patrata in Deum scelera detèges.

Retulit hoc lætabunda parentibus, qui cum sequenti die de Patris futuro aduentu nihil scirent; eam increpant, quasi de mendacio conuictam: at illa, nil dubito, hodie quidem hac hora veniet Pater. Dictum probauit euentus; adfuit eadem hora Sacerdos, apud quem confessionem rite peregit,

peregit, priusque animi salutem, quam corporis medicamenta recepit, meliusque breui habuit.

Grandœua quædam Inda hûc è montibns se contulit, curiositate potiùs impellente, quàm alio salubriori consilio: vbi primum ad oppidum peruenit, morbo opprimitur: iniecit illi mentem Deus, vt sacro Baptismate lustrari percuperet: nullus tunc aderat Pater: Sed qui sanam dederat mentem Deus, is dedit & vitam. Euocatus postmodum sacerdos, infirmam ac iam iam periclitantem vtcumque instituit, ac baptizat: Baptizata salutem corporis consecuta est simul ac animi, quò rectius ac perfectius, quæ crediderat infirma, ediscat ad sanitatem pristinam traducta.

Plures hoc anno (demptis quotidianis infantulis) sacro Baptismate lustrati sunt adulti. Ex his celebrior fuit quidam eorum dux, quos Itas vocant, montium incolas syluarumque colonos, is eorum ad facinora princeps, atque ad Idolorum sacrificia Sacerdos (Catolonas appellant) suorum deinde ad Baptismum suscipiendum caput fuit, & antesignanus; qui pristinis relictis moribus, vna eademque die, Christo Domino cum vxore ac liberis lætus nomen dedit, exemploque est alijs antiquioribus, siquidem non semel fiunt nouissimi primi, primique nouissimi.

De oppido Diui Iacobi, hæc breuiter: In editis mõtibus sitũ est, ac sicut incolas habet rusticos, ita & accolas habet barbaros, nullius moris seu disciplinæ peritos.

peritos. Hos & illos excolunt noſtri nullis parcentes laboribus, ſicque fit vt ſæpius Chriſto Domino, etiam iumentis ſimiles aggregent, quippe qui homines & iumenta ſaluare percupit, quæ eius miſericordia eſt : aliquos ſiquidem rationibus conuictos; nonnullos munuſculis attractos; quoſdam priuilegijs communitos, omnes vero ſpe ſempiternæ gloriæ allectos, ad dulcia Domini paſcua aduocant indefeſsi, nec fallit illos ſpes: quot namque ſemina flentes mittunt, tot deinde manipulos cum exultatione reportant. Hinc frequentia etiam adultorum baptiſmata: hinc infidelium conuerſiones crebræ: hinc vniuerſorum prouentus emanat. Sed quod glorioſum nomen huic oppido addidit, id fuit Crux illa inſignis, de qua ſuperiori anno ſcripſimus nonnulla; quæ vt clariora fiant, hîc non admodũ breuiter inſeremus.

Mos eſt Crucem nouis oppidis concedere, quo veluti ſigno agnoſcantur fideles, qui ſub tã glorioſo vexillo militant. Accidit forte, vt huius oppidi Dux Chriſtianus, aliud infidelium Itarum oppidulum inuiſeret, placuit illi Crucem ligneam in medio erigere, monitis prius gentilibus, in eo ſigno veram ſalutem reperiri, oppidique tutamen. Vix inde abierat ad ſuos Dux, cum gentilis vnus: vt quid hoc ſignum, inquit, meam infeſtat domum? præſtat illud aliò transferre, antequam in domum meam peſtis ingruat. Euellit Crucem barbarus, quam dum non longe plantare contendit, Indus alter, ne, quæſo, hanc hîc, ſed longius erigas extra oppidum : timeo enim mihi, ſi ſit illa prope. Conueniunt ambo, eamque extra oppidulũ

(Cayan-

(Cayancangæ nomen habet) faciunt, fossaque humo erigunt. Vix prior domum redierat, cum in febrim incidit furentem, linguaque introrsum recepta, fere per annum exemplo fuit cæteris ac terrori: alter vero licet firmis esset viribus, in morbum paulatim incidens, vno breui oculo orbat⁹ est. Prior post plura suis Idolis (amicos nominant) frustra oblata sacrificia, tandē vnius Christiani monitu, Deo votum emisit, se Diui Iacobi templum (tribus distat leucis) aditurum, oblaturumque aliquid quod esset animi sui gratum indicium. Extemplò soluta lingua, mens sanior reddita febrisque fugata est. Ad templum cum vniuersa familia peregrinatus, ibi semiargēteum nummum dono dedit. Sed postmodū ad nos reuersus, impeditioris factus linguæ, interdiu ægrotabat accerrimè, sed inuocato sæpius, vt fuerat edoctus, Dei nomine, morbi vis remittebat. Tandem Deo bene disponente, ad Diui Iacobi oppidum vna cum vxore & filijs perpetuo moraturus aduenit, vbi à nostris adiutus, empto campo inter Christianos vitam degit Christianus futurus. At vbi primum ad nostros de hoc Crucis miraculo relatum est, idem de eorum consilio Dux illam è Cayancanga huc detulit, quam deinde nostri cum oppido vniuersi obuiam facti, religiosè quidem exceptam in nostro templo ad Altaris maximi Euangelium iterum erexerunt. Auxit miraculum eius materia, quæ citius putrescere solet, nec diu durat; hæc verò tertium iam annum agit incorrupta, ad quam nec infideles falsum iurare ausi sunt; quin siquis aliquid furatus, iuramento (quasi suspectus) ante illam obstringi cogebatur, nequaquam faci-

nus negare audebat, sed potius sub noctem quicquid furatus fuerat, ad Crucis pedem deponebat timens.

Quia tamen iustis de causis, quatuor abhinc mensibus oppidum hoc ad Antipolanum pagum vna cum oppidanis, Regio iussu, deduci statutum fuerat, prior visa est Crux deportanda, quod factum quidem est, celebri satis pompa: datumque est alio die drama de eius euulsione ac miraculis, pluribus oppidis inspectantibus, celebrique concursu. Sed neque hoc satis. Placuit namque Deo, qui priorem Crucis sedem insigni illo miraculo decorauerat; secundam hanc frequentioribus signis cohonestare. Terra namque illa, in qua Crux in Diui Iacobi templo effossa fuerat, paulatim crescens in modum pyramidis, pluribus miraculis locum dedit: hinc febres, dolores capitis, corporis, dentium, auricularum, euanuere: hinc plagæ, apostemata, vlcera, vulneraque sanata. Crescit indies miraculorum fides, crescunt miracula, crescit & terra, ad quam inuisendam, non nostrates Indi solum, sed remotiorum longè locorum quotidiè ferè conueniunt, non sine prouentu: ita vt iam nuncium ad Manilanam vrbem delatum, plurium Hispanorum, eorumque nobilium, nec non & religiosorum virorum animum accenderit, vel ad hæc inuisenda, vel ad frustulum aliquod Crucis petendum, aut terræ huius particulam, piè ac religiosè exigendum. De quibus omnibus longior separatim series visa est texenda.

Illa nequaquam prætermittenda in Crucis honorem. Indus quidam, visa arbore pomis onusta (Papaias

papaias vocant, peponibus non absimiles) illam scandere dum tentat, aspicit ad radicem crucem arundineam, quasi arboris custodem. Hanc ille spernens euellit, euulsamque proijcit, sed ad superiora arboris mox scandens, diuino flagello vna cum arbore proijcitur, seu potius deijcitur in terram, sicque supinus ab ipsa arbore oppressus, ibi detinetur trium dierum, duarumque noctium spatio, nullo cibo, nulloque potu, nec vllo quidem illi fauente. Post hoc tempus ab alijs, qui venantes illuc fortè transibãt, semimortuus ad oppidum defertur, posteriori parte corporis, qua terram tetigerat, in plagę modum infecta, formicisque vastantibus (quæ plurimæ hîc sunt) repleta, vnde factum est, vt apud Itas in veneratione esset Crux, quam hucusq; contempserant, illud sæpius repetentes: Vni mens ablata ac lingua introrsum acta: alteri deperditus oculus: tertio data trium dierum pœna sub arbore detento, à qua puer posset facilè liberari, siquidem non multum habebat ponderis; sit nobis exemplo ac experimento, nunquam in posterum Cruci esse illudendum.

Sed nec minus auxit Crucis venerationem aliud celebre facinus. Ita quidam Indus à Patre ea virga donatus, qua inter Hispanos Regij vtuntur satellites; dum illa gentilis & ignarus vti nescit, quasi piscaretur, illam in prægrandi flumine in arundinis modum immisit, ac iocans: nunquid, inquit, virga hæc pisces capiet? habebat ea parte, qua in flumen missa est, Crucẽ auro insculptam, extemplò pisces sursum acti moribundi enatant, mox moriuntur vniuersi, ac per duos ferè annos vix piscis inuentus

est toto illo fluuio, in quo perpetuo plurimi ac copiosissimi reperiebantur. Et hæc de Cruce compendiosè dicta sint, quæ cum alijs admiratione non exigua dignis non exiguum exigunt commentarium.

Illud tantum huic oppido adtexam, puerorum pietatem senum ignorantiã superasse hoc anno, siquidem illi hebetiores memoriam excusant aliquando, interdum etiam facultatem emendi sacras corollas incusant: prouisũ est huic duplici malo puerorum diligentia: illi namque senes in his quæ addiscenda ac recitanda sunt, sæpius edocent; ac ex vepribus ac frutetis rosarios ritè conficiunt, senibus, vt recitent, dono dandos: placuit quidem hæc puerorum industria: vnde factum est, vt præmijs quibusdam incitarentur, quo cœptum hoc senum beneficium diu protractum perpetuum efficerent.

SILANENSIS SEDES.

PVerorum in hoc oppido (quod Manilæ subditur) profectum, secuta est schola puellarum, has religiosa mulier; illos cæcus senex edocent verbis, disciplina imbuunt, exemploque ad omne bonum impellunt: & quod maius est, adultis prouectionibusque Christianis vel prosunt ad mores, vel ad religiosa munera obeunda prælucent. Confitentes instruunt, communicaturos præparant; afflictis adsunt: solantur mœstos; insolentes corrigunt, ad virtutem tendentes vrgent, morituros adiuuant: mortuisque non desunt: nec non & B. Virginis Sodalibus (inter quos numerãtur) præstò sunt in omnibus. Hinc obita pietatis officia frequenter: adiuti

ia

in Nosodochio infirmi; quibus præcipui tres Hispani viri proprijs sumptibus libenter sunt opitulati: Eleemosynæ pius vsus vel introductus vel auctus tum incolis, tum accolis vel Indis, vel Hispanis pauperibus, quorum frequens numerus aliò pergens per Silanum gradum facit: Nec minor eluxit charitas in Iappones, quorum ducenti naufragantes non longius appellentes, hàc iter fecere, è quibus vel morbo affecti, vel pauperes pro viribus sustentati sunt.

Ecclesia ac domus vndequaque perfecta, auctaque vtraque ea supellectili, quæ pietatem potius redoleat, quam fastum. Illam experti sunt, prius harum Insularum Gubernator, cum è Maluco victor rediret; postmodum Regius quidam Consiliarius, dum hàc cum vniuersa familia ad balneos quosdam recens inuentos, se conferret; ambo piè recepti, & vt rusticos decet ac Indos, rusticano more donati. Christi Domini nascentis festo datum est drama ab Indio non quidem Indico more. Hæc generalia: illa præcipua.

Susceptæ Baptismo sunt à tribus Nobilibus Hispanis Indæ tres fœminæ, eæque senescentes iam, non sine oppidanorum concursu & admiratione. Mulier alia vetula cum duobus filijs & filia ad infideles aufugêre; ibi reperto alio christiano homine, illi filia data est in matrimonium gentilico ritu: hi diu quæsiti tandem inuenti, atque ad nostros adducti; aufugiente solum viro; qui post aliquot mẽses vrgente conscientia sua sponte ad nos venit, factique pœnitens, fictum adulterium vero matrimonio dissoluit. Indam aliam alter Indus, quasi debiti

pignus, è parentum domo, Christianam gentilis ipse ad suos traduxit, vxorisq; loco habuit, filiosq; ex illa suscepit. Illa vero tandem ad se reuersa, ad suos etiam vna cum liberis aufugiens reuersa est, quam deinceps secutus est gentilis, qui breui instructus, Christique Domini ouili adiunctus, tandem cum illa verum cõtraxit matrimonium. Tantum siquidẽ pollet bonis esse principijs informatũ.

LEBVANVM COLLEGIVM.

GEneralium confessionum fructus vberrimus collectus est hoc anno, quem vitę in melius mutatæ probitas comprobat. Indorum congregatio erecta, alumnorum feruore crescit, exemploq; elucet. Interior puerorum schola: exterior per vrbem eorum incessus Catechismique recitatio, concione Patris post illã habita, non paucis sunt emoluméto. Sedatæ plures discordiæ: excõmunicati aliquot viri, qui talem laqueum negligebant, Ecclesiæ reconciliati sunt cum prouẽtu. Baccahanaliorum dies concionibus, sacra synaxi populo exposita, pijsq; cantibus, Quadragesimę haud dissimiles fuêre, nõ minori ædificatione quam fructu, Spiritualia exercitia cõcessa nõnullis: voluntaria corporis verberatio adhibita frequenter. Nosodochium prolapsum, nostrorum diligentia restitutum est. Plurima denique scandala obortа, repressa sunt communi bono, sed hæc præcipua.

Energumenus ad nostrum templum delatus, vnius B. P. Nostri Ignatij reliquiæ contactu sanatus est.

Qua die noui aduenientis anni cursus fælix initur;

tur; eadem in nostro Collegio Augustiniani Patres sacrum solemne, sacramque concionem habuere, vbi plures B. Parentis laudes non tam memoriter recitatæ, quam verè & ex corde recensitæ sunt, nõ sine audientium plausu, nostrorumque admiratione.

Nauigabat quidam ad hanc vrbem, sed vrgente vento iamiam periclitari cœperat; plurium hic Sanctorum auxilium postulat, nec auditur: placuit nãque Deo, hanc Ignatio, recens inter Beatos adscripto gloriam cõcedere. Euocat ergo Parentem Ignatium, Deoque volente statim, fugata tempestate, tranquillum incolumis, & gratus cursum tenuit.

Inter ea bona quæ iniustè detenta, proprijs sunt dominis restituta, illud fortè mirũ; somniabat quidam (qui non ad restituendum se facilem præbuerat) se graui morbo laborare, vnumque è nostris illum de recta tum piè viuendi, tũ sanctè obeundi ratione monere; expergefactus decreuit rem domino reddere, quam malè possederat, sicque eum cũ pecunia Patrem adit, vt quo suasore in somnis didicerat probè viuere, eodem restitutore, quo detinebatur vinculo solueretur.

Classis hoc anno parata est Hispanis, Bisaisque commixta, ad Mindanaensium audaciam comprimendam, vel saltem oram nostram tutandam. Vnª ê nostris classem non semel est comitatus nonnullorum mensium spatio, magno cum fœnore. Singulis ferè diebus auditæ confessiones, communiones exhibitæ sæpissimè vtrique genti. Dapitanense oppidũ lustratũ, vniuersorum conscientiæ per

confeſsionem factum ſatis in Eccleſia, quam præſente Patre de nouo erexerunt Dapitanenſes ſacerdote orbati: duæ præcipuæ familiæ diſsidentes, ad priſtinam amicitiã reuocatæ, è quarũ diſſenſione plura damna timebantur. Centũ fere Indi qui inter captiuos numerabantur, eodem ſacerdote procurante, libertate donati. Ante feſtum Corporis Chriſti appulſa claſsis, portum tenuit, apud Butuanos: ibi breui compacta Eccleſia, celebrem egere diem, militari more ſclopis hinc inde diſploſis, dum ſolemni pompa, Sacroſancta Chriſti D. Hoſtia in ſacra pyxide per oppidum catholico more geſtaretur: ac ſequenti Dominico die communicati omnes: poſt hæc plures infantes baptizati, adultique non pauci inſtructi ſunt.

Apud Caragas ſuſtentati plures Indi, qui præ inopia fame enecabantur, nec minus infirmis ſubuentum eſt, emendicato per Sacerdotem cibo. Edocti Indi actum contritionis in extremo morbo vel neceſsitate vſurpandum, è quibus plures Sacramentali confeſsione multoties imbuti ſunt, & adiuti alij infideles, quorum oppida, quia cum Hiſpanis diſsidebant, factum eſt, vt inito deinceps fœdere, optata pace (venia prius delinquentibus data) potirentur vniuerſi. Hæc fuere vnius tantum ſacerdotis officia, dum claſsi noſtræ bis hoc anno veldanti ſe adiunxit. Ex his reliquorum colliges munera. Sed hoc ad ſolamen audi. Mulier quædam Inda & vidua (neque enim tales contemnit Dominus) pluribus ab hinc annis noſtrorum inſtitutione, diſciplinaque inſtituta, vt Chriſti Domini colloquia familiaritatemque promeruerit. Huic dormienti

infans

infans Dominus apparuit, cui illa supplex peccatorum veniam postulans adeò placuit, vt ei statim extensa dextra, placabilique sermone, patrata prius crimina benignissimè condonauerit.

Eadem mulier infirmis quondam viribus, morboque oppressa iacebat, atque à Diuo Iacobo Apostolo salutata, ab eo integram corporis sanitatem est consecuta. Sed hoc mirabilius: aufugerat ab eius domo eiusdem mancipium Malucum petens, quò ibi è Christiana religione ad Mahometicam sectam, quam prius reliquerat, se transferret. Dolet illa, bisque captiuum deplorat: sed à Domino adiuta instat iterum atque iterum orationi, Antonijque Confessoris, Antonia Inda (hoc illi nomen est) implorat auxilium: nec frustra, reuertitur mancipium, nullo duce: pœnitensque refert Dominæ, se in fuga detentum, manibus, pedibusque inuisibili laqueo reuinctis, progredi non potuisse, regredi tamen facillimè; sicque Deo duce, ad Dominum rediens, ad Dominum etiam reuersus est, bisque dudum captiuus, bis liber euasit.

MISSIO OCTONIENSIS.

Inter has Insulas haud infimi nominis est Panaensis: quippe quæ prima primos Philippinarum expugnatores hospites habuit atque colonos. In hac ergò oppidum est Hispanorum celebre, Octoniensi nomine insignitũ. Eius incolæ nostrorum Societate aliquando exculti; eandem hoc anno auidius expetierunt. Scribunt epistolas suæ voluntatis nuncias, mittunt procuratores præcipuos oppidi ciues, rogant, obsecrantque nostros

frequenter; sed frustratur sæpius desiderio, ob exiguum nostrorum numerum, crebrosque in suis sedibus labores. Accidit vt superioribus mensibus vnus è nostris sacerdotibus cum Fratre classem, quæ è Lebuensi portu soluerat, illuc primum, mox ad Malucum nauigatura, comitaretur; ibique milites non minus publicis sermonibus, quam sacramentorum pabulo ad iter, ad tempestates, ad pericula, atque ad Malucensem Insulam, pridem expugnatam, adeunda comparet. Quo factum est, vt Octonienses Hispani oblatam detinendi nostros occasionem adeò arriperent, vt extemplò ad Lebuanum Episcopum miserint, qui non modò facultatem sustinẽdi extorquerent, sed & quodammodo cogerẽt. Is verò pro ea qua semper Societatẽ nostram cõplexꝰ est, humanitate, adeò se facilẽ præbuit, vt nondũ expectata Regia voluntate, assensum libenter præstiterit, nostros ibi commorandi, additis minis, censuriisque cum anathemate contrarium audentibus. Mox Regius Senatus pari consensu facultatem præbuit ecclesiam erigendi, extruendique domum, cunctisque in omnibus opitulandi. Cessimus imperio ad tempꝰ, desiderio fauimus, adfuimus petentibus. Edocuit itaque primò classem Pater Christianos mores, qua Malucum tendente, oppidum lustrat, excolit, instituit, disciplinis, alloquijs, frequentique ad populum sermone. Adest Hispanis, nec deest Indis, hos edocet, illos instituit. Prima iacet nostri instituti fundamenta, pueros excolendo, mox volentes in templo, nolentes in foro ad efformandos Christianos mores allicit. Videres insitam oppidanorum de nostris bene merendi cupidi-

cupiditatem. Templum maximum (necdum enim nostris ecclesia erecta est) adeunt quotidiè, suæque salutis cupidi sacramenta frequentant, orationi instant, concioni intersunt, cœlesti mensæ accumbunt, mores inde mutant, virtutibus inhiant, Christianæque pietati paulatim adhærescunt: viret namque, quæ emarcuerat virtus, suique odore allectos propinquos attrahit, nemo eos inuitat. Vnus plura peragit ministeria, iamque ad frequentem expiscationem Socios euocat vt adiuuent. Episcopi Vicariq; oppidique Parochus, qui nostros hospitio, domoque recepit, illisque in omnibus præsto est, præ cæteris lætitia exultat, gratijsque crebrò exhibitis, alumnos ad easdem excitat, atque ad tanto bono fruendum impellit. Alij proximorum oppidorum Vicarij nostrorum operam ad sua pascua excolenda sæpius postulant: sed ob ministrorum inopiam eorum desiderio satisfieri nequit: quin & missionem hanc Malucensi classi proficuam, Octonien-sibus ciuibus vtilem, Indis quodammodo necessariam, nec non & Sinensibus ibi commorantibus accõmodatam sustinemus adhuc: nec tamen hoc cõtenti illi, qui Regia impetrata, nec nõ & Episcopali obtenta facultate, nos ibi perpetuò commoraturos sperant: nos verò Paternitati vestræ tantũmodò obsequentes, quicquid in Domino commodius visũ fuerit, præstolantes exequemur.

DVLACHIENSIS SEDES.

LIcet Dulachium præcipua sit nostrorum Sedes, ibique commorentur, quia tamen Mindanaensium incursibus magis patet; visum rem domesticã nostro-

noſtrorumque ſuppellectilem ad Dagamum transferre, non tamen relictis Dulachienſibus, quamuis ſit viſum tempori inſeruire ad tempus. Alit ergo Sedes hæc ſex è noſtris, quorum quatuor Sacerdotes ſunt, maiori, vt aſſolet, meſſe quàm meſſoribus. Excurſiones factæ ſunt plures mari, terraque: ſed præcipua eſt Ibabaenſis, ad quam per multas leucas iter eſt aſperrimum: ſi enim nauigandum cenſes, patet mare turbidum, tempeſtuoſum, ventiſque furentibus per ſex fere menſes innauigabile. Sed ſi terra iter agendum iudicas, vel cœnoſum tibi campum, ne dicam paludem, aperies, vel editos montes, abrupta ſaxa, præcipitantes rupes tibi ſcandendum erit, at de his infra. Quod attinet ad noſtram Sedem, oppida quædam hoc anno, aliquantulum diſsita, vel hoſtibus patétia, vel etiam exigua, ad maiora conuenere ac viciniora, noſtrorum commodo Indorumq; emolumento. Noſtrorum porrò diſciplina viget, pluraque pro Chriſto ferendi deſiderium ardet aſsiduum: mutata domus, non tamen mutati ſunt mores: priſtina inſtaurata munera. Antiquum ſeminarium, antiquę parentum maſſæ fermentum, iterum erectum, nomine tantum Indicum, re vera atque exercitatione vndequaque Hiſpanum, ſeu potius Chriſtianum dixerim, è quo vel oppidorum Duces, vel parentum Doctores, vel oppidanorum cultores euadunt plurimi, quin & noſtrorum pluribus in rebus adiutores. Ex his duo huc Manilam cum infirmo Fratre noſtro nauigarũt, qui modeſtia, animi ſubmiſsione, compoſitiſque moribus, Indis omnibus, Hiſpaniſq; fuerẽ ædificationi. Inſtitutum eſt hoſpitale non minus corpori-

bus

bus, quàm animis curandis aptissimum. Sodalitas Deiparæ Virginis iam dudum instituta haud decidit, fructus reddit vberes, vberrimos aliquando datura: salutis æternæ desideria crescunt, pietate crescente, vsu Sacramentorum assiduo irrigata cuncta ferè oppida nostræ se fidei aggregarunt. Inter adultos tantum sacro initiati baptismate trecenti supra mille hoc anno numerati sunt. Infideles porrò si qui sunt, noscunt iam tenebras, in quibus vsque nunc versantur, errores que quos antea imbiberãt, paulatim adhibito diuinæ gratiæ pharmaco reuomunt, non sine vtriusque hominis bono.

Lustrante sacerdote oppidum Abuiense, primo infirmos intuisse curat, quos vel audiat, vel baptizet. Aderat Indus quidam nobilis, sed gentilis, infirmo corpore, mente infirmiori. Quærit ibi Pater, num adsit infirmus qui curetur? negant domestici: sed monitus idem ab Indo fideli, in ea domo infidelẽ ægrotare, ingreditur, scandit, accedit ad ægrotum, qui nec prius vocanti Deo, nec mox roganti Sacerdoti, vti par erat, respondit, hortatur illum socius, vt sacrum suscipiat baptisma, cœlesti postmodum requie potiturus, quod si neglexerit, non euasurum æternas inferorum pœnas, ille sibi magis credens, hortanti nequaquam credidit. Pater verò circunstantibus edoctis, infirmoque iterum instituto, recessit tristis, sed tristior euasit gentilis, quippe qui paulo post cunctis inspectantibus perijt, in æternum damnatus. Hac occasione orationem habuit sacerdos coram populo, in qua egit, quantum prosit homini, antiquo errandi genere prætermisso, sese ad Christi D. pascua aggregare: quantum

distet

distet fidelis ab infideli, qualisque sit vtriusque exitus ac finis, & quidem hæc non absque prouentu concionatus est: post mensem namque illuc reuersus, instructos iam reperit ægrotos, quos sacro imbuit lauacro, qui vero valentes erant, doctiores effecti, breui tempore baptizati sunt, tres supra ducentos. Nec hoc satis: nã in Bancaensi oppido, hoc eodem exemplo supra alios ducentos, in Bitensi vrbe ferè quinquaginta sibi in filios Catholica adiũxit Ecclesia. Iam verò qui Christiani sunt, Christo se indies magis adiungunt: sicque frequentius vsurpant Christiana mysteria, Christianorumq; moribus magis magisque delectantur.

Crucem erexit Indus in ea fluminis ora, qua illud erat traiecturus, hac tantum de causa, vt eo signo à Crocodilis, qui ibi frequentes sunt, liber transnans euaderet, & quidem euasit. Alter è mari flumen ingressurus, quod ob multam illuc à ventis pulsam arenam, non minus periculosum, quam difficilem reddit ingressum, pręuia peccatorum cõfessione, crucem figere iurauit in ipsa nauigij prora, Deum deprecatus, vt tutum sibi fluminis redderet aditum, neuè in arenam impeteret: voto respondit euentus. Alij etiam aquam seminibus necessariam fusis ad Deum precibus, cœlesti cadente imbre sunt consecuti, vera illis in Dominum fide fiduciam largiente.

Hispanus miles, visa aliquando muliere (dæmonem puta) quæ ei in medio agro facta obuiam, Hispanis verbis, Bisaensi tamen habitu ac corpore verba dedit amore plenissima; quo in sermone cũ certum esset, nullam ibi fœminam esse, quæ Hispa-

nam

nam calleret linguam, ſuſpectam ſibi illam reddidit, malum aliquod ſuſpicatus, nec fruſtra; tertio namque die, recitato Virginis roſario, dormiens ſenſit ſibi vim inferri, faucibuſque cõpreſsis ſtrangulari: extemplò ſurgit, videtque duo ſpectra deformia, quorum viſu territus, fugamque arripiens, in ipſo ianuæ ingreſſu decidit, ipſoque corporis pondere, caſuque ſocios expergefecit, qui illuc cum alijs accurrentes, vident illum in ipſa ianua proſtratum, medio corpore ſupra arundineum pontem non exiguo periculo hærentem ad caſum: auxit periculum corporis ipſius agitatio tanta, vt vix à quatuor robuſtis hominibus detineri loco potuerit; addit agitationi voces, clamoreſque maximos: monitus à ſocijs vt IESVM inclamaret, aſſerit ſe non poſſe; dolent illi, orant, deprecantur, Eccleſiaſtica adhibẽt remedia; ipſe haud melior effectꝰ furit: applicant ori roſarium, illudque ſtatim aliò conuerſus conſpuit; euocant noſtrum ſacerdotem, ad cuius acceſſum deſtitit aliquantulum furere: dein imaginem allatã adorat, turbatione priori nondum excuſſa. Pater verò vbi primum ad illum peruenit, ſacram ſanctarum reliquiarum thecam vna cum noſtrorum Beatorum imaginibus profert, militique adorandas præbet, qui ex earum aſpectu recreatus, miſſo omni metu, terroreque pulſo, ipſo præſente Patre conualuit, illi gratus redditus, nec minus Deo deuotus. In animo erat nunc hîc vel noſtrorum explicare labores, vel eorum referre pericula, quæ quidem tot tantaque ſunt, vt longum exigerent ſermonem, ſi vniuerſa referrem. Quot paſsi

ſunt

sunt itinerum difficultates? quot vitæ discrimina obiere? quoties se ab hostibus captos, quoties ab ijsdem trucidatos existimarunt? irrumpunt illi, fugantur nostri: at in fuga difficile se præbet iter: pluuiæ frequentes decidunt: cibus nullus, nullus potus, domus nulla fugientes recreat: socij aut dispersi aut fugati: suppellex furto sublata: Ecclesiæ incendio abrumptæ: res tota domestica deperdita. Si stas, instat periculum: Si fugis, affligitur animus, dispersio ac fugato grege: hæret anceps animus, suique impatiens, modò fugam arripit, modò stat dubius, nullus in itinere obuius, quòd si in aliquem incidas, illum vel vulneribus confossum, vel morte confectū reperies: si clamanti aderis, compateris capto, captus iterum & tu. Si plorantem adieris, tu ipse eius augebis dolorem lachrymas lachrymis nectes. Te vocat capti vt succurras, vocant morientes vt adiuues: vocant superstites, vt consoleris. Hinc plurium è nostris infirmitates, morbique oborti perpetui, quos vel metus comparat; vel fuga concedit, vel dolor auget, vel rerum necessariarum penuria confirmat. quid plura? quotidiè (vt ita loquar) moriuntur nostri, hoc tantum solamine contenti, quod legatione pro Christo fungētes, vt in iniuncto munere perseuerent, nec morbos timent, nec itinera recusant, nec laboribus cedunt, nec periculis deficiunt, nec despondent animos, hoste quocumque furente, nō terret illos metus, nec torret sol, licet maximus, nec pluuia madent, nec cœno inquinātur, nec fame deficiunt, nec ipsa tandem morte conficiuntur. Miseris sunt solatio, miserijs etiam maximis circumallati; alios satiant fame enecti; ditant pauperes ipsi

paupe-

pauperiores: lachrymas pellunt lachrymis madentes, & quod caput est, laboribus ærumnisque pleni labores appetunt ac deprecantur assiduos, sed ecquis pro Christo aliquid pati refugiet?

Irruptiones factæ sunt etiam hoc anno à Mindanaensibus ad nostros: altera ficta non fictis nostros obiecit periculis: vniuersum turbauit oppidum; fugam capessentibus res deperdidit domesticas; nõdum fugientibus incussum metum haud facile excussit. Nostris tum fugientibus adesse, tum stantibus opitulari operępretium fuit: omnibus namque omnia fieri seruos Dei decet. Abfuit quidẽ Deo volente hostis, sed non abfuit periculum cuncta perdendi: plurimum namq; possunt aduẽtantis hostis ficta etiam nuncia, dum non valet animus inijcere frena timori. Altera autem eorundem irruptio vera quidem, in qua qui capti, trucidativè fuere, non minorem nostris auxere dolorem, quam suis pœnam viciniſque timorem. Guiquanum oppidum expugnarunt, pluribus captis, ac trucidatis. Patre Ioanne de Torrez diuina prouidentia seruato. Is forte illuc accesserat ad efformandos Indos, sed audito de hostibus nuncio, Indos instruit ad pugnam, quos paulo ante ad Christianam disciplinam instruxerat, nec frustra: sex namq; ex illis audaciores effecti, hostesq; in insidijs præstolati, septendecim ex illis exiguo interuallo lanceis confoderunt, quo viso spectaculo, hostes alio animum tendere coacti sunt. Interim ingruẽte nocte, vniuersis hac illacq; dispersis, Pater prominentem acuminatumq; petijt cum aliquot Indis locum, lapidibus compactũ, refertumq; serpentibus, ibi in somnis non multo post canente

quodam gallo ferè detectus, mox latrante cane, quasi palam factus, post modum plorante infantulo in discrimen adductus. Nullo cibo aut potu, nudis ferè pedibus, per dies aliquot errans, singulis penè momentis vel ad occisionem, vel ad captiuitatem quæsitus, tandem Deo benè disponente, seruatus iis, qui remanserant auxilio solaminique fuit non modico: amisit plura quæ ad victum faciebant, non verò spem iuuandi seruatos, seruandique eos quos illi Dominus commendauit. Hostes ad propinquiorem Insulam appulsi, eius oppidis vastatis, plurimos (non tamen è nostris) Indos secum captos asportarunt. Et quidem hæc ferè est nostrorum viuendi ratio in hisce Insulis, vbi Christiani continuis aduersariorum irruptionibus hucvsque expositi, commisso tamen gregi nequaquam desunt: diu noctuque inuigilant non vt sacerdotes tantum docturi, sed vt duces suos ducturi clientes, quò tutiores facti, hostium euadant insidias. Vnde factum est vt haud exiguo incommodo, prioribus posthabitis habitationibus oppidisque, edita montium quæsierint ad commorandum, tutius existimantes proprijs commodis priuari, quam inimicorum incursibus opponi, non minori corporum periculo, quam animorum dispendio. Quantum vero insudent in Missionibus, quæ ferè quotidianæ sunt, vel ex hoc tantum colliges quod subdam: est enim sacerdotis cuiusdam epistola. Mare, inquit, turgidum est, ventisque patens nauigandi nobis aditum intercluſit. Iter fuit terrestre agendum, oblongum quidem ac perdifficile: hoc vel acutis cacuminibus montium, vel cœnoso ad genua solo persoluendum est. Deue-

nimus

nimus tandem Deo duce ad desideratum excursionis nostræ scopũ, nõ sine incolarũ admiratione, quo tempore illis vetitũ est ob plurima vitæ discrimina iter arripere ad nostros. Cum nox ingruebat, illam vel in ipsa ora maritima, flantibus ventis transigere, vel in abrupta rupis alicuius cauea, nõ sine venenatorum serpentiũ periculo traducere opus erat. Noctem absoluimus aliqñ in aperto montis foramine, venenosa vipera in vnius è Socijs caniſtro cõmorante, quę quidẽ si nos tetigisset, in certũ nos vitę adduxisset discrimen: sed adfuit Deus periculo: adfuêre etiam quandoq; Indi, qui nobis obuiã facti potum cibumq; ministrarunt, exiguum illum quidem atq; insulsum, sed præ amoris indicio multum, beneque conditum. Recepti sumus ab illis magna vniuersorum lætitia, qui tandẽ potiti desiderio baptismat s, vbi primũ peruenim⁹, suos quiq; paruulos obtulere ad salutare lauacrũ; hi fuere ducenti. Adultos distuli ad temp⁹, quo Carechismo imbuti, erectisq; aliquibus Ecclesijs, non iam in montibus errantes, sed vere oppidani cẽseantur Christiq; cultores, quod quidem sunt polliciti; quiq; vsq; nunc tres & quadraginta pagos coluerẽ, vno tantũ, aut altero præcipuo contenti futuri sunt, reliquis circumcirca residentibus, quo facili⁹, suo adhærẽtes Pastori, Dominicis pubulis recreentur. Hæc ille in vnica excursione, ex qua quid in alijs accidere soleat, facile decerpes.

Sed iam ad aliam Sedem transeamus, in qua similis quidem animus, labore tamen dissimili perseuerat. Hæc porrò est Carigarensis domus, quæ licet ad Dulachium spectet, in eademque Leitensi Insula sit sita; quia tamen remotior ab hostibus est, Du-

lachiensi periculo edocta, sibi hucvsque cauit, quare haud ijsdem est procellis agitata hoc anno, quibus Dulachienses, quin & perpetua est pace potita.

DOMVS CARIGARENSIS.

PLura lustrata oppida hoc anno, æquo Indorum bono, nonnullo hostium metu à tribus è nostris Sacerdotib⁹, Fratribusq; duobus: nec plures quidē habet hæc Sedes, nisi nostris aduectum Hispanū hominē, qui relicto sæculo nostræ se Societati donauit, qui cūcta obit sui status munia pari studio ac humilitate. Nisi etiam velim⁹ hic adnumerari Patrem superintendentem (vt in superioribus annuis litteris fecimus) qui licet alias visitet domos suo munere fungens; in hac tamen Sede, quæ media est inter omnes, residet frequentius, nostris in omnibus fauens ac Indis. In singulis oppidis quæ sunt communia, probè quidem exercuere nostri; ea prę cipue quæ ad sacras Ecclesiæ Catholicæ cerimonias attinent, magno Indorū solatio, vel introducta, vel maiori quam antea apparatu sunt acta. Quare ad sacros cineres recipiendos cōfluxere auidissimi. Sacro purificatæ Virginis die non se cereis minus, quam peccatorum confessione lustrarunt. Assuetam ad sanguinem vsq; verberationem maiori in Hebdomada susceptre libenter. Palmarum ramis insigniū eorum festo interfuere, & quidem non sine pietate. Solemnes audire Vesperas, vel sacra, Processionibus publicis associari; Salue Reginæ vel Litanijs assistere, cōsuetum est. Sacras Virginis Corollas pie euoluere est frequens. Proficuas corporis pœnitentias, vel animi mortificationes obire, quotidianum

censetur.

censetur. Homines videres prægrandes Cruces, easque ponderosas suis humeris sacro ieiunij tempore per oppidum circumferre tunicatos: Audires mulieres suis quasq; domibus inclusas, absentibus maritis, voluntariæ verberationi operam dare sub noctem, hos illasque ab Ecclesia nunquam fere recedere conspiceres, hunc recitantem, illam sacrum audientem: illum catechismo insudãtem, illam criminibus per confessionem abolendis se totam dantem, vniuersos Christianæ disciplinæ studentes diligenter. Sed hæc antiquiora, illud recens pietatem auxit, quòd præcedente solemniter populo, sexta maioris hebdomadę feria, insignia quædam Dominicæ passionis præcipua à nobilioribus Indis in medio incedentium agmine delata sunt, non sine spectantium lachrymis pietatisque sensu.

Post Pascha, audito nuncio de parta per nostros Maluçensi victoria: certo die conuenere omnes ad Ecclesiam, vbi summo mane, præuia sacramentali confessione, sacro Christi D. corpore refecti plures sunt, in gratiarum actionem. Dein post prandium Malucense bellum exprimere ad lętitiam volentes, probe sese non Indorum, sed Hispanorum more aptarunt ad prælium. Erigunt in medio foro Castellum (Malucum significabat) vallant tormentis bellicis, muniunt militibus, elatis signis cohonestant; deinde militari more, qui se Hispanos fingebant, oppugnant, mox expugnant, tandem victis hostibus intrant magna lætitiæ significatione. Videres fictum bellum verum existimari, sed fictum illud erat, ficti hostes, fictique victores, sed haud ficta erat vtrorumque lætitia, gratique in Deum animi. Victi

ergo victoresq; pari exultatione reliquam eius diei partem, nullo vtrorumque periculo aut detrimento transegêre. Hoc exemplo edocti Indi Christianam militiam, ob frequentes Mindanaensium irruptiones, audaciores effecti, eo animi deuenêre, vt vbi primum auditum est, Mindanaēses vicinum Dulachium petijsse, non sibi tantum cauentes, sed Socijs, plures plura nauigia conscensi, illuc aduolarint cum armis, sed Deo volente factum est, vt hostes tunc non apparerent, sed ad præcipua transeamus.

Adultorum baptismata hoc anno fuêre alicuius nominis ferè ducenta, infantium siquidem quotidiana sunt. Qui ad sacram confessionem cõuenêre, non firmi tantum aut infirmi numerãtur, nec semel aut iterum, sed à summo mane vsque ad noctem, at verò quod mirum quidem videtur, senes, leprosi, contracto corpore debiles, scipionibus innixi, reptãtes, alienisq; humeris asportati, tanto sunt bono potiti. Ex his vnus, qui nec oppidum antea lustrauerat, nec viderat Ecclesiam, nec Patrẽ nouerat, Deo impellente, ad confessionis lauacrum accessit, qui sequenti die repentinus obijt, quasi ex vnico hoc ad Deum accessu ditatus in æuum. Puer & infans vna cum vetula muliere, non prius extremum clausêre diem, quam Deo fuerint vel per pœnitentiam, vel per sacrum baptismum adiuncti. Voluit sacerdos in oppido quodam Sacrum celebrare, sed deficiente vino coactus est ad Carigaram redire, vbi euocatus, infirmo cuidam adfuit, qui peracta confessione sacroq; intinctus oleo, obijt fœlix, infœlix obiturus, si Patri tunc in alio oppido cõmoranti Sacrum per-

agere

agere licuisset. Mulieri cuidam repentinus accidit dolor, adfuit euocatus sacerdos, curat vt põt quam putabat mortuam; at eius filiꝰ puer ætate, sensu vir, matris misertus in genua gemebundus procumbit, Virginem Dei matrem orat, vt matri faueat in tãto periculo. Laborauit ægra tres, aut quatuor dies extra sensus facta: sed nec defuit precibus natus, nec precanti defuit Virgo: ægra namque quasi è graui somno excitata, ad vitamque reuocata, paulo post conualuit, sibi rectius, quam antea consultura.

Veteres sunt aboliti mores, nostris procurantibꝰ, ita vt iã Indi quæ nostræ sint religionnis probe calleant, ea verò quæ prius quasi gentilitia coluerant, missa fecerint omnino. Nobilis quidam Indus Deo vocanti nouem restitit annis, euictus tandem cessit, baptismoq; susceptо, sibi fuit lucro, pluribus exemplo. Alter cum vxore gentilis iamdudum (illa potius repugnante quam illo) nec sibi cauit, nec vocantem audiuit Dominum: sed illa extemplò infideli mortua, ipse statim alieno periculo cautior factus, inter fideles recenseri voluit. Accessit ægrota mulier ad Ecclesiam, interrogata quid vellet? baptismum, inquit, vis ne, subdit Pater, CHRISTO adiungi? volo, respondit illa: magno namque teneor Dei desiderio pluribus ab hinc annis, sed ab longa infirmitate detenta, prohibita sum: En ablue me Pater, vt illi adhæream, quem totis animi mei visceribus hucusque dilexi in æternum dilectura, quo responso lætus, & admiratus Pater, mulieris voto, suoque desiderio pari gaudio fecit satis. Hæc de sacro baptismatis fonte. Accessit ad nostros quidam Indus, qui licet nobilis, à

Mindanaensibus tamen superioribus annis captus, inter captiuos numerabatur. Hic dum ageret cum Patre, quantum illi studeant semel captiuos, duplici seruitutis laqueo irretire, dum efficiunt vt Christiani se, relicta vera religione, Mahometicæ Sectæ addicant, dixit Pater adstanti puero nostro: Et tu si inter hos versareris, quid animo versares? Substitit ille aliquantulum, mox subdit; Deo tantummodo notum est, quid tum ipse respõderem, quid ue agerem libentius: nunc autem hic est animus meus, vt licet ad mortem vsque torquerer, quam semel arripui, Christianam fidem nũquam desererem. Sed hic est iam non vnius, sed plurimorum sensus.

Sed audi in re diuersa præcipuum facinus. Præcipuus quidam Indus imperauit aliquando alteri è suis, vt sibi gallinam enecaret ad cibum, paret ille imperio, arreptaque lanceola coram imperante, vnicoque ictu non gallinam errantem, sed errante brachio stantem Dominum in inguine percussit, qui sequenti die eo tantũ vulnere accepto interijt. Visa est hæc cœlestis Numinis vindicta, in deprauatos illius mores animaduertentis: sed diuina clemẽtia factum est, vt corporis interitus animo salutem (vt speratur) afferret, illo prius per confessionẽ expiato, præteritorumque criminum detestatione coram multis, non sine lachrymis patefacta. Is vero qui errans mortem alteri attulerat, nunc vere sciens, licet adolescens in primoque (vt aiunt) iuuentæ flore, sibi in posterum cauens, ad nostram se contulit domum, in qua mutatis moribus omni studet humilitati, dictisque nostrorum obtemperans, non illatæ mortis metu, qui nullus supererat (iusse-

rat

rat namque moriens Dominus suis, vt siquid amoris erga se haberent, id miserationis in occisore ostẽderent, neue, vti apud illos mos est, vel minimum quidem vindictæ signum darent, quod fecerunt) Sed christiani timoris edoctus exemplo, voluntariẽ sese tradidit seruituti, cunctis admirantibus talem in occisore pœnitentiam, tantamque in occiso clementiam.

Dux quidam Indus fassus est Sacerdoti, se quidẽ matrimoniali iugo solutum esse velle, quò facilius nostris adhæreret, ab illisque nunquam recederet, ea solum de causa, quod sciret ibi facilius ad cœlum se posse iter parare: dolereque se maximè asseruit, quod omnes vel sanguine, vel amicitia sibi coniuncti, non adeò perfectè nossent viam salutis, per quã, si nossent, facilius graderentur. Militum etiam Indorum dux vnicum natum domi nostræ habet, nõ sine quadam, vt ita loquar, æmulatione sui: dixit namque Patri, summoperè se lætari, si id sibi parentes suos accidisset, quod accidit nato, vt à puero ipse nostrorum imbueretur doctrina, nostrisque moribus institueretur. Sed quod sibi denegatum videt ob suorum patrum iniuriam, id totum nunc in filio desiderat verè christianus. Hæc dixerim, vt ostendam, quanti Deo volente nostros faciant Indi, christianæque disciplinæ quantum inhient. Duo nobiles fracta priori amicitia, eo se odio obcœcarũt, vt iam in aperto campo, arreptis lanceis sese impeterent ad mortẽ; sed vnius è nostris diligentia factũ est, vt in mutuos ruerent amplexus, non minus amici redditi, quam christiani.

Pueri, qui à nostris peculiari cura instituuntur,

signa dant non exigua futuri progressus; cunctiq; in vniuersum, qui à nostris edocentur, veræ virtutis indicia præbent frequenter. Festo quodam celebrique die adolescens vnus haud communicauerat (forte inscius) sed dum audit á Patre, non ita è re fuisse obliuionem illam in domestico Indo: tristis ac dolens inde recessit, sumptoque flagello, nullo magistro ac iudice, voluntaria verberatione pœnas dedit ignoti erroris. Idem aliquandò inuitatus à nonnullis ad potum (qui frequens est apud Indos) adfuit, vixque semel hausto modico vino, quasi deliquisset maximè, rubore suffusus, ac pœnitens Patrem ignarum adit, ab eoq; expetit errati pœnam, (sed nec errauerat: bonarum namque mentium est ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est.) at Patre nil ei respondente, adolescens sub noctem Ecclesiam adit, vbi precatus à Deo veniam, se iterum acriter verberauit. Alter sexta feria ad esum carnium euocatus, non modò non paruit, sed arreptam è mensa carnem procul abiecit, indignansque facinus abijt. In alium incidit Pater in solo iuxta chorũ Ecclesiæ iacentem infirmum: heus, inquit, quid hic agis? si morbo teneris aliquo, cubiculum, ac cubile pete: sacrum namque haudquaquam audire teneris: at ille; sacro iam interfui Pater: hic tamen quiesco, vt concioni futuræ adesse possim: longius namque abest cubiculum, quò audito sermone pergam. Abeant nunc nostrates, qui exiguo dolore detenti, nec concionem nec sacrum audiunt, quin nec Ecclesiam adeunt ad recitandum. Sed hæc aliaque plura huiusmodi nostris sunt iam communia adolescentibus, qui recens Christo dicati, specimen præbent antiquæ religionis.

In Og-

In Ogmucensi oppido (quod superiori anno ab Mindanaensibus non parum habuit detrimenti, pluribus ei adiacentibus Ecclesiis vel solo æquatis, vel igni traditis) benè laboratum est à nostris, tum adiutis Indis, tum etiam eorum oppidulis ad tutiora loca translatis. In hac verò, sicut & in alijs excursionibus, non modò senes & adulti, viri ac mulieres, sed infantes & puellæ à prima ætate instituti, Christianis præceptis indulgent assiduè: illud inprimis vsurpantes, vt summo manè sacris Virginis corollis studeant diligenter, deindè lectioni, scriptioni, cantui, fidibusque: Christianam autem doctrinam hac illacque vagantes recitent quotidiè, nec minus in Ecclesia, quam in foro, sicque paulatim exculti ætate simul ac pietate crescunt, Deo illis vbique fauente. Sed quantum hoc Domino placeat, ex hoc colliges. Dum simul omnes in Ecclesia Christianæ doctrinæ dant operam, ecce repentino vento commota tota cecidit Ecclesia, sed illa corruente perterriti pueri, fugam arripiunt vniuersi, & quidem periculum euadunt, duobus tantum prætermissis, qui tardiori cursu ob ætatem (quinquennes enim erant) impediti, ipso decidente tecto, euadunt mortem, non verò periculum; sed in periculo securi reperti sunt: ipso namque Ecclesiæ casu contecti tantum, non compressi, non sine difficultate repentes indè abstrahi potuerunt; abstracti tandem sunt illæsi, mirantibus omnibus, qui non minus in Ecclesiæ casu, quam infantium euasione diuinũ beneficiũ agnouere.

BOHO-

BOHOLANA SEDES.

A Diuina prouidentia exordiendum est. Infans recens natus, informis quidem corpore, baptizatur à Patre morituru, priusque cœlorum requie est potitus, quam humanos nosset labores. Hoc sit reliquorum exemplum, quod certe frequens est; sæpiusq; accidit, diuturno sociorũ labori, vnius tantummodo prædestinationem, veluti præcipuũ eius emolumentum, respondere. Audi aliud. Aberat à sacro, & quidem frequenter, Indus quidam, qui Christianus putabatur: aduertit hoc sacerdos non semel: Indum perquiri iubet, aduocat, postulat, & expostulat, cur festis diebus sacro vna cum reliquis non interfit? fatetur ingenuè, in causa illud fuisse, nempe quod Christianus non esset, nec ipse, nec vxor eius. Instituitur ergo libenter, amboque breui edocti, nomen Christo dedere, non minori sacerdotis gaudio, quam sui ipsius, vxorisque prouentu. Illud præcipuè perpendente Patre, quod plures cum deessent, desiderarenturque in templo Dominicis diebus, ille tantummodo Indus vix sibi notus, negotium quod ammodo faceſſeret, quò diligentius ad salutem quæreretur, ac vitam. Sed nec solus hic. Sabbato quodam die, sub vesperum adit sacerdos Ecclesiam, vt ibi de more Salue Virgini decantet; sed dum præstolatur tempus, & Indos, de more ẽt colloquia cum nõnullis de rebus ad Catholicã fidem pertinentibus miscet, dumq; interrogat interrogaturq;, inuenit hominem infidelem profideli habitum, quem dum forte corripit, audit alterius Christiani matrem etiam esse gentilem; curat

ambos

ambos ad Cathechismum institui, vt baptizentur. Hæc dum audiunt nonnulli senes, ijque gentiles, suadente nemine, in suisque sedibus Catechismo dant operam: adest tempus, quo sacro baptismate lustrentur illi duo Patri noti; sed ecce senum magna multitudo Ecclesiam adeuntium, baptismumque petentium, non sine adstantinm admiratione, Patrisque lætitia, qui eadem die pluribus concesit id, quod duobus tantum fuerat pollicitus, nonnullis in opportunius tempus, quò perfectius docerentur, seruatis.

Sacerdote celebrante, exterior pars Ecclesię corruit nullo læso, non absque diuini Numinis prouidentia: si enim alio tempore vel paulo ante Missam corruisset, corruissent vtiq; multi nullo opē ferēte.

Dum idem Sacerdos vna cum populo solemni pompa procedit ad grates Deo persoluendas, pro fœlici nostrorum victoria contra Malucenses parta, nullus in Ecclesia mansit præter cocum, qui in culina cœnam pro munere parabat. Ecce è candelis accensis vna cecidit, quæ mappis applicat ignem, indeque sericum pannum imagini proximum cōcremat, nemine flammam comprimente. Inijcit Deus mentem coco, vt Ecclesiam tunc temporis, præter morem adeat, videt ignem in Altari iamiam arundineo parieti proximum, accedit celer, manibusque vt potest (aberat enim aqua) ignem coercet, ac sopit, ac licet ambustus, Ecclesiam tamen cum omni suppellectile intactam ab igne seruat, cui nullo pacto, nec populus, nec sacerdos in processione incedentes, ob distantiam, opitulari potuissent.

Cœnantibus nostris sub noctem, adsunt duo latrones,

trones, qui nullo teſte, quam domi habebant ad victum pecuniam, furtim tollunt. Abfuit tunc, qui vel corriperet errantes, vel pecuniam deperditam recuperaret: ſed non abfuit ſpes noſtris amiſſam rem recuperandi; ſicque factum eſt, vt breui detecti fures, reſtituerent, quod abſtulerant, paululum diminutum, hac ſolummodò pœna pro patrato ſcelere inflicta, vt ambo generali confeſsione vniuerſæ vitæ maculas abluerent, vt eis qui pecuniam per furtum abſtulerant, per pœnitentiam crimina auferrentur, monitiſque potius, quam minis fierent ſaniores: noſtrique monendo, non minando prodeſſent alijs, alij dum tentant obeſſe.

Euocatus Sacerdos adeſt morienti Indo, ſed morbi vi correptus nec verbum quidem exprimere valebat, nec ſigna contriti cordis dare, inſtat, vrgetque ſacerdos, nec prodeſt. Vngit tamen ſacro oleo infirmum dolens: dumque domum redit triſtis, heu mihi (inquit) hunc primum oleo intinctum, ſacra confeſsione non ablui, doleo quidem: quid faciam? præſtat reuerti, fortè vox redijt ac ſenſus. Sed ecce, deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, & qui periclitanti Indo ſuccurrit, deſideranti non abfuit Sacerdoti, redit iterum Sacerdos ad infirmum, redit infirmo vox, exprimit per confeſsionem crimina moriturus ei, qui per Apoſtolicas claues occluſam pridem cœlorum ianuam fœliciter reſeraſſit, nullo vtriuſque deſiderio fruſtrato. Hæc ſint diuinæ in hanc gentem prouidentiæ indicia.

Quæ ad Chriſtianam diſciplinam ſpectant probè callent vniuerſi Chriſti fideles; quod ſiqui aliquando deprehenſi fuerint minus habentes, ij correptione

tione lubenti animo susceptа, vitam moresque in melius mutant; qui verò recto itinere gradiuntur, ij perfectius excoluntur: Iamque Patres non cursitantes desiderant, sed colonos; non per festos tantum ac Dominicos dies Missam exoptant, sed quotidianam; non aquam benedictam solum fronti applicant ad remedium, sed corpori etiam ad sanitatem; non vnus aut alter dato signo recitat orationem Dominicam, & Angelicam, sed oppida singula, singulique oppidani, ita vt alijs alios, quasi boni æmulatores, præueniant, vixque pulsum campanæ audiunt, cum Per signum Crucis, decantent vniuersi, magna nostrorum audientium gratulatione. Sed hæc fusius.

Nobilis Indus ab alio lacessitus ad discordiam, ab eodem pugno percussus, quasi offensus, domum cum vxore aliò furtim transfert: sed dum aliquando reuersus, matrem etiam secum tentat abducere, à nostris euocatus & edoctus, iterum cum vniuersa familia de reuersione cogitat; superioremque vitam præuia confessione detestatus, ab ijsdem enixè petit, vt coram populo, vnà cum percussore in gratiam redeat, placuit id Patribus, quare Dominica die, paulò ante Missam in Ecclesia Indis referta in amplexum corruunt mutuum, qui paulò ante hostes putabantur; læti quidem, quod per amicitiam populo facerent satis, qui per discordiam cunctis displicuerant. Principi cuidam Indo natus est filius: illum tertia die ad Ecclesiam adducit, vt baptizetur: interrogat Pater, quid sit in causa, cur filium, Principum more tardius baptizari noluerit? ait: vt quid hoc Pater? nonnè Christo

Domino

Domino nomen dedi, qui prius diabolo eram addictus? cur ergo filium optem diutius ab eodem Domino esse alienum? satis sit, his tribus diebus sub dæmonis potestate fuisse, ne quæso differas natum sub eodem duce adscribere, sub quo militat parens. Audiere hæc Patres, miratique fidem tanti patris, natum sacro statim baptismate abluêre.

Hic idem (capto à quibusdam Crocodilo prægrandi omnibus infesto) facilè monstrauit quantũ odisset pristinos gentis mores, quantumque contemneret, quod maiores sui antea æstimabant. Iubet igitur pater, vt ad Dei gloriam, auulsa â Crocodilo pellis in prominenti loco, cunctisque spectanda locetur: abnuunt singuli, siquidẽ metu correpti, quo pridem parentes, qui vti Deum belluam illam venerabantur (Auum hucvsque vocant Crocodilum more patrio) At hic Deum potius venerans, quam belluam timens, irridens antiquum scelus, accedit interritus, feramque illam enecatam, cunctis inspectantibus decorticat; facile demonstrans, quanti verum Deum faceret, qui ab maiorum suorum idolo vitam cum pelle abstraxerat.

Huius cognatus morbo correptus, Sacerdotem vocat ad sacram confessionem; sed paulò post alium illac transeuntem Patrem accersit, rogat, vt eius audiat crimina, additque, se graui morbo laborare, bonumque esse non semel animo medicinam spiritualem adhibere, augetur mox morbus, ita vt sacro fit oleo perunctus, tertiò confessus, Pater verò eius intuens deuotionem, æneam B P N. Ignatij imaginẽ, quam suspensam gestabat in Rosario, ei commodat ad tempus, illud vsurpans, Parentem scilicet

nostrum

noſtrum pluribus opem ferre in neceſsitatibus laborantibus: accipit ille numiſma, Ignatium euocat ad ſalutem, quam breui conſecutam, illi retulit acceptam incolumis, quartò per confeſsionem expiatus, quo oſtendit quanti ſpirituale bonum faciat, qui recens baptizatus, toties ſacro pœnitentiæ lauacro, contractas peccatorum ſordes abluere procurauit. Eandem B. Patris clementiam expertus eſt adoleſcens, qui morbo periculoſo oppreſſus, pręuia confeſsione, oleoq; ſancto moriens intinctus, eandem B. Ignatij imaginem ſibi applicuit, qua veluti medicamento breui conualuit, noſtris ad domeſtica munera obeunda opitulaturus.

Labocenſis oppidi Dux, inter præcipuos Indos nobilis, repẽti morbo correptus decidit in lectum, vbi mox apud Patrem animum confeſsione expurgat: ſed domum reuerſus Pater paulò poſt euocatur, vt adſit morienti: vis namque morbi tanta fuit, vt venenato poculo, aut cibo deluſum illũ ſuſpicati fuerint domeſtici: quicquid tamen fuerit, iamiam efflaturus animam videbatur infirmus. Sacerdos verò eius adoleſcentiam miſeratus, circunſtantiumq; parentum lachrymis commotus, æneam B. Ignatij imaginem profert, infirmum monet, vt ei ſe commendet; nouies viſitaturus eccleſiã ſi conualuerit; ſpondet infirmus vt poteſt, ſe id facturum ſi viuat, quid plura? præter ſpem, melius habet, qui pro mortuo habebatur, ſequentique die ſanus repertꝰ eſt, promiſſumque impleuit gratus, alijs credens: adeò namque laborabat cum votum emiſit, vt nullo pacto recordari potuerit, quicquid ſpoponderit Ignatio, per quem ſibi ſanitatem reſtitutam firmus

iam cunctis fatetur. Quæ diximus ad Christianos pertinent à Deo adiutos quasi fideles, sed audi nunc infideli allatam ab eodem opem, qui cunctis salutem parat. Morabatur in hoc oppido Labocensi adolescens, qui cum esset infidelis, difficilem se præbebat ad fidem. Interrogatus non semel, quid causæ esset, cur inter Christianos non numeraretur, illud respondebat, se Catechismum ignorare: ignorabat illum quidem, sed lubens ignorabat. vel nè cogeretur, vel vt liberius viueret, vel saltem difficultate discendi superatus. Monitus à Patre idem respondit; monitus postmodum ab alio ait, se primum aliò fore nauigaturum, postque reuersionem Christianis nomen daturum; verum in causa erat ediscendi labor: sed audit ab eodem, plurima esse nauigantium pericula, non paucas dæmonis insidias. Dum hæc agitat, nocte quadam fluuium patrium traiecturus cum Christiano socio arundineam ratem conscendit: medium traiecerat flumen, cum inermis à Crocodilo impetitur, qui Christiano relicto, infidelem hunc petebat: nec mora, dentibus eius arripit pedes miserum enecaturus: is tamen licet gentilis nostris assuetus precandi, ac deprecandi ritibus, vt primũ se morderi sensit, Iesum Mariamq; frequenter elata voce inuocat: vix hæc dulcissima nomina protulerat, cũ Crocodilus terrore præter morẽ percit⁹, illo relicto aufugit; sed paulò post iterato cursu eundẽ iterum impetere tentans, frustratur, Iesu tantum Mariaque sæpius inclamatis; remigat vt põt Indus, cum socio vsq; ad alterá fluminis orã, cuncto populo eius voces in vtraq; fluuij parte audiente. Sequenti mane adductus Indus ad

nostros

noſtros refert, quæ fuerat expertus, oſtendit in vtroque pede morſus cicatrices, addit ſe accenſo titione (mos eſt ignem deferre nauigantibus, quo fugari ſolent Crocodili) nequaquam valuiſſe beluã effugare, effugatã verò & euictã fuiſſe ſolo Ieſu ac Maria cõpellatis. Quare grat⁹ redditus adoleſcẽs, precibus ſtudioq; baptiſmũ poſtulauit, quod breui callens nõ tam ſua, quã aliorum ẽt gratulatione eſt conſecutus. Crocodilus verò noſtrorũ diligẽtia adhibito retiaculo capt⁹ occiſus, excoriatumq; ſuſpẽdi curatũ eſt, veluti Trophæũ Sanctiſsimorũ nominũ Ieſu ac Marię. Sed nec pueris defuit diuina clemẽtia, quæ cunctis liberaliſsima eſt, nullique improperat. Viſum eſt ad rẽ, pueros ſeminariorũ more in vnam domũ euocare, vbi præuia diſciplina inſtructi, Chriſtianis imbuantur moribus, ſuis deinde parentibus magiſtri futuri. Inſtitutum eſt ergò hoc anno ſeminarium in hac Sede, ſtabilitum eſt legibus, pueriſq; eſt auctum non minori admiratione noſtrorum, quam eorum prouentu. Adfuit (vti ſolet) dœmon, qui vero ſemini inmiſcet ſæpe zizania. Suaſit quibuſdam, hoc eſſe difficile, alienari natos à parentib⁹, eorum aſpectu orbari, futurum etiam vt alio à noſtris transferrentur, & quod maius erat; ſanctos illos efficiẽdos. (sãctos vocãt Deo dicatos ac cœlibes, quales hic nõnulli reperiũtur) qua in re ridiculũ fuit ſenis cuiuſdam dictum; nolle ſe ſanctum fieri eius filium. Sed Deo benè fauente cœptum opus creuit non ſine prouentu, vt hinc patebit. Exemplorum ſunt appetentes, ijſque vtuntur ad bonum. Vbi primum audiere quanti ſit momenti generali confeſsione animum expiare, adeo arripuere

quod audierant, vt omnes ferè breui illâ fuerint vsurpati, quorum exemplum alij sunt secuti. Quæ ad castitatem spectant imbibunt præter consuetudinem: repertus est vnus, qui non modo mulierum vitaret congressum, sed nec illas adiret in ecclesia ad docendum, vti mos est pueris indoctas instruere, quin potius homines peteret, quos instrueret, tutiorem se existimans coram hominib⁹ erubescere, quam cum mulieribus sermonem etiam de rebus pijs commiscere. Communis est illis aquæ benedictæ vsus: sacrum Euangelium manuumq; impositionem dum morbo laborant, libenter exoptant: labores infirmitatesque corporis Christi D. passionibus adnectunt. Sabbatinum ieiunium in honorē Virginis Mariæ frequens est iam apud hos pueros, quod perdifficile adhuc est apud viros, quin & ipso die Veneris ieiunant plures. Sacras Deiparæ corollas assiduè recitant. Sanctorum Tutelarium patrocinio student vniuersi, mosque est apud illos eius festi die vel confiteri crimina, vel etiam communicare præuia disciplina, voluntariaque corporis verberatione: hanc non maiores natu tantum adhibent, quin & pueri adamant. Feria quinta maioris hebdomadæ, facultate accepta adulti iam alumni tumicati se ad sanguinem verberarunt, adfuit puer, qui idem exoptans, multoties à Patre facultatem petijt se verberãdi; negat Pater se id concessurum, instat puer, rogat, precibus adiungit lachrymas, lacrymisque singultus miscet; sed hoc tantum audit à Patre nostro; ito ac facultate à parēte impetrata (sciebat n. vnicè dilectum natum non euicturum patrem) jàme etiam idem impetrabis. Euolat puer, parentemque breui

breui adeò emollit verbis, vt victus cedat nato: lætus puer ob victoriam, Patrem etiam euincit, quod vbi audiere eiusdem ætatis pueri, concito cursu, idem facilè assecuti, insuetam verberationẽ publice susceperê. Nec alijs obsunt, qui sibi tantũ prosunt: parentes adeunt, edocent, monent, instruunt, corrigunt, informant, ad omnem virtutem ipsi prius à teneris annis edocti, prosũt exemplo, instruũt Catechismo, mouent sermone, moribus informant cœteros. quid multa? hic est eorum viuendi modus. Manè dato signo surgunt: simul Deo gratias agentes recitant: ecclesiam adeunt ad orationem, mox sumpto ientaculo ad scholam accedunt, quidam legendo, alij cantui ad numerum dant operam: dein sacro intersunt, post ritui Missæ administrandi student vsque ad prandium, à prandio ludunt, deindè characteribus efformandis vacant vel lectioni: post hæc fidibus, ductilique tubæ indulgent vsque ad vesperum: inde intermisso aliquantulum studio recreantur, quo peracto, sacras Virginis corollas in ecclesia pro more recitant; sub noctem aliquis è Patribus illos adit, Sanctorum exemplũ narraturus: postea doctrinam Christianam repetunt vniuersi, qua repetita cœnant, ac paulò post conscientiæ examinatione præhabita, se dant quieti. His pueris præest quodammodò Indus quidam cœlebs, qui olim in Dulachiensi Seminario efformatus, adeò profecit, vt huic Labochensi nunc sit exemplo, atq; adiumento. Sed & hic viuendi mos Seminarij alũnis haudquaquam dissonus est ijs, qui domi nostræ nostrisque rebus adsunt. Cocus inuitatus aliquãdo à suis ad esum carnium vetito die, nunquã adduci

potuit vt prohibitis vesceretur. Alius qui frequens est socius nostrorum in excursionibus ; à quibusdã mulierculis ad turpitudinem incitatus, indignans respondit, vt quid talia audetis Patrum socijs edisserere?

Alius missus à nostris ad vicinam Insulam, vt victum emeret, emit etiam sibi socijsque necessaria: sed dum redeunt nauigantes, oborta in medio mari tempestate, coguntur, quæ deferebant proijcere vt nauiculam leuarent. Sed nequaquam adduci potuit, vt nostrorum victum in mare demergeret, quin prior quæ sibi suisque emerat, detrusit potius, socijsque suasit vt id efficerent potius, quam Patrũ rem deturbarent, quam quidem intactam seruarũt, proprijs deperditis mercibus, non sine nostrorum admiratione, qui illis sunt verè compassi: Et hæc de domesticis. Quæ de externis breuiter dicenda videntur sunt hæc. Quotidianus est iam rosarij vsus, singulis Sabbatis diebus sub noctem voluntaria verberatio, iuuenum præsertim ac puerorum introducta: Senes secunda quaque feria instruuntur ad Catechismum. Singulis quibusque Dominicis diebus colonia vna aut altera Christianis moribus informatur. Vnde factum est vt præter alios tres præcipuæ dœmonis sacerdotissæ abiurata idololatria, Christo Domino se aggregantes, publicè coram omnibus ostenderint falsa fuisse quæ anteà docuerint, solamque Christianam Religionem iter esse ad salutem rectum fassæ sint.

Dux alter inter Indos magni nominis, Patre pueros aliquot baptizante, petijt ipse inter Christi fideles adscribi, cuius exemplo reliqui Indi idẽ expe-

tentes

tentes dixêre se Christianos esse velle, siquidem quicquid in votis eorum Dux haberet, idem ab illis esset summopere desiderandum.

TINAGONENSIS RESIDENTIA.

PLura de hac quam de alijs Sedibus dicenda videbantur, sed factum est, vt immisso per gentiles igne, nostra combusta Iacobitana Sede; vniuersa, quę de Tinagonensi Domo ad nos vsq; deuenerant, cremarentur. Et quidem plurima oppidula in vnum aut alterum aggregata recensebantur. Baptismata quamplurima edita adultæ ætatis gentilium. Confessiones, communionesque assiduæ. Proborum profectus, prauorum emendatio narrabatur, haud modica nostrorum lætitia. Sed Deo bene iuuante, in sequenti anno (longe enim à Manilensi Vrbe distat hæc Domus) nostrorum labores vberiores referemus; allatiq; incendij occcasionem, eiusque prouentum futuris annuis litteris inseremus.

ANNALES PROVINCIÆ FRANCIÆ ANNI 1606.

TRecentos quadraginta tres è Nostris in duodecim domicilia distributos Franciæ Prouincia hoc anno complexa est; quinque fato ereptis diminuta, in Societatem adscriptis aucta tribus supra quadragenos. Et Parisiensis quidem Domus Professa decem & octo habuit, quibus & duo Nouitij adiuncti; Collegium Claromontanum in eadem Vrbe sex: Musipontanum quinos, & septuagenos; Virdunense vicenos quaternos; Bituricense totidem, si binos excipias; Dolanum triginta & vnum; Bisuntinum vicenos quinos; Rothomagense parem numerum si tres dempseris; Flexiense triginta tres; Rhedonense octonos denos; Domus Probationis Nanceiana quadraginta quatuor; Rothomagensis, cuius ad cætera domicilia hoc primum anno facta est accessio, quinque & viginti. Societas in hac Prouincia prolatis finibus (extenditur enim ab Armoricis & mari Britannico per Andegauos, Turonas, Cænomanos, Carnutes, Francos, Normannos, Biturigas, Niuernenses, Rhemos, Ambianos, Lotharingos, Metenses adusque Sequaniam, & Iuranos) Alumnos habuit in gymnasijs supra decem millia, auditores in templis, ad aliquot centena millia.

PARI-

PARISIENSIS DOMVS PROFESSA ad D. Ludouici.

VIr clariſsimus, magnæquæ ob multam iam ætatē in Caluiniana traductam Secta inter ſuos authoritatis, in ſacerdotē noſtrum fortè cū incidiſſet, ab eo ſic veritatis lux oſtenſa, ſic diſcuſſa caligo eſt de hominis mente variis errorum tenebris obuoluta, vt ex ea nocte in qua iam ſenuerat extractus, quaſi ad primos ætatis dies priſtinis omnibus lætiores exultare videretur. Tantum eſt veræ fidei ſemel agnitæ ſolatium, præ falſi dogmatis peruicacia & inani religione. Alius item non genere modo vtcunq; clarus, ſed præcipui Dux nominis in aula regia, cum ea Patri noſtro propoſuiſſet, quę ſuę putabat eſſe fidei validiſsima firmamenta, tam appoſitas ad ſingula capita tulit reſponſiones, vt hæretica falſitate perſpicuè demonſtrata, victus cauſæ noſtræ æquitate, veritati manus dederit, & errorem abiurarit. Quin etiam totius vitę exacta confeſsione, palam aulicis alijs poſt conteſtatus eſt, tantam ſe percipere animo lætitiam, quantam humana mēs capere poſsit, nullius hominis lingua explicare poſsit.

Cadomum (vrbs eſt totius Normāniæ, ſi Rothomagum exceperis, clariſsima, Sedes nobilis Academiæ longè amœniſsima) profectus hinc è noſtris vnus, ſumma Regis voluntate iuſſuque, mirum eſt quantum Catholicorum res auxerit, quantum hæreticorum partes afflixerit. Agitatis enim pro ſuggeſtu controuerſis de religione quęſtionibus, mox ij motus animorum ſecuti ſunt, omnes vt ingenuè faterentur, ad eam ſe diem ignaros rerum fidei religioniſque

gioniſque vixiſſe. Hinc triumphare & exultare gaudio Catholici, hæretici abijcere haſtas, & ſuæ cauſæ diffidere: illi nutantes prius in ſuſcepta à maioribus fide confirmare; hi non ita pridem in errore obfirmati dare manus, ac lumẽ veritatis agnoſcere. Inde conciliatis inter ſe ciuium animis, quos aſsiduè de religione altercatiões varias in partes diſtraxerant, omnibus pacis & concordiæ iucundiſsima lux oboriri.

Mulier clariſsimo genere orta non ſupra fœminarum vulgus tantùm, ſed ſupra ſuæ ſortis mulieres, quæ aliquantò cæteris acutius vident, ſapiebat. Sed nimirum vt interdum frugiferum natura ſolum boni coloni opera deſtitutum, aut inutiles parit herbas, aut vepres, ſic acri ingenio ab ipſis penè incunabulis commiſſum hæres eos lolium mala ſeges, eas radices egerat, vt non niſi difficillimè extirpari poſſe videretur. Vexabatur interim mulier conſcientiæ diu noctuque ſtimulis, quos illi variæ de fide opiniones quas audierat inijciebant. Hac moleſtia vt liberaretur, inſignes quoſque noui Euangelij Præcones conſulebat, ſed incaſſum, cum illi rationum ſuarum fuco impijs mendacijs colorem quidem aliquem inducerent, cæterum veritatis Catholicæ, quæ ſola tranquillat animos, ſpeciem imprimerent nunquam. Sub hæc maritus homo Catholicus, quique dilectam coniugem cætera ſibi conſentientem, in re tanti momenti, quanti eſſet fides, diſsidere à ſe moleſtè ferebat, vxorem blandè impellere, vt ad conciones Patris noſtri audiendas in templum ſe conferret, illa viri conſilium haudquaquam aſpernari. Igitur tem-

templum adit, attentè quę docerentur excipit, mox etiam cum aliqua voluntate. Non deerant tñ fœminæ quæ opponeret ex doctrina sanctorum Patrum, (vt ipsa putabat) quibus vt planius satisfieret, alijsq; similibus quæ afferri in contrariũ posse videbantur, placuit vt impugnantibus duobus ministris, respõdente nostro, institueretur de religione disputatio, cui & ipsa interesset. Accersuntur illi, veniunt, congrediũtur. Vbi Patrem aduersus inanium telorum iactus, imò aduersus machinas omnes, quibus nihil non euerti posse iudicabant, vel præse ferebant, inconcussum nõ reperissent modò, sed qui vim illam totam validiore correptã lacerto in ipsos retorqueret, tũ trepidare illi, de gradu moueri, circunspicere si quà pateret è campo effugium. Negatur abeundi facultas, obsepiuntur timidis elabendi viæ; oportere vt quando pugnæ aleam subire voluerũt, duoq; vni certamen indixerunt, vel victores abeant, vel doctrinæ aduersarij herbam porrigant. Itaque debellatis hunc in modum impiæ opinionis assertoribus, nobilis mulier, insultos eorum conatus in irritu cecidisse cum vidisset, impudentium hominũ insciti am detestata, Catholicam fidẽ profiteri cœpit. Quare statuto die præmissa vitę totius confessione, in primario vrbis templo singularibus doloris ac pietatis indicijs, damnato quem tot annis coluerat, Caluinismo, Romana se in Ecclesia victurã deinceps, ac Deo benè iuuante morituram, palã professa est, ibidemque de manu sacerdotis nostri augusta Sacrosanctæ Eucharistiæ mysteria religiosè suscepit. Auximus habitationem nostram cubiculis quindecim, Bibliotheca, triclinio: aula quotidiãę recreationi

creationi comparata; & ne incommoda sub dio esset adeundi cubicula ratio, tres adiecimus tectas ambulationes; Quam ad rem sumptus necessarios qui mille ducentorum aureorum summam explet, suppeditauit bona ex parte insigni erga nostrum Ordinem liberalitate illustris Princeps Margareta Valesia. Sensimus etiam defuncti ante annos aliquot Ducis Mercuriani nuper munificentiam. Siquidem illius vxor vidua, speculum omnis honestatis ac virtutis, quod intueri matronæ omnes debeant, nobis aureorum nummorum tria millia morientis mariti testamento legata, inchoati templi nostri fabricæ impendenda, numerari curauit. Etsi autem toto anni decursu variorum in nos liberalitatem experti sumus, atque ita plures hæc domus alere, si res Prouinciæ permisissent, potuisset, potissimum tamen quo tempore ad conuentum Prouincialem conuenêre Patres, non ciuium modò, Senatorum, Nobilium, Principum, verum etiam ipsius Christianissimi Regis ac Reginæ larga & beneuola in nos beneficentia se effudit, cuius et propensæ ac regiæ in nos voluntatis fuit argumentum, quòd cum nobis Vrbe cedentibus, pars ædium nostrarum quæ hortos attingit, in vsum veniisset polymitariorum, cumque postliminio iam nobis restitutis, sub eodem nihilominus tecto hæsissent: hactenus, magno, siue propter habitationis angustias, siue propter molestiam externorum, quos opificium Vrbe tota & Orbe visendum euocabat, nostrorum incommodo, hoc demum anno, vt excipiendis ad Prouincialem congregationem Patribus locus esset, iussu Regis in aliud sibi assignatum domici-

domicilium commigrarunt. Non nemo opinor expectat, vt de rebus in aula gestis non modo ad priuatum domus huius aut Prouinciæ, verum etiam ad commune Societatis bonum & commendationem pertinentibus, nonnulla dicamus. Sed quoniam hæc narratio longiorem, & non interruptam orationem desiderat, dabuntur separatim ab ipso instaurationis exordio perscripta singula diligenter; rem hoc loco sufficiat indicasse.

COLLEGIVM PARISIENSE CLAromontanum.

COllegium dicimus antiquo nomine, necdum antiquo splendore; Residentiam rectius appellâris, nisi quod statas fixasque Sedes nobis pollicemur ex Senatusconsulto & regio diplomate. Cum enim Reuerendus P. Prouincialis animaduertisset, priuata tantum Regis fide & benefica in nos voluntate, nullo publico instrumento Lutetiæ adhuc esse nos, ex quo in Collegium ac Professam Domũ reuertimus, commodùm isti incommodo occurrendum ratus (huic enim, nomine totius congregationis Prouincialis & suo, pro tot collatis in Societatem beneficijs acturus erat gratias) ab Rege diploma petijt, & impetrauit amplissimum, quod etiam Senatus Parisiensis confirmauit, quo & omni solicitudine liberi, & de certis in Vrbe regia Sedebus securi deinceps viueremus. Tantùm iustis de causis Regi Societatis Parenti optimo visum immaturum, consuetas litterarum exercitationes in hoc Collegio repetere, in quo tamen nonnihil operæ collatum ad animarum lucrum. Confessiones enim

enim auditæ pleræque de tota vita: sacra cõmunio multis impertita: duo ab hæresi resiluerunt, octo spiritualibus exercitiis exculti fructu non pœnitẽdo: duo Societati se addixerunt: alij ad alias Religiosorum familias transierunt: lectiones Catechisticæ habitæ in Xenodochiis, conciones in templis non sine messe.

COLLEGIVM MVSSIPONTANVM.

SEriæ nostrorũ & grauiori operæ tum Parisiis nuatæ, tum ad alios extra vrbem profectæ, iuuentutis Mussipontanæ literariam modò palæstram subiungamus. Schola Adolescentium floret numero, vtpotè quæ mille sexcentos habeat, & exercitationibus quibus in hac arena strenuè desudent, hoc anno non caruit. Quod cum antea semper, tum eò maximè tempore illis contigit, quo exhausti caloribus animi languere solent. Accidit enim tunc peropportunè optatus Sereniſsimæ Barij Ducis Margaretæ à Gonzaga, in hanc vrbem aduentus, cuius cum rumor paucis diebus antequam digrederetur Nanceio huc venturæ, increbuisset, ciuesq; hac fama permoti ornadæ vrbi, vicorumque parietibus vario peristromate vestiendis, cæteroque huiusmodi apparatu decorãdis intẽti essent; enimverò nostri discipuli, indignum rati si à ciuibus propensi in principem studii testificatione vincerentur, seriò contendere cœperunt, doctrinæ & animi sui specimẽ edere. Cum igitur festo tubarum sono tormentorumque displosione, prædicta Sereniſsima Barij Dux Margareta à Gonzaga vrbem ingrediens, excepta fuisset, in nostrum templũ venit, vespertinasque preces, quæ tum fortè decãtabãtur, audit

audit: inde ad Collegij impluuium rectà contendit, ad cuius ingressum collocati fidicines, ac musici alij suauissimo illam cantu exceperunt; neq; hac auribus data minor interius progressæ oculis oblata voluptas est: emblemata nimirum atque insignia domus vtriusque Lotharingæ & Mantuanæ suis expressa coloribus visebantur; tum vestiti omni carminum genere parietes; quæ ita placuerunt, vt eorum sibi copiam fieri Serenissima Mantuæ Ducissa, nec non Illustrissimus Ferdinandus eius natu minor filius tum per se, tum per alios non postularint modò, sed propè etiam flagitarint. Inde itum ad maiorem Collegij aream, cuius hòc fuit iucundior species, quod non tabellæ solum pictæ, & Mantuanæ familiæ stemmata ornamento essent, sed pueri quoque nostri decus adderent, qui suis hinc inde distincti scholis, libero ad transitum relicto spatio, identidem felix æuum tot vocibus ingeminabant, quot è mille quingentis pectoribus alacritate maxima eruperunt. Eo comitatu in aulam Academiæ deducitur, in qua datum drama Italicum fœlicibus auspiciis, vt certante cum elegantia orationis actorum ingenio, diceres eos Italia pedem extulisse nunquam, sic purè omnia efferebant, sic in ea lingua peregrinos non prodebant. Et quando grandioribus etiam calcar veluti quoddam est laboris merces, delatique potissimum honores Theologis & stimulos addiderunt, & eorundem frequentiã fecere maiorem Ecclesiastica beneficia, quæ nunc Illustrissimi Cardinalis nostri mandato, ijs conferũtur, qui susceptо doctrinæ cum suis competitoribus certamine, digniores iudicantur.

Præter

Præter hos verò Illustrissimus ac Reuerendissimus antistes Virdunensis secessum quærens animo colligendo ex negotijs Episcopatus, Collegium sibi delegit nostrum, vbi Sacellano tantum vno comite (qui postea Societatem est ingressus) magnam interiorum virium accessionem & cepit, & ad studium virtutis nos ipsos tantæ moderationis exemplo incitauit. His rebus ita prospere cedentibus interuenit funus vnius è nostris, sed nequaquam vti confidimus dignum luctu. Is fuit Gerardus du Hamel à B. quondam P. Ignatio in Societatem admissus, vir orationis studio apprimè deditus, & pio affectu, quem ex recordatione subinde primorum Patrum velut ignem admota flammæ stipula, concipiebat, commendabat, vt non immerito ex huius vitæ statione decedentem ad beatæ immortalitatis portum appulisse credamus. In numerunm autem nostrorum admissi sunt Scholastici septem, Coadiutores tres: alij duo serui domestici expetitam Societatem non adepti, reformatum Pręmonstratense institutum arripuerunt; ad quod & septem è discipulis nostris confugerunt: varijs alij ordinibus adscripti sunt, immortalis amore stipendij Christo militaturi. Longius detenti sunt duo Patres inspiciendæ Metensi Diœcesi denuò vocati quo in opere menses duos laborarunt. Ac visitationis quidem hic fructus extitit. Consuetudo Pagi vel inducta vel restituta est, vsurpandæ ter in die ad pulsum campanæ Salutationis Angelicæ: Templa partim erecta de integro, cœmiteriaque partim instaurata: sacræ imagines eleganter depictæ, sublatis ijs quæ hæreticorum furore vel mutilæ vel con-

fractæ

fractæ fuerant: altaria melius exornata: sanctissimum Sacramentum augustiore loco honestius asseruatum: vasa ecclesiastica repurgata: Sanctorum reliquiæ quæ iacebant neglectæ, lipsanothecis elegantissimis indutæ: Sacerdotes examinati, effectũque vt Iuri Conscientiæ dent operam: Sacramẽtis administrandis, & diuini verbi pabulo suæ curæ commmissas oues diligentius reficiant: detractæ illis ancillæ suspectæ. Senex ferè nonagenarius obfirmato animo in errore pertinax magno plurimorum damno, oborta veritatis luce, publica hæresis abiuratione fidem Catholicam professus est. Illustrissimus quoque Princeps Vademontanus eiusdem & Episcopi & Cardinalis Frater, cuius obitam diœcesim modò diximus, nobis vti voluit, Patremque vnum habere comitem peregrinationis, quam ad ædem B. Virginis Montis acuti susceperat. Nomeniaci præterea toto Aduentu & Quadragesima, conciones habitæ; quæ quadringentas vitæ totius confessiones, non exiguas animorum hosti detractas manubias reportarunt. Ibi decreuerat quidam æui pertæsus confictis criminibus se ipse apud iudicem accusare, quò citius præsentibus miseriis morte finem imponeret; is ab incepto reuocatus est. Capitali odio alij tres inter se ita dissidebant, itáque de iniurijs illatis vrgebatur ab illis Iudicum sententia, vt reduci in gratiam nõ viderentur posse: at Dei benignitate conatus Patris nostri secundante, non eò solùm adducti sunt, vt proprijs testarentur syngraphis offensam se omnem remittere, sed datis inuicem dextris, vultu, sermone, & omni amicitiæ significatione obliteratam ex animo penitus vete-

rum memoriam simultatum ostenderent. Dum hæc Nomeniaci agebantur, alius è nostris approbante Christianissimo Rege, Metis, qua in vrbe ciuium magna pars Caluiniana laborat peste, sanam doctrinam explicauit, rudes Catechismo instituit & publica supplicatione indicta festo die cum Ecclesiæ more procederetur, explorandæ puerorũ diligentiæ gratia in addiscendis fidei capitibus, exame generale habuit. Supplicationis autem hæc initia ratio est. Prælato Crucis vexillo adolescentulorum agmen linteati magna ex parte iussi procedere, litanias B. Virginis (cui dies ille dictus sacer) soluto cantu personantes: modico spatio seiuncti Symphonaici sequebantur easdem litanias ad musicum numerum concinentes: tertius penè ordo succedebat puellarum summissa voce orantium, seruato itidem medio interstitio. Tanta verò frementibus licet hæreticis, promiscui vulgi multitudo vias ad spectaculum compleuerat, vt tum templum, quod adibatur vacuum repertum iri putares, cuius tamen basilicam concertationi destinatum locum plus tria millia occuparant. Ipsam ædem ingredientes pueri festo æris campani pulsu, & cætorum Episcopalium musica symphonia excepti sunt, sequenti verò die ad præmium diligentissimi quique conuocati & collaudati.

COLLEGIVM VIRDVNENSE.

IN alijs præterea oppidis longius disitis, diuini cultus promouendi, nobis ansam præbuit Scholarum solutio: nam exeunte Iunio cum inuasisset Vrbem pestilentia, rogatuque magistratus ad

tus ad suos abire iussi essent auditores nostri, nos quoque non tuendæ solum valetudinis, verum etiam industriæ omnis ad curandam hominum salutem conferendæ causa, alius aliò amandati sumus. Abiere Sacerdotes duo ad pagos aliquot Caluiniana lue infectos. Horum aduentus admirationi primum omnibus, mox etiam plerisque saluti fuit; ibi enim frequentibus concionibus, & expositione doctrinæ Christianæ exagitata hæresis, confirmata religio, instaurata studia pietatis, adiuti etiam hæretici, qui primum nostros velut portenta quædam auersati, deposuere sensim odium, neque veriti sunt illorum obire conciones, & Catechismo interesse. Hic verò illi de fidei suæ veritate dubitare primum, tum arguere ministrorum suorum inscitiam, denique certiorem viam salutis exquirere; in ijs quidam hæresim publicè eiurauit, in qua à prima infantia fuerat educatus. Eidem sectæ renuntiauit vir magnæ authoritatis atque nobilitatis, pro cuius sectæ defensione & propagatione annos iam fermè quadraginta arma gesserat: vbi detracti sunt pueris Catechismi hæretici, qui vulgo eorum manibus terebantur, datique Catholici, veræquæ doctrinæ studium iniectum huiusmodi, vt vel antequam explicarentur, eius summa capita pueri memoriæ commendarent. Excepti deindè ijdem Patres perhumaniter à quodam viro, inprimis nobili, & illustris familiæ, aqud quem mensem integrum commorati, magna ipsius voluptate subditis eius, partim Catholicis, partim Hæreticis,

strenuam nauarunt operam tum habendis de superiore loco concionibus, tum familiari expositione doctrinæ Christianæ, cæterisque instituti nostri officijs eò pertinentibus obeundis. Alius è nostris sacerdotibus, cum eodem tempore Varennis Lotharingiæ oppido iter forte haberet cum socio, rogatus est à primarijs ciuibus, vt quando ibi statuisset consistere, vbi spes esset operæ ad Dei gloriam, & salutem animorum vtiliter collocandæ, ne progrederetur vlterius, sed oblatam illîc segetem exercendæ virtutis arriperet, ac ne sibi fortasse paremdesiderio suo, caritatique deesse rei bene gerendæ materiam quereretur, docuere facile è vicinis pagis oppidis collectum iri magnum adolescentum eorum numerum, quos Virduno luis pestiferæ metus exegerat, in quibus erudiendis tempus posset vtiliter collocari; nihil ipsi, nihil eius socijs, quotquot ad hanc messem euocare vellet, ad victum commodamque habitationem defuturum. Placuit æqua postulatio; additi socij duo, instaurandorum ad tempus Varennis studiorum consilium literis patefactum vicinis pagis. Confluxere ad centum & quinquaginta Virdunensium scholarum alumni, datæ sunt ædes amplæ & commodę ad docendum, ad quas repurgandas tanto ardore animi ipse Vrbis Gubernator incubuit, vt vel vnº de plebeijs operis esse videretur. De habitatione vero nostrorum magnum inter principes ciues certamen fuit, singulis magna ambitione eos apud se retinere volentibus, neque minor in curandis cæteris rebus necessarijs inter eosdem ciues orta est contentio, quæ tandem his conditionibus eomposita est, vt

domi

domi suæ Gubernator duobus per Hebdomadas singulas diebus nostros aleret; cæteri suum quisque diem huic officio caritatique tribuerent: in quo eniti videbantur singuli, vt cæteros vincerent significatione beneuolentiæ: nostris contra omni studio peruincere conantibus, vt sumptibus illi superfluis parcerent, intelligerentque se hominibus religiosæ frugalitatis ac paupertatis amantibus victum suppeditare. Constans illa fuit duorum fere mensium vitæ ratio, quo tempore nostri in eruditionem collectæ iuuentutis pro suis quisq; viribus incubuere quotidie: diebus festis ac Dominicis singulis habitæ sunt mane ad populum cõciones: Vesperi explicata pueris doctrina Christiana, ad audiendum magna concurrente hominum frequentia. Simili fere modo adiuti pagi proximi. Denique quà audiendis confessionibus, quà miscendis de Christianæ pietatis officijs sermonibus, quà ægrotis ac moribundis adiuuandis, obita sunt munia nostræ Societatis. Quæ res sic affecit animos Varennensium, nostros vt homines vix à se diuelli paterentur. Cuius rei testes fuere lacrymæ, quas in ipsorum discessu etiam primarij ciues fudêre, quam credi facile possit vberiores. Nam citius hominum opinione depulso morbo, morbique metu, nostri vndique ad instauranda Virduni sub initium Septembris literarum studia reuocati sunt. Intempestiua illa scholarum solutio nonnihil minuit numerum auditorum nostrorum. Nam cum ante eam fere octingenti nobis operam darent, vertente Nouembri numerati sunt quinquaginta fere supra sexcentos, ad quos tamen nonnulla sæpe fit accessio.

COLLEGIVM BITVRICENSE.

NOstri hoc anno Biturigibus ad viginti duo. Obiit vnus magno pietatis exemplo. Discipuli centum ferè supra millenos: his ad pietatem & eruditionem vehementer incensis n ouus ardor accessit, restituta Sodalitate B. Virginis. Sacræ suppellectilis & templi noua propemodum facies. Excursum ad aliquot pagos vel adhortationum sacrarum causa, vel Christianæ Catecheseos, qua cùm ad fidem Catholicam aggregati nonnulli, tùm è Catholicis confirmati plurimi, factumq; vt è pago haud ignobili summotus sit hæreticæ prauitatis conuentus. Hæreticus Sacræ Eucharistiæ nomine contumeliosius vsurpato, vix cõceptam pectore rabiem maledico sermone eructarat, cum ecce tibi per nares vi quadam occulta fumum, quo sibi ardere totus videretur, penetrare sentit in reliquum corpus, qua repente animaduersione diuinitus immissa ita cohorruit, vt ad nostros confugiens suam hæresim damnarit. Cæterum enituit inprimis pietas adolescentis Parthenij. Dabat is operam iurisprudentiæ, qui cum lethali morbo conflictaretur, primum sese nullius admonitu Sacramentis omnibus muniendum incredibili suo fructu & solatio curauit: deindè socios vehementer adhortatus est ad Dei timorem, detestationem peccati mortiferi, eosque fugiendos, quorum familiaritas bonis obsit moribus, ad frequentem Sacramentorum vsum, pietatem erga B. Virginem; cuius in præsidio, secundum Deum spem omnem suam & fiduciam collocatam aiebat. Tum iussit adferri menstruas omnes sententias, quę ipsi vnquam in congregatione ob-

ne obtigerant, Sanctis se Patronis nominatim cõmendaturus, cumq; quæ prima occurrit, mortem à pijs hominibus optari, vitam tolerari significaret: Satis hoc, inquit, satis. Ergò perpetuis deinceps adspirationibus mortem appellare, anhelare ad gloriã æternam; atq; ad fœlicem Beatorum societatem. Cumq; intellexisset sibi imminere horã tantopere optatam, literas quas à congregatione Musipontana habebat commendatitias, adhibet pectori, cũ iis mori se atq; humari velle profitetur, & Annunciatæ Virginis templum suo corpori optat in sepulturam. Ad extremum suauissimè inter assiduas non tam precationes, quam diuinas consolationes, puram piamque efflauit animam. Et quando de mortuis agimus, haud ab re videtur his attexere, quod vni contigit è conuictoribus pridiè eius diei, quo anniuersaria fidelium defunctorum memoria in Ecclesia celebratur. Is cum ineunte nocte fusis ad Deum precibus sese dedisset in somnum, visa est ei secundum quietem imago mortis omnibus corporis articulis flammas expirans, sic vt costæ singulæ & ossa dinumerari facillimè possent: sicque adolescentem compellauit; & cur, inquit, non oras pro me? quæ cum dixisset, repentè euanuit, & eum tota nocte tremebundum ac lacrymantem reliquit, qui se testatur notissimæ vocis indicio auum duos abhinc annos defũctum agnouisse.

COLLEGIVM DOLANVM.

VNus nobis ereptus, & annorum numero & Societatis initæ spatio (in qua biennium & quinque menses egerat) iunior quidem, sed ad institutum nostrum opportunus. Hunc violentus morbus nec opinatò correptum, continua quatridui vexatione è viuis abstraxit. In eius locum septem in Societatem adlecti, in quibus vnus Legum Doctor, quinque emenso cum laude Philosophiæ curriculo, rei domesticæ administer vnus.

Præter æs alienum, quod satis magnum fuerat, dissolutum, accessit Collegio census vicinarum domuum, vt nisi annuentibus nobis distrahi non possint: Quingenti aurei à generalibus Prouinciæ comitijs, suæ in hoc Collegium beneuolentiæ ergò; centum ab alijs testamento relicti, & ab hæredibus numerati; centũ item à pia quadam matrona, quos graui conflictata morbo testamento legarat, sunt recepta valetudine attributi. Sacra supellex piorum liberalitate non parum aucta, cùm alijs ornamentis ac preciosis vestibus, tùm vero tabula magni operis, intus & foris egregiè picta, ad ornatum altaris in Deiparæ memoriam consecrati: Profectum id ex munere & beneficentia nobilis matronæ, quę longè licet disita, centum nobis aureos in morte legauit. Templo nostro (cuius vestibulo hoc anno fastigium impositum) nouus honos additus honorifica sepultura Illustrissimæ Comitissæ Vallipontanæ Petronillæ Balmensis viduæ, cui vltimo laboranti morbo confessionis & Eucharistiæ sacramenta nostri sedulo ministrarunt. Hæc morti

vicina

vicina filio suo Marchioni Marnæo magnopere commendauit, vt corpus suum in ædem nostram (quod R. P. N. Generalis quatuordecim ante annos concesserat) tumulandum curaret. Quod à filio piè ac diligéter præstitum, non Sextili quidem, quo obijt, sed Nouembri mense, consultò extractis ad id tempus exequijs, quo magnificentius à tribus Burgundiæ Ordinibus, qui ad comitia conuenerãt, celebrarentur. Huc igitur deportato viuæ tantisper calci tradito cadauere, eâ pompâ ac magnificentiâ, quæ Principem decebat fœminam, inclinante iam die, funus ad ædem nostram processit. Cum omnibus retro annis aquam potui commodam ex publico puteo Collegium Conuictorum, eoque satis remoto, magno labore petere cogeretur, hoc demum anno in cella vinarja penui proxima venam fontis nobis aperuit Deus, qui in summa huius anni siccitate tantum aquæ continenter suffecit, quantum ad vsus domesticos satis esset.

Aliqui cum audissent ossa fidelium defunctorũ in honore habenda, noctu ne agnoscerentur (erant enim non infimi ciuitatis) quæ contemptæ iacebant reliquiæ mortuorum, eas tam aptè & concinnè disposuerunt, vt earum adspectus prætereuntes ad pietatem magnopere impellat. Ad maiorem reuerentiam sanctissimi Sacramenti, & his locis invsitatam obseruantiam, excitati sunt ciues, vt ad infirmos vmbella contectum deferatur, cumque sit institutum vt detur signum campanula cum defertur, multi magna significatione pietatis accensis cereis accurrunt. Quas impẽsas vetus Corporis Christi Sodalitas faciebat ad solenne conuiuium instruen-

dum, has ipsi salutarius aliò transtulerunt, vt primis nempe cuiusque mensis diebus Dominicis fiat solenne sacrum de sanctissimo sacramento, & supplicatio, in qua deferatur cum magno cereorum apparatu. Quidam sponsione centum aureorum transegit cum sacerdotibus, vt eodem die ad vesperam solennibus verbis & ceremonia, adhibito eodem sanctissimo Christi Corpore, populo benedicatur, Litanijs B. Virginis adiunctis.

COLLEGIVM BISVNTINVM.

BIsuntinum Collegium ex nostris quatuor supra decem sacerdotes (quo de numero casuum conscietiæ, Philisophiæ, Primæ & Tertiæ classis professores) tres alios magistros, octo adiutores, simul omnes quinque supra viginti aluit. Quatuor admissi in Societatem, vnus è viuis excessit lenta sensim tabe consumptus. Is fuit Bernardus Perrenotus, annum iam & alterũ grammaticam docuerat, ad maiora natus adolescens, rarum modestiæ, pietatis, obedientiæ, humanitatis exemplum, vt morum suauitate in tui amorem facile omnes pelliceret. Ad suos vt patrio iuuaretur cœlo, missus, nunquam non quà virtutum exemplis, quà salutaribus præceptis & Christianæ doctrinæ explicatione, popularibus adesse laborauit, vnde sibi omnium, præcipuè verò eius loci Domini Marchionis à Dissey, eiusque vxoris clarissimæ fœminæ sororis Illustrissimi Cardinalis Madrusij, ita conciliauit animos, vt de ipsius morbo maximè dolerent omnes. Verũ cum in dies extremum sibi tempus sensit imminere, etiam

iam atque etiam instituit, vrsitque vt in Collegium reportaretur; suam in id lecticam lectissima fœmina supra nominati coniux Marchionis lubens concessit. In quam dum primum fixit pedem, O me fœlicem! inquit, cui de Ægypto egrediendi potestas facta tandem est, vt in Collegium, domum Dei, promissam benedictionis terram traduci possim. Redditus Collegio quas non egit præpotenti Deo gratias? quibus non verbis cœleste beneficium prædicauit? sed hac lętitia breui tempore perfunctus est ad æternam migraturus. Nam non ita multò post diutina sensim tabe hominem depascente, magna animi æquitate animam exhalauit, cum centum ante aureos Collegio benefica volũtate cõcessisset.

Pio populo data est amplissima pietatem testificandi suam occasio, nam cum ex monte Martyrum (quem montem ideò venerari nos decet, quòd in eo prima nostræ Societatis iacta sint fundamenta, nam ibi primum B.P.N. Ignatius vota cũ sociis emisit) cum inquam ex illo monte, qui propter Parisios est, sacrosanctas sociorum D. Dionysij reliquias Abbatissæ dono Collegio Bisuntino datas, authoritateque Antistitis approbatas P. Rector attulisset, mirum dictu, quanta pietatis significatione ad apparatum magnificum effusus populus confluxerit. Ardor verò tant⁹ fuit, vt Christianæ cupiditati non ante factum sit satis, quàm à Patribus ad osculũ sacrorum pignorum fuerit admissa multitudo.

Pari coniugum nonnihil haud absimile contigit. Quidam Caluino Bezaque plenus, nostros ne videre quidem poterat, omnibus de nobis obloqui, & incredibilia narrare solitus, scilicet in odio vt

apud

apud omnes essemus, mutata breui diuinitus voluntate, admitti se in Sodalitatem precibus lachrymisque extorsit, sequeita gerit, vt qui nunquam non male olim, nunc nunquam non bene dicere de nobis, nostrum institutum ad cœlum efferre laudibus gestiat. Præclarum profecto in muliere virtutis exemplũ eluxit, nempe visu carere maluisse, quam male vti. Illa ergo cum videndi sensum penè amisisset, & ad manum parata essent remedia, sic apud se ratiocinata est: Quid profuit hactenus tam multa vidisse? Quoties oculis hausisti venenum, quo animæ tibi vita periclitata est? Eruendi potius, viam si præbent scandalo, corpore satius, quàm animo cæcutire. Dum anceps consilij, quid faciat ambigit, diuinæ se totam committit voluntati, in vtrumque parata, seu videndi vsum recipere, seu priuari luminibus, & non vti ne abutatur: Hîc diuinæ claruit egregium prouidentiæ argumentum. Nam statim illa oculorum vsu, qui supererat, exiguo penitus priuata est, & simul in morbum incidit maritus eius insanabilem. Igitur coniux marito, cui non poterat videns, nunc cæca multis hinc inde corrogatis eleemosynis, quærit & præbet victum; sic vtrique afflictio versa est in beneficium. Gemino adolescẽtum duorum exemplo domestica vrbanavè munera claudentur; tum ad missiones aditus patebit. Alter à quodam rogatus, qui suspendio breui moriturus erat, vt cadaueri suo sepeliẽdo sacrum locum impetraret, milliare festinus confecit, vt id Præsidem oraret: exorauit. Cum verò de deponendo ageretur, nec mulierum adstantium esset munus, ille, quod alijs esset horrori, id sibi honori ducens,

penden-

pendentem è patibulo deponit, amplexaturque recens mortuum, stupentibus omnibus, & quod mirere magis, dum piam illam miserando corpori operam præstat, singulari quadam se voluptate perfusum, vt ipse retulit, sensit.

In Pontisarlensi, Balmensi, Claræuallensi, Vercellensi, aliisque Burgundi Comitatus oppidis, per Aduentum & Quadragesimam sopita disidia plurima parentum cum liberis, Procerum inter se, aliorumque bene multorum, qui nostrorum in id peculiarem & propè diuinam prædicant industriam.

Senex non minus animi, quam corporis morbo diutino conflictatus, ad nos opem petiturus venire constituerat, dum se dat in viam; dæmon eius inuidens bono, quibuscunque potest modis de via deducit, nunc speciem auis induens suauissimo cãtu detinet hominem nè progrediatur, nunc alijs subinde formis assumptis ab incepto sæpius reuocauit itinere. Ipse tandem cerea Agni cœlestis effigie sese ab his præstigijs liberauit. Alius implorata Diuæ Matris ope, audiendi facultatẽ asseuerauit se recepisse. Miles ferocioris animi litem, quam consanguineo intẽtarat, morte ipsius finiturum se, deinde ad Mauritiana in Holandiam castra profecturum asserebat, statim atque sacrosanctam vidit sindonem, planè à seipso mutatus redire in gratiam cum aduersario nostrorum opera constituit. Miserrimam finire vitam miserrima muliercula; fratre conscio & hortatore, decreuerat, ad profluentem iam sese rapido ferebat impetu, cum intra se audire visa est dehortantis vocem, & ad peccatorũ confessionem cohortantis. Quare à tam graui & inexpiabili perpetrando

petrando piaculo pedem refert; Ignarum tamen salutis viæ ducem nacta misera, eius consilio seipsa miserior est reddita. Verum nostrorum tandem auxilio, quæ antea spem omnem abiecerat, spei plena ad se suosque præter omnium expectationem incolumis reuersa est.

Vulcano hæreticorum libri plurimi sunt dati, multæ eæque periculosæ superstitiones sublatæ. Finiet hunc annum finis, vt pie credimus, matronæ nostri studiosissimæ fœliciſsimus: Huic erat vnicum studium, pauperibus ægrotisque adesse, & iuuare quos posset, procurare etiam, vt à vera religione desciscentes ad eam redirēt; tandem in morbum, qui fuit illi vltimus, incidit; Ex nostris vnum vocari curat, cubiculum ingredienti, se intra triduum morituram prædicit, nec vana prædictio: parat se, vt inquiebat, ad pugnā formidolosam, opem diuorumque hominumque piorum implorat, videsses in hostem, quà verbis, quà pugnis dimicantem, donec diuinis corroborata sacramentis in nomine Iesu & Mariæ magna voce inclamatis, finem loquendi viuendiq; fecit, vt speramus, beatissimū,

COLLEGIVM ROTHOMAGENSE.

ALit Rothomagense Collegium è nostris duos supra viginti. In his sacerdotes duodecim, è quibus sex sunt Præceptores, Coadiutores septem, vnus præterea Nouitius in singulos menses à Nouitiatu submittitur. Scholæ octo sunt, vna casuum conscientiæ, Philosophiæ vna, sex humaniorum litterarū, in quarum duabus duo non sacerdotes docent. Atque ex hoc non magno numero fructus nō exigui sunt consecuti. Magna inprimis ad conciones nostrorum

strorum populi frequentia, ieiunij præsertim Quadragesimalis tẽpore, quo vnus ex nostris in summo vrbis templo est concionatus. Numerabãtur in dies singulos profestos auditorum quinq; sexuè millia. Festis aũt diebùs ad octo vsq; millia, nihil vt à multis annis simile visum fuerit. In sacello itẽ nostro quod ferè mille quingentos capit, tantus fuit cõcursus, vt in vico & area, pluuioso licet vel æstuãte cœlo, haud parua auditorũ multitudo circumsisteret, qui se vtilitate concionũ allici sentirent, ac præ se ferrent. Iubileo aũt sub Christi Natalitia proposito, ne accurrẽtis populi pietas concepta spe sui fructus fraudaretur, extra ordinem profestis ẽt diebus conciones sunt habitæ. Nulla per eos dies nostris quies à confessionibus audiendis; expetebãtur passim ab omnibus ea fiducia, vt præclare secũ agi putaret, quisquis vni è nostris rite posset confiteri.

Pictor huius Vrbis facile nobilissimus, audita vnius è nostris Catechesi, quà in obscœnas imagines inuehebatur, religiosè spopondit, nihil se vnquam quod morũ honestati aduersaretur, depicturũ. Vnº emenso Philosophiæ curriculo Societati nomẽ dedit. Sex alij ad alias religiosas familias se contulerũt. Mille septingenti circiter numerantur, è prima nobilitate plurimi, ingenio omnes & facilitate morum commendabiles, & quidem multo plures omnino futuri, si laxiora essent scholarũ spatia: permulti enim iam excluſi sunt, & quotidie excluduntur locorum angustijs: Alij ad ianuam & fenestras audiunt, nullaque nobis maior contentio, quam in sedandis parentum querelis, qui suos admodum ægrè excludi patiuntur.

Atque

Atque inde fit, vt omnium Ordinum in nos beneuolentia existat non vulgaris, quam & plerique suis beneficijs testati sunt, vltrò & liberaliter ad Collegij ædificij sacelli ornatum, communemque vsum attributis eleemosynis bene multis, & argenti quidem facti octingentis circiter aureis, tum vari generis rebus alijs permultis non exigui pretij. Ad sacelli item sacram supellectilem accessit pyxis argentea inaurata vario exornata emblemate: Calix insuper argenteus cum binis ampullis & pyxidula ad sacrum oleum asseruandum, ad hæc vestes sacræ plures cum multiplici serica lineaque supellectili, quorum omnium æstimatio trecentorum minimè erit aureorum. Præsentia porrò sua primores quique Collegium cohonestarunt, & inprimis Illustrissimus Cardinalis à Ioyosa, idemque Reuerendissimus Archiepiscopus noster, publicis Philosophiæ disputationibus interesse non est grauatus, theses ipsi dicatas propugnante nuper ab hæresi conuerso Caluinianæ Sectæ prædicatore. Supremi etiam Præsides simili in causa singuli Philosophicas alias concertationes condecorarunt, maximeque probarunt. Sed & Illustrissimus Princeps Montispensierij Dux, totiusque Normanniæ Gubernator, luculenta admodum amoris erga nos sui testimonia edidit: scholas nostras aliquoties hoc anno visit, vario epigrammate exceptus, iucundoque spectaculo vniuersæ Coronæ discipulorum omnium, quibus tam magno numero in conspectum eius tota aula dederunt, mirè delectatus, nec dedignatus item est dramati vni Scholastico comiter interesse, familiares etiam de pijs rebus cum nostris sermones miscere,

scere, omnem opem polliceri, beneuolè de nobis sentire & loqui, testari Christianissimi Regis hanc esse voluntatem & mentem, nobis vt in omnibus patrocinaretur. Ad sacelli præterea nostri concio-nes vna cum Illustrissima coniuge nostri Ordinis a-mantissima ventitare, omnia denique nostri causa velle. Hæc in ciuitate.

Excursum præterea est in vicina loca magno cum fructu Iubilæi tempore, atque inprimis in vrbem Pontedomarum tres è nostris profecti magnos ani-morum motus exciuerunt. Octiduo toto concio-nes vnus habuit, ad quas frequentissimi quotidie ventitabant. Hac præuia præparatione omnes fe-re incolæ peccata expiarunt, confessione apud no-stros à plerisque facta; magna omnium gratulatio consecuta ex tanti perceptione fructus nostrorum opera & industria. Vndæfluctum vrbem item aliã missus sacerdos vnus è nostris. Is benignissimè à clero, Gubernatore & ciuibus omnibus exceptus, curauit inprimis vt Iubilæi solemnitas, cuius haud magna erat cura, non sine fructu labi sineretur, sa-cerdotes conuocat, instruit breuiter ac monet quid potissimum in confessionibus audiendis seruare debeant, hac sibi illos caritate deuincit, & vnius eorum confessionem generalem excipit; concio-natur toto octiduo ad frequentem auditorum co-ronam: conueniebant è remotis locis plerique tum Ecclesiastici, tum primæ nobilitatis insignes viri; pios libellos certatim comparant, nullumq; Biblio-polæ reliquum faciunt. Breuiter à nostri sacerdo-tis ore & auribus pendent, omnes apud illum pec-cata sua deponere contendunt, fœlices prædicant

qui id obtinent, ingemiscunt qui non possunt.

COLLEGIVM FLEXIENSE.

FLexiense Collegium, vt à numero Sociorum ducatur initium, alit triginta tres, ex quib. quindecim Sacerdotes, magistri duodecim, sex humaniorum literarum, philosophiæ tres, Scholasticæ Theologiæ Professores duo, casibus conscientiæ pertractadis vnus addictus, Scholastici partim Theologiæ, partim Philosophię studijs occupati octo, Coadiutores quinq;. A nobis ad cælos abijt B. Franciscus Galbotius Cænomanus, qui annos natus quatuor & sexaginta, ex his quadraginta in Societate consumpserat. Coadiutor formatus religiosa simplicitate admirandus; Hæreticæ prauitatis acerrimus hostis, quippe qui hęretici nomen ne ferre quidem auribus poterat. Christianæ fidei tradendæ tanto studio flagrabat, vt nihil sibi in vita gratius accidere posse duceret, quàm si ei per superiorem licuisset perpetuo in tradenda catechesi versari. Atq; hoc illi solenne ferme erat, si quando per pagos excurreret, nullum pagum præterire, in quo non diuini verbi semen spargeret: vulgò proinde in Collegio Augensi, vbi per aliquot annos vixit, Apostolus vocabatur, hocque in eo animaduersum est, adduci nunquam potuisse vt declamationibus, quæ minus aliquo celebri festo die exhiberi interdum solebant, intereſſet, quod diceret, eo die si voluptati & delectationi quæ ex actione gestuque puerorum percipi poterat, seruire vellet, iacturam vnius aut alterius animæ fortasis fieri, quæ audito Dei verbo mutata

vita

vitæ ratione in viam iustitiæ redire posset; Affirmabatque quo candore erat animi, eo die à se perceptos fructus aut post concionem auditum aliquem, aut se vocatum ab aliquo qui sibi scrupulum aliquē eximi vellet, quo eius conscientia torqueretur. In Belgium missus post funestam Provinciæ calamitatem neutiquam defuit obeundis illis ministerijs quæ ad salutem animorum pertinent. Valencenis egregiam animorum saluti nauauit operam, suaq; caritate ciuium sibi voluntates mirificè deuinxit. Reuocatus in Galliam Flexiam venit, quo in Collegio eius præcipuè labor & industria versata est in excipiendis studiosorum Confessionibus. Cæterum cum perpetuo cruris alterius dolore conflictaretur, ac nonnihil ex eo claudicaret, iuuandorum tamen animorum in eo ardor non modo non intepuit, sed, quod igni accidere videmus, vt aliquid aquæ inspersum, calorem excitet, non sopiat, idem in eo reperiebatur: sic ægrotos iuuandi occasiones quærebat, sic inuentas cupidè arripiebat. Pestilentia quidem visa quandoq; serpere per vrbem, quæ familias aliquas varijs in vrbis partibus afflixit; nulli tamen aut pauci admodum nostræ disciplinæ alumni studiorum cursum interruperunt, Patre Rectore ita res pro sua industria temperante, vt & retinerentur, & nemini qui patriæ repetendæ studio duceretur, facultas negaretur, ne si quem morbi contagio corriperet, de medioque tolleret, tanquam in auctores iacturæ & infortunij, male auspicati consilij crimē in nos à parentib. cōferretur. Ita tota hyeme ferme aut anno pugnatū cū peste est, quæ ciuib. interitū attulit, verū ne scholasticū quidē appetit.

Ita quod Dei beneficium est, studiorum exercitationem non intermisimus, sed continenti labore ad finem vsque anni prosecuti sumus, qua re magnam percepit voluptatē rex Christianissimus, qui si quos nouerit suæ aulæ principes & nobiles velle suos liberos aliquò mittere discendarum literarum causa, confestim de suo Collegio Flexiensi mentionem ingerit, hortaturque ne aliò quam ad nos, filios deducendos curent. Vnde factum est, vt ex vniuersa Gallia præcipua nobilitas Flexiam confluxerit, & certè Barones, Comites, Marchiones aduolant non sine splendore comitatus, atque in his vnus filiorum Ducis Espernonij, qui vt inter eiusdem palæstræ commilitones generis claritate primus est, ita nec se diligentia, vel amore literarum postremum locum occupare patitur. Addam & illud de nobilibus adolescentibus, qui has scholas frequentant, tantum esse illorum & amorē in præceptores & obseruantiam, vt, cum datur ære campano signum, quo audito se ad docendum Magistri conferunt, eos ad ianuam Collegij præstolentur, & quam officiosissimè ad scholas deducant. Rex cum non desinat in nostram Societatem congerere quæ potest beneficia, hoc anno centum mille aureorum largitione longè munificentissima Collegium locupletauit, quorum partem aliquam in ædificationem Collegij attribuimus. Quam ad rem conficiendam is qui secundum Regem vnus maxime Societatis res in Gallia & promouit, & in dies promouet, vnà cum Architecto Regio missus Flexiam venit, Dominus Varanatus. Locus ædificationi regiæ opportunus delectus est, ædes ciuiū cōemptæ, quæ solo

solo postea complanẽtur. Iam vero si numerus quęratur eorum qui scholas frequentãt nostras, ducentorum est supra mille, quorum pleriq; honestis familijs nati ingenio cum valeant, non pœnitendos fructus in studijs faciunt. Sacramenta illi, etsi aula domestica pro sacello vtimur, frequentes vsurpant, & ex ijs non pauci octauo quoque die ad sacram Synaxim accedunt. Et quoniam natura sunt ad pietatem propensi, non desunt qui vitam religiosam cogitent & complectantur. Duodecim Patrum Capucinorum familiæ sese addixerunt. Quinque ad nostrum Ordinem transierunt.

Quidam cum duceretur ad patibulum, Patris nostri monitis non modo ita comparatus erat, vt mortem æquo se animo ferre diceret, sed tanto diuinæ gratiæ lumine perfundebatur, vt & culpam magna lætitia & admiratione ciuium agnosceret, & se supplicio dignum palam profiteretur. Ad excitandam ciuium pietatem scholastici quoque nostri suum symbolum contulerunt, promulgati maxime Iubilæi tempore. Cum enim consequendis Indulgentijs stationes certis templis fuissent constitutæ, ad quę itandum foret, visum Patri Rectori, vt scholarum nostrarum auditores terni ad ipsas Ecclesias longo ordine procederent. Itaque cum aream Collegij amplissimam compleuissent, & instructum agmen esset, è Gymnasio egredientes, Flexienſi sese clero, qui nos ad portam S. Thomæ expectabat, adiunxerunt ea modestia pietatisque significatione, vt populus istis antehac spectaculis minime assuetus omni ex parte ad videndum concurreret, animaduertensq; quo se studio ad Letanias hymnosq;

varios decantandos mutuò inuitarent, nullum esse pectus diceret adeo ferreũ & adamantinũ, ad quod emolliendum, pietatisq; sensu permulcendum non ea species sufficeret.

COLLEGIVM RHEDONENSE.

COllegium Rhedonense hoc secundo ab ingressu anno perpetuis reditibus bene stabilitum decé & octo è Societate incoluerunt. In ijs Sacerdotes vndecim, ex quo numero alter quæstiones Casuum Conscientiæ explicat, alter Philosophiam, quinque vero alij partim Sacerdotes partim nondum Sacris initiati, humaniores literas docent. Tanto omnes audiũtur concursu, vt ad ducentos supra mille scholasticorum numerus facile excreuerit, multò amplior futurus, si scholæ laxiores in quarum ædificationem sedulò incumbitur, essent absolutæ.

Ægrotantes ac moribundi, visitati & adiuti, ac de illis vnus ob anginam qua grauiter angebatur, in maximo vitæ periculo constitutus, peccatis vt poterat confessione detectis, ac beatæ Virginis vnaque D. Blasij precibus diuina ope implorata, pristinã valetudinem recuperauit. A vana religione ad verã reuocati quatuor: in eadem vacillantes confirmati. Ad alia sacelli ornamẽta accessit nobilis fœminæ aureorum ducentorum munus sacræ pyxidi & calici coëmendis. Quidam, fama sicut & vita perditus iuxta Collegium apud linteorum nostrorum lotorem diuersabatur cum vxore: cum autem aliquando lotor lintea Collegij exsiccanda soli exposuisset in horto quem habebat domui contiguum, occasionem nactus miser ille, quod ei visum est furto abstulit,

stulit,& ne quo indicio clam admissum crimen proderetur, intextum nominis Iesu notam sedulo retexuit. Vbi autem sub vesperam lotor imminutum numerum aduertit,primò consternari animo intra se,tum apud vicinos lamentari;neque alium suspectum habere , quam eum ipsum qui iam male audiebat,quique vnus loci illius gnarus erat. Itaque protestatur coram vicinis,non alios reos esse quàm domesticos. Hîc ille se apertè notari sentiens,quasi labem suo nomini immeritò adspersam pati nequaquam tacitus debeat , hominem iniuriarum postulat , & famæ reparationem apud Prætorem exigit. Pendente interim lite , dum infœlix in vicini cuiusdam ædibus illatam huius rei mentionem audit , cœpit omnibus se diris & execrationibus deuouere, si quid eorum contigisset, aut vidisset , quorum insimulabatur. Vicini qui hominis importunitatem norant , orare vt à tam nefandis execrationibus abstineat : ille contrà vt videlicet tanto magis famæ suæ consuleret,eadem iterare & exaggerare institit. Et ecce tibi diuinam iustitiam minime dormitantem. Subitò enim terroribus animus , tremoribus membra omnia quatiuntur , vt à malo dæmone obsideri putaretur. Itaque ægre in cubiculum se retulit , vbi noctes aliquot visis & spectris agitato officij & humanitatis gratia , modò hi modo illi assederunt.

Inter alia autem quibus animus vexabatur, tum Iesuitas sibi videre videbatur, quasi ex imo in quo iacebat lecto prodeuntes (is erat locus in quem furtum abdiderat) tum fœminam quandam,

in cuius etiam supellectilem gypsatas intulerat manus, & Ille fremens, quis huc inquit istos adduxit? eijcite quantocyus; aliò facessant; ne mihi sua præsentia diutius sint molesti. Aliquot tandem noctibus ita transactis cum forte solus esset, sub mediam noctem abiecta è collo cerea Agni effigie, è fenestra cubiculi medium se in vicum præcipitem dedit. Accurrêre vicini protinus, seminecem inueniunt; ad Collegium aduolant vnum è nostris petituri. At dum is eo se confert, ille loquendi facultatem amittit, nec aliud dicere potuit, quam quod animo maximè insidebat, ne quis ad lectum accederet, sicque miser defungitur. Hîc lotor in magna vicinorum frequentia postulat vt lectus inspiciatur, si forte illic inuenirentur, quæ furto sibi ablata querebatur. Cuius petitio cum æqua videretur, inspectum est si quid lateret, amissaque omnia & inuenta sunt & restituta. Ita diuina animaduersione non obscurè declaratum est, quanto in periculo versentur, qui admissis sceleribus periurij piaculum, nefariæque execrationis non dubitant adijcere.

PRO-

PROBATIONIS DOMVS Nanceiana.

IN Nanceiana Probationis Domo fuerunt hoc anno ad quinquaginta quinque. In his veterani nouem, tertiani quatuor, Noui tij reliqui, quanquam numerus imminutus ob deductam coloniam in nouam Probationis Domum ad Rothomagum duobus temporibus, exeunte Nouẽbri superioris anni, & ineunte vere præsentis.

E pluribus qui B. P. N. commentationibus sunt exculti, Prælatus Religiosus fuit, qui cum monasterij sui disciplinam, quæ iam diu collapsa fluxerat seuerioribus adstringere legibus aggressus esset, ab exercitatione nostrarum meditationũ spiritum eius negotij perficiendi voluit vberiorem concipere. Alij præterea Religiosi quam mentem hinc hauserant, vt manaret latiùs atque se funderet, alijs item religiosis hanc exercitationem persuaserunt. Quanta ciues pietatis laude floruerint, argumento esse potest in asperrimo cœlo & tempestate perfrigida, ardor & frequentia omnium ordinum in obeundo templo nostro in extrema vrbe sito, ipso Circumcisionis die, vijs pene ad duorum cubitorum altitudinem niue obsessis, eiusque continenti lapsu in festis. Nihil enim tanti fuit, vt potirentur plenaria peccatorum Indulgentia, quam vt assequerentur, confessione expiati sacraque mensa refecti sunt homines eo concursu & numero, qui vix cœlo pacato serenaque tempestate poterat expectari. Extremis Bacchanalibus ad frænandam quãtum in nobis fuit hominum petulantiam, non exiguum momentum at-

tulere coacti ab vno è noſtris Partibus ex omnibus fere vrbis Scholis pueri puellæq;, qui omnes exſtudio & voluntate parentum linteati ad noſtram templum prodiere vno agmine in ſuas ſcholas choroſque diſtincto. Crux alta præferebatur dominicæ Paſsionis inſtrumentis inſignis, quæ rurſum ſingula affabre elaborata chorus vnus puellarum geſtabat manibus. Vbi vero noſtrum templum iniere, tempori accommodata noſter dixit ad concionem, quæ pio excitata ſpectaculo, ſacramque pompam proſecuta, ad duo capitum millia confluxerat: mox catecheſis attexta, tum denique puerorum puellarumque agmen per ampliores ac frequentiores vrbis plateas circumductum. Religionem auxit adhibitus ad ingenioſum apparatum ſacer Litaniarum concentus & modulatio. In communi totius Prouinciæ lætitia, & celebritate ob auſpicatas nuptias Sereniſsimorum Principum Henrici primogeniti Lotharingiæ Ducis, & Margaretæ Mātuæ Ducis filiæ ab Sereniſsima Eleonora Medicæa matre eiuſdem Margaretæ, quæ primum rei diuinæ cauſa nos adijt, iterum ipſo Viſitationis Deiparæ ſacro die in noſtro templo ſacram Synaxim inijt cum aliis aulæ ſuæ Principibus fœminis, magno vtique Religionis ac pietatis exemplo. Secundum Miſſę ſacrificium noſter verba fecit Italicè in gratiam Sereniſsimæ Eleonoræ. Quæ res ob idiomatis inſolentiam concioniſque dignitatem, plurimum in ore verſata eſt. Matris exemplum ſecuta poſtmodum Sereniſsima Margareta ad partem meriti communicandā venit; humaniter nos inuiſit, ratumque habuit, quod mater à R. Patre noſtro Generali contenderat

vt ſibi

vt sibi è nostris vnus aliquis Gallicè & Italicè peritus esset à confessionibus. Ad Congregationem Partheniam Principum virorum è Lotharingiæ nobilitatis flore collectam, ac superiore anno cõstitutã accessit hoc anno artificũ altera, vel potius prioris pars altera, quę intra mensẽ ad ducẽtos excreuit, cõiugibus etiam id adnitentibus, sunt enim persuasæ, viris suis ex hac disciplina se facilioribus esse vsuras & attentioribus in re domestica. Et vero laudandus feruor in hominibus operosis, artes & rationes ex quibus quæstum faciunt, seque suosque sustinent, ab ijs professis omitti diebus, generales vt confessiones instituant. Omnino vt principia se dant, copiosam licet ex hoc cœtu messem sperare.

Vnus ex ipsis, qui triduo aut quatriduo postquam admissus esset in Sodalitatem, vniuersam vitam retextam sacra confessione expiauerat, ingenti terræ mole interceptus subitò interijt. Quod factum permultis opportunum consilium dedit, vt animæ suæ consulerent in tam ancipiti vitæ discrimine, cuius demortui feretrum aliquot ex eodem sodalitio detulerunt, & reliqui omnes quotquot admoniti fuere in medijs negotijs haud quaquam pietatis obliti funus prosecuti sunt, tanta ciuium omnium admiratione, vt ea res vna multos ad Sodalitatem allexerit. Ad sacram supellectilem facta est accessio adiunctæ argenteæ pateræ cum geminis guttulis, lanceque item argentea, liberalitate Serenissimæ Antoniæ Ducissæ Cliuiensis, à qua præterea hæc Domus

aucta

aucta & locupletata sacris nobilibusq; reliquijs Sanctorum Cassij, Pontiani, Agnetis, Agathæ, Margaretæ, thesauro valde suspiciendo, à quo vtique maiora domus incrementa meritò speramus. Thecis item inclusa sunt recens bina Sanctorum Martyrum Treuirensium capita vario & eleganti opere. Aliorum eleemosynæ minores nobis ex ære fusili Angelum vnum conflarunt, pereleganti certè figura & affabrè factum. Subseruit hic cereo qui ad consecrationem accenditur.

Vosagia pars est Lotharingiæ, magis ad septentriones pertinens regio, quæ non tam loci, & incolarum ingenio, (quanquam & aspera & syluestris est) quã operariorum penuria inculta syluescebat. Amplissima itaque à Cardinale Lothareno legato, & Episcopo Tullensi (in cuius est gens illa diœcesi) authoritate accepta, Iubilæum ibi promulgaturus noster iter ingressus est, sed Apostolico ritu, pedes ipse vna cum Nouitio & sacerdote parocho, illis locis insigni pietatis opinione famaque iam noto, cui & laborum communicatio, & insuper sumptus fecit; nec minimum quid ab indigenis ad quorum salutem procurandam veniebant, vsurpantes, quidquam de animarum lucris & fructu, quæ vna sperabant, decerpserunt. Quod propositum susceptumque consilium mirificè Tullensis Episcopus & suscepit & complexus est. Tanti enim derepente motus animorum facti, tantus ad sacramenta capessenda numerus hominum confluxit, vt hoc nomine profesti quique dies sacratioris hebdomadæ diebus, Dominici verò quique Paschatis celebritati viderentur posse componi. Ab aurora ad mediam

diem

diem exigua temporis vsura corpori curando concessa: Ad intempestam noctem confessionem excipiendarum protractus labor; quod ferè duobus sacerdotibus solenne fuit atque perpetuum. Accedebat quotidiana Catechismi explicatio, feriatis etiam diebus gemina cõcio; quo vtroque ministerio magna inscitiæ rubigo detersa, magna rudibus populis & semotis lux illata. Duobus quidem locis hæsere potissimum, nec cessauit interea Noster circumiectos pagos diuini verbi facibus incendere, eo successu, vt sæpe vrgente præsertim labore rustico & commoda inuitãte tempestate, nihilo secius obliti sua se tantum suamque salutem respectantes, ad hęc diuina Sacramentorum præsidia ex remotissimis etiam interdum locis exciti properarent, ipsi nonnunquam integri pagi publica indicta supplicatione ad ea se loca contulere, in quibus intelligebant versari nostros. Accidit aliquando, vt cum ipse Confessarius pertinaci studio adhærentes sibi nonnullos, quos non cura familiæ, non corporis, non locorum distantiæ, aliarumue rerum præterquam salutis tangeret, confractos fame debilitatosque cerneret, coactus fuerit eis seuerè denuntiare, se ad sacram confessionem non ante admissurum eos, quam se sumpto cibo recreassent: quinetiam in hac pietatis contentione cum viris certauere mulieres, non modo occasionem confitendi diutissime præstolantes, sed etiam ne infantes in cunis positi pijs studijs moras inijcerent, prouidebant, cunas ipsas cum paruulis circumferentes, & in templis apud se habentes tantisper, dum erratorum suorum seriem confessione explicassent. Defuit interdũ templi lociue sacri

ad con-

ad Confessiones excipiendas opportunitas : tum in piarcis exceptæ sunt. Enimverò longum esset percensere, quot ad publicam priuatamque rem commoda ex hoc sacro ministerio redundarunt, quoque ex alto vitiorum cœno sunt extracti. Ad eius tamen præsentem opem adspirare quidam non sustinebant, ob fœdus quod in pactione sacrilegi commercij cum Dæmone icerant, veruntamen tanta vincula omni diabolica fraude potentior vis diuina dissoluit, & scilicet inferis deuota capita nostris adnitentibus afferta sunt in libertatem filiorum Dei. Cuidam affectæ iam ætatis viro, vires integræ suppeditasse videntur, dum confessione vitæ maculas abstergeret, qua ritè perfunctus, dieque proxima percepta religiosè Eucharistia, tertia denique cum valens vigensque ad eam diem crederetur, præter expectationem quidem omnium, sed tamen fœliciter hoc instructus commeatu, è statione vitæ demigrauit. Non obscuri tantum homines, sed & pleriqne nobiles, qui quasi hæretici malè audierant, inita confessione, & apud Deum gratiam, & apud homines existimationem suam resarserunt.

Nec miraculo caruit, quod par nobilium coniugum tum expertum, qui cum eidem culpæ crederentur affines, morbo insuper implicati tenerentur, Confessionis vsi remedio, animi corporisque incolumitatem receperunt. Sed in hoc genere non videtur reticendum facinus nobilis fœminæ, & quidem prouectioris ætatis, quæ ex priuata confessione magnam vim diuinæ lucis hausit, vsque adeò, vt cum varijs indicijs proderet quo arderet dolore, quamq;

quamque vehementer consuetudinem superioris vitæ, quam in hæresi traduxerat, detestaretur : tamen factum satis officio non putaret, nisi si publicam eius sceleris exomologesim faceret; & coram Deo quem palam offenderat, & proximis quibus ad impietatem facem prætulerat, de animo contestaretur, & sibi ab omnibus postularet ignosci. In sacellum quoddam religionis auitæ perduelles hæretici inuolarant, idq; in tenebricosæ popinæ sordes multis abhinc annis conuerterant, quod nostri hominis contentione purgatum expiatumque; quin etiam illi ipsi qui indignis vsibus locum conspurcarant, eum se ornaturos esse, pristinæque dignitati omni squallore detersо, reddituros receperunt.

Tres Nouitij in Batauorum hostium præcipitarunt insidias, à quibus fuerat paulò ante Sacerdos interceptus & atrociter excruciatus; peregrinis tamen nostris pepercere, vnius officio capti, qui obequitantibus sepem importunam aperuit. Tres certam perniciem adituri erant ex errore viæ, iamiam pagum subeuntes grassantis pestis lue infectum, cum derepente adfuit, qui quò tenderent scisсitatus est; at illi proximum pagum cogitare subijcientes, ab eo cognouere periculum suum. Mox errore viæ, rectaque quam insisterent, indicata, benignè ab se dimisit. Atque vt impiorum odijs ludibrioque sunt exagitati, sic etiam piorum beneuolentiam, prædicationemque sunt experti. In hæretico loco stipem aliquando colligentes à feriatis pueris omni verborum licentia perstringebantur, cum id aduer-

aduertẽs Catholica mulier primum pueros aggreſſa compeſcere, mox ad adſtantem conuerſa fœminam, quæ in illorum petulantia conniuere videbatur, quin tu, inquit, hanc procacitatem coërces? tũ obmutientis hæreticæ loquacitatem paucis, pro pietate ſermonibus irretitam retardauit. Non ſemel pij honeſtique viri eos hoſpitio inuitatos tectis cupidiſsimè receperunt, exiſtimantes ſe vt Chriſtũ Dominum in ſuis peregrinis accipere; eos lautè habitos pecunia inſuper certatim iuuerunt; imo & ipſis, vna vicatim vrbem obeuntes ab alijs corrogare non erubuerunt. Quo etiam tempore quo ſit loco Societas ijs partibus, æſtimare apud ſe noſtri cœperunt, cum à ſene quodam magnæ auctoritatis viro ignorantiæ tenebras offuſas orbi terrarum à Societatis hominibus eſſe diſcuſſas ac diſſipatas audierunt: Sed religio maxime in eo apparuit honeſti ciuis, quod cum inuitatos apud ſe benigniſsimè habuiſſet, & in digreſſu nummos adieciſſet, ſecundum hæc antequam pedem tectis efferrent, ad illorum genua acciderit, ſeq; ab ijs benedici infimis precibus contenderit; tum denique perinde quaſi beneficium accepiſſet, ad multam viam abeuntes lætus ſit proſecutus. Pariſijs adoleſcens quidam Societatis ineundæ nobiſcum conſilium alebat, nec niſi vni, aut alteri è noſtris enuntiarat, cum in eam vrbem ex Ambianenſi eſt deducta mulier, teterrimis obſeſſa dæmonibus, cui liberandæ in patria parentes nihil intentatum reliquerant. Cum igitur aliquando vir quidam probitatis ac virtutis expertæ in magna hominum frequentia vexatores diabolos exorciſmis de more vrgeret, commodè adfuit adoleſcens

lescens ille nostri instituti appetens, quem inter cõfertam turbam micantibus oculis energumena cõspicata, deridensque: porrò, inquit, & pileum tibi vestemq; nuptialem assume; quid cunctaris? Enimuerò benignè habitum à dæmone adolescentem multitudo circumfusa referebat, quæ verborum illorum, pilei & vestis nuptialis vim non caperet, cũ alijs occulta flagitia identidem exprobraret dæmõ, & in conspectum hominum lucemque proferret. Moram Iuueni fecit vestis nuptialis commemoratio, vtpote rerum nostrarum adhuc rudi. Vsus igitur interprete vno è nostris, viles accepit sic appellari vestes, quas in humilioribus exercendis ministerijs Nouitij vsurpant, & maturauit vani auctoris indicio enuntiata non vana reddere, breui ad hæc vexilla Crucis aduolauit. Alius quidam paulò antequam ex paterna domo ad nos commearet, satis præclarum suæ patientiæ specimen dedit. Nam cum illi, nescio quis grauem colaphum impegisset, nihil hic tamen propterea commotus est, cunctis qui aderant stupore attonitis; Imò negauit sibi quidquã contumeliosè factum, vbi vidit cæteros manus non abstinere, quin ei factam iniuriam vlciscerentur: Ignoscite, dicebat: Quid enim adeò mirum est, si hominem incognitum sibi ac prope non cogitans leuiter pulsauerit?

DOMVS PROBATIONIS Rothomagensis.

FVit hactenus in Franciæ Prouincia vna Domus Probationis Nanceiana: Nunc verò postquam

Dei benignitate & Christianissimi Regis inaudita beneuolentia, propagari cœpit Societas, & à multis regni vrbibus aduocari, accessit altera Rothomagi vrbe nobili, & copiosa collocata. Dux & princeps tantæ rei fuit Elisabetha Moncelia, nobilissima domina de Aubigny, quæ cum patriæ bene uellet suæ, & à nostris in Christianam Remp. haud dubias vtilitates & pietatis ornamenta speraret, decem nobis aureorum millia assignauit. Quæ pecunia haud sanè par tantæ molitioni, non exigua tamen videri debuit in hoc motu turbulentissimarum tempestatum, quibus Gallia fuit per hos annos bellis ciuilibus attrita.

Ad hanc summam cum benignitas & piorum hominum atque locupletum eleemosynæ accessissent (nam & Dominus à Bouuilla sapientissimus præses, & matrona nobilis alia redditus annuos attribuerũt) domus coëmptæ sunt, extructa cõclauia, sacellum exædificatum. Tandem incoli cœpta est hæc domus exeunte anno millesimo sexcentesimo quinto, fœlicibus initijs, quæ non obscuras diuini erga nos amoris significationes superatis difficultatibus habuerunt. Ad eam vero suis muneribus instituendam, & ponenda religiosæ vitę fundamenta, missi duodecim è Nanceiano tyrocinio, ad quos noui celeriter adiuncti viginti quinque numerum expleuerunt. Hoc primo anno, pij omnes & optimæ spei. De quibus, cum multa dici possint, nos inprimis ea referemus, quæ virtutis & diuinitatis expressiora & illustriora argumenta continent. Sunt enim quidam ad Societatem vocati, non communi more cæterorum, sed abdita quadam prouidentia, latissi-

latissimo quidem euentu, sed in expectato. Absoluerat vnus Philosophiæ curriculum, certusque destinarat inanitatibus nuntium remittere, & de sacris piorum familijs cogitanti, Capucinorum Ordo præ omnib. arriserat. Petit igitur quod volebat copiosissimè, nec indoles iuuenis facta ad honestatẽ, diuturnam petitionem esse passa est; celeriter admittitur, iussus redire cum vellet, patere aditum. Lætus nuntio res suas agit, valedicit familiaribus, viæ se committit. Iam vicinus erat monasterio, cum incidit in Sacerdotẽ secularẽ, probũ hominẽ, & haud ignotę pietatis, cui cũ rem ipsam indicasset, plurimũ exhilaratus gratulatusq; iuueni, comitabor, inquit, te, & in Dei domum lubens deducam. Sed placet ne ad Patres Iesuitas tantisper diuertamus? (Nam ad nos tum forte cõferebat se) estq; nostra domus Capucinis coniuncta; Ambo ingrediuntur, idq; tum fuit temporis, cum Nouitij operi manuum de more incumbunt: Spectauere aliquandiu, & illa omnium alacritas modestiæ plena, & in rebus etiam vulgaribus pietatis significatio sic hominem perculit, vt quẽadmodũ olim Saul de grege prophetarum, sic ab eo loco alius sanè vir digrederetur. Monet deinde Sacerdotẽ, sibi quædam in animũ incidisse, de quib. esset maturius cogitandum, preces postulat, hospitiũ init publicũ. Sacerdos qui leuitate iuuenili (quãquam prudentem semper animaduerterat) mutationem voluntatis contigisse suspicaretur, dat se precibus, & pro eo Deũ parentẽ ardore quodã insueto rogat: ibi diuinũ sibi visũ obiectũ esse deinde narrabat, q; clarissimè significaret, duob. alijs Ordinib. repudiatis, qui quasi in certamẽ cõcurrisse videbãtur,

iuuenem nostro diuinitus addici. Non fuisse mentis aut oculorum ludibria euentus declarauit; nam alter iam ab eo tempore nunquam ab animo potuit Societatem excutere, cumque suam in petendo constantiam, & constantia diuinæ mentis nutum satis ostendisset, tandem admissus est. Is ipse iam Nouitius peregrinationem de more cum ex obedientia suscepisset, incidit in sociũ quendam suum, qui cum eodem vitæ religiosæ desiderio flagrauisset, impetu quodam influentis vanitatis de via deflexerat: Hunc aggressus modis omnibus hortando, monendo, rogando, vltionem etiã diuinæ mentis denuntiando, cum videret difficultates esse perpendas, comminuenda vincula, & obices remouendos, quo in opere diuina vis & potestas requireretur, æstu quodam elatus pietatis Deum obsecrauit, sibi vt febres & alias corporis afflictationes iniiceret, quo ille iuuenis ad animi sanitatẽ reuocaretur. Non longe abierat, in grauem febrem incidit; dicere pactum & conuentum Dei probantis auctoritate ratum probatumque fuisse. Nam dum nostri venas intimas ardor febris depascitur, tanta flamma diuini amoris pectus adolescentis inuasit, vt non prius finem vrgendi fecerit, aditumque Societatis postulandi, quam à Patre Pręposito fuerit patefactus. Mittitur ergo ad Nouitiatum: quo in itinere, nouus pugil & miles adhuc in procinctu non indecoram lauream tulit, vehebatur rheda publica, inciditque in comitatum non nimis honestũ neque piũ, cum id agi videret, vt mulierculariũ blanditiis quæ aderant, & flagitiosis aliorum colloquiis castimoniæ labes inijceretur, se derepente de vehiculo qua-

fide

fide incendio in mediam viam cõiicit, templũ Diuę Parentis, quod proximo in oppido esse sciebat, ingreditur, vbi magna suauitate perfusus & mirifice roboratus, victor lasciuiæ, atque adeò non iam hominibus, sed Deo & cœlitibus viæ reliquæ sociis adhibitis, ad Probationis Domum venit incolumis.

Dissimile est quod sequitur: parens vterque filium suum carissimum magnæ spei adolescentem lubens volensque Societati tradidit, cum identidẽ præ se ferret nullum diem sibi in vita lætiorem & iucundiorem illuxisse. Is adolescens iam inde à puero ad pietatem informatus ad expetendam Societatem eò maximè fine impellebatur, vt hæreticos ad saniorem mentem reuocaret, & Christianam religionem propagaret. Et quiddam in eius indole iam à teneris annis præsignificasse Deus videbatur. Nam triennis adhuc cum esset, & in concione Parisiis versaretur, vbi noster Ecclesiastes è superiore loco verba faciebat, cumque vt fit, in multorum ignorantiam inueheretur, qui, quæ forent ad salutẽ necessaria, non tenerent; re multum exaggerata, ecquis, inquit, in hoc tanto numero subitò posset atque perspicuè quid sit fides explicare? tum pusio sese erigens, infantili quidem voce, elata tamen atque distincta, sic vt omnium admiratione exaudiretur, fidei definitionem attulit, quam in doctrina Christiana didicerat. Atque hęc in uocando singularis Dei prouidentia pari beneuolentiæ coniũcta, non minus in conseruando instituendoque fuit illustris. Quin & odor pietatis afflatus ex hac Domo ad Præsidem primum peruenit; hominem summæ auctoritatis in hac in vrbe, & gratiosum apud Re-

gem, qui cũ nobis antea fuisset infensior, & ob communes iactatasq; maleuolorũ calumnias abalienata à nostris homimb. voluntate, Nouitiatũ tamen adijt, cum Nouitijs sumpsit prandiũ haud vulgari beneuolentiæ significatione, quæ tantò fuit iucundior, quantò minùs expectari debuit; in digressu etiam pollicitus est, se loci protectorẽ patronumq; futurũ, quod deinde in ipsa curia non semel cõfirmauit. Itũ etiã de more peregrinatũ, & nouo quasi itinere peragrata Gallia, quæ nostros vt de numero cœlestium aliquos suspexit. Tres inciderunt in Comitẽ Suessionensem Illustrissimũ, regiæ prosapiæ nobilem & inter Galliæ proceres non vltimũ. Ibat forte ipse Parisios, quò nostris quoq; fuit iter, & carruca magnifice instructa vehebatur: vbi nostros animaduertit, nullius in speciem dignitatis, supplices & mẽdicos; aduocauit, & sessum recepit complexus humanissimè, haud vulgari significatione honoris: & vt nostri commodius vehiculo vterentur, liberiusq; agerent, nam ijs pudorem benignitas tanta iniecerat, admisit equum non sine suo incommodo: ita duos dies vecti sunt continuos, semper epulis adhibiti regifico pene luxu paratis, semper in hospitio ea in parte collocati, quæ videretur cæteris cõmodior: Iusserat enim bonus Princeps suis illis anteãbulonibus, qui de more hospitia metari solent, vt non prius domũ cuiquam quàm Iesuitis designarent, ita fiebat vt & circumpedes pueri, cæteriq; nobiles qui in comitatu erant, nostros obseruarent, eisq; ad mensam diligentissimè inseruirent. Digna profecto Principis illustrissimi comitas & munificentia, quæ non modo hisce chartis, sed æternitati etiam commendetur.

ANNVÆ

ANNVÆ LITERÆ PROVINCIÆ AQVITANIÆ Anni 1606.

SOcios omnino trecenos vno minus & altero, vndenis sedibus distributos præceps hic annus numerauit. In Burdigalensi collegio septuaginta tres: in ijs septem supra viginti sacerdotes, è quibus duo subtiliorem illam Theologiam, tertius sacras literas, quartus quæstiones de iure conscientiæ, tres Philosophica, vnus Mathematica, Græcam alius linguam profitentur. Sex è magistris humanioribus studijs iuuentutem imbuunt. Seni ac deni Theologicum, deni quaterni Philosophicum stadium excurrunt. Reliqui domestici operis administri. In Tolosano, vno minus quinquageni. Ex his vndeviceni Sacerdotes, è quorum numero duo Scholasticam Theologiam, alius causas ad conscientiam pertinentes, duo Philosophiam, Græcam eloquentiam vnus docet. Ex ijs qui Sacerdotes non sunt, suauioribus Musis illustrandis sex nauant operam. Duo conscientiæ casibus ediscendis, vndecim Philosophiæ studijs occupantur. Cæteri familiaris negotij adiutores. In Mauriacensi collegio septeni, Sacerdotes quatuor, quorum vnus cũ duobus Fratribus, minorib. disciplinis pueros instruit. Reliqu⁹ est vnic⁹ Coadiutor. In Ruthenẽsi, viginti. Sacerdotes octo. E Professorib. vnus Philosophiæ, humaniorib, literis quinq; inuigilãt, Scholaris vnus

è diutino morbo conualescens, quinque operum adiutores. In Auscitano, vndeviginti. Sacerdotes septem, è quibus vnus Philosophiæ præest, Humanitatis magistri quinque. Veteranus magister à valetudine nondum integer. Cœteri rem curant familiarem. In Aginnensi sedecim, Sacerdotes septem, è quibus vnus Philosophiâ; Magistri quinque, humanioribus artibus adolescentes erudiunt, quatuor rem domesticam administrant. In Petrochorensi vnus vltra viginti, Sacerdotes nouem, quorum vnus Philosophiam docet, Humanitatis Professores quinque. Auditores Rhetoricæ duo, quinq; Adiutores. In Lemouicensi bini ac viceni. Sacerdotes octo, mansuetioris doctrinæ magistri quinque, discipuli Rhetoricæ quatuor, quinque laborum administri. In Cadurcensi sedecim, Sacerdotes septem: amœnioribus literis præfecti quinque, Domesticis ministerijs intenti quatuor. In Residentia Pictauiensi sex: Sacerdotes quatuor, adiutores duo. In Domo Probationis Tolosanâ quadraginta nouem. Sacerdotes quatuor: quorum duo tertium Probationis annum peragunt, Duo fratres Veterani. Cœteri Nouitij. In Societatem admissi quini ac triceni, iacturam duorum qui iam vixêre, affatim resarserunt.

COLLEGIVM BVRdigalense.

ITerum hoc anno ineunte Augusto grassabundus pestilentiæ morbus Scholas occlusit. Cœteris aliò atq; aliò diffluentibus, substitere domi quatuordecim,

decim,&Burdigalenſib.fuere auxilio pariter ac cō-ſilio,quà confeſsiones excipiendo, quà quot Dominicis conciones habendo: nullus tamen eorum, quæ Deo ſint gratiæ, peſtilentem afflatum hauſit. Nihilo ſane minorem diuini numinis præſentiam experti, qui eluſo Burdigalenſi periculo in oppidum quod à S. Macario nomen habet,numero plurimi euolarant: In illud enim cum ferale contagium irrepſiſſet eo planè temporis,quo vindemiæ in manibus,atque adeo decumanam ſortem ad centum ferme capita colligentibus Operis noſtri præeſſent, Deo duce & auſpice factum eſt, vt à tabo & lue illæſi omnes illibatique permanſerint. Obijt omnino vnus febre nunquam remittente correptus,P.Raymondus Verderius, qui exactis in Societate annis tribus vltra viginti,cum & Miniſter annis pluribus, & Procurator,Magiſterque Nouitiorum pluſculis extitiſſet, ac diu in Macarienſi oppido res Prioratus noſtri curaſſet, magno relicto ſui deſiderio in meliorem cœli familiam cooptandus ereptus eſt ſuis, Vir vere pius, & ſingulari prorſus animi demiſſione eximius: ita comis ac benignus, omnes vt eum cum domeſtici, tum extrarij Bonum Patrem vulgo appellarent, funus ipſius quaſi communis parentis oppidani mœſti atque atrati proſequuti ſunt, non plebeij modo, ſed totius loci capita, Magiſtratus, Iudex, Sacerdotes externi, qui etiam pro Defunctis fundi ſolitas exequiales preces ſolenni pompa non ſine lachrymis ei decantarunt.

Pater iſte ex ſuo ſolenni de noſtrorum ſalute mire anxius ac ſolicitus, ingruente iam lue, &

minimo minus adoriẽte, cernuus in faciem, genib. prouolutus, ardenti & humili cordis affectu diuinæ clementiæ supplicauerat, vt quod cæteros nostros maneret exitium, in suum vnius caput conuersum ferret, dixit, ægrotauit, obijt, reliquis nihilo peius affectis, quam pio Patris desiderio.

Quidam truculentæ, aiebat, aspectu belluæ terreri solitus, & sanguineis maculis toto corpore fœdari, nonnunquam etiam sensuum vsu destitui, interdum oppresso per vim gutture tantum non suffocari, quidquid contra parentes & amici conarentur, purgata ritè conscientia, affixisque domestico parieti paschalis (vt vocant) cerei orbiculis, omni prorsus molestia & angore liberatus est.

Hæreticus eò vsque obstinatus, vt de capite mallet quàm de hæresi dimicare, concionatoris tamen nostri & oratione, & ratione conuictus manum dedit. Triginta alij partim Caluinum, partim Lutherum eiurarunt. In his Anglus iuuenis perspicacis ingenij, qui cum in officina patris, vbi varij codices boni, mali, promercales prostabant, promiscue, vt fit, hos & illos reuolueret, incidit in Catholicos authores, quorum lectione blande pellectus veræ religionis amore sensim tangi cœpit, & verò vt eam libere profiteretur, relicto lare domestico, insalutatis parentibus, patrio solo valere iusso, Burdegalam quàm mox appulit, tam mox apud nos veniens, voti compos euasit, iamque tum pietatis, tum doctrinæ egregium sanè præbet documentum.

Adolescens ingenuus, sed à puero hæreticus, nobis

nobis se tamen superioribus annis, vbi primum ludum aperuissemus, ignaris parentibus informandum tradiderat, is simul audit Magistrum, ipso primo sabbato ab ingressu de re Christiana pro more nostro differentem, subitò in lachrymas ire cœpit, magoque veræ religionis amore vehementius rapi, cum vero sub finem Catecheseos discipulis ijs, qui nondum sacræ Synaxeos participes extitissent, Magister moram indixisset, sistit se iste licet grandior medius in grege puerorum, mox rogatus cur tantam Dei munificentiam in id ætatis distuliisset, oculis fungens vice linguæ, in fletum erupit cum singultu: cumque vrgeretur, quorsum illæ lachrymæ? an non res digna omni lachryma, subdit ipse, tamdiu veræ religionis expertem tanto Dei munere, quãtum est quod dicitis, misere caruisse? nam, vt fatear quod res est, hæreticus ego, è parentibus hæreticis: imo equidem non amplius hæreticus, sed iuuante Deo, cum primum licuerit, ex animo & bona fide Catholicus. Edoctus synceram fidem post dies aliquot hæresim abiurauit. Hæc quamquam in præsentem annum non inciderint, altius tamen repetere libuit, quòd annuas superiores, nescio quo fato, res effugerit. Idem porrò pius adolescens hoc demum anno in patrium solum à parentibus, qui iam eum ad nos itare acceperant, accersitus, nihil potius habuit, quàm vt bene paratus à spiritualibus armis, & suam fidem propugnaret, & illorum perfidiam acrius impugnaret, pergit ergo fretus fiducia retrahendæ familiæ à naufragio; domum appellit nocte intempesta, eo forte

eo fortè die, quo carnium esus Christianis legibus interdicitur : has ei cum Pater præteritorum non plenè conscius per aduentorias delicias propinaret, hesternas ille causari, ac subrancidas : iubet e Pater recentes: ille queri stomachum ex labore, melius sapere ad suum palatum bellaria quædam leuioris saliuæ : hîc nescio quid odoratus homo suspicax, subamarè, tuam tibi scilicet, inquit, si hæc gustaueris, virgis vrent pelliculam pręclari illi, tui Iesuitæ, bellè mones, mi pater, ait hîc iuuenis, per risum & iocum, præclare mecum agitur, quod monitu tuo re adhuc integra temporique meminerim. Proximo die de iussu patris vocatus minister adolescentis constantiam quaqua versum agitat, nihilo tamen magis peragit, quam si nihil ageret, præstò sunt duo de consanguineis vir, & vxor, qui partim argutijs, partim illicijs, & blandimentis adolescentem irretiant : at enim ille declinato vulnere suos istos glorioso milites adeo versat in omnem angulum, vt redacti ad incitas vterque coniux, nihil propiùs habuerint, quam secum inuicem iam relicto cognato pugnam ciere; eoque demum inter ambos & coniuges & hæreticos altercando ventum est, vt vir vxoris audaciæ, quippe quæ lauream suis sibi clamoribus spopondisset, non amplius patiens, mutato medio, formaque syllogismi directa in FERIO, à verbis ad verbera coactus ierit, & quamquam eiulanti muliebriter impacto pugno caput abundè commitigarit, quid moror? patrem inter & filum pugnatum tamdiu, dum vtrinque spes fuit alterum conuertendi, alterum præuertendi : Sed cum ille tandem hæresim suam

à con-

à constante filio pilam fieri ludumque haberi liquidò perspiceret, exturbatum ædibus procul exulatum ire iubet, abibat ergo generosus exul, cum ecce bene multi pueri petulantius effusi facto grege quasi grues ingruunt, clamoribus, sibilis, saxis vsque vsque impetunt, dum longius ab vrbe ventum fuisset, huc demum Catholici plus quinquageni se agunt celeriter, & disipata nube puerorum, solantur ac roborant, quoquo possunt modo eum Christi militem, qui sibi solatio hanc procellam verteret, & inde robustior esse inciperet, vnde cæteri fractum iri putassent: deductum igitur ad tertium aut quartum vsque lapidem, Burdegalam inde properantem Deo & Cœlitibus commendarunt: quo vbi primum à re imparatus peruenisset (ecce oculus Dei) à viro & honorato & pio Matricis Ecclesiæ Archidiacono hospitio excipitur, à quo vt filius amantissime alitur, ac fouetur.

Prouectioris ætatis viri septem cum hæreseos labe infecti essent, neque dum, licet Catholicos simularent, Sacerdoti vnquam de iussu Christi & Ecclesiæ, animæ vulnera detexissent, rati nimirum id inane fore, & periculosæ plenum aleæ, nostro tamen Sacramenti huius necessitatem pro suggestu acriter valideque probante, illi etiam haud difficulter verbis & factis approbarunt. Aucta sacra supellex nouo sanctuario, adeo fabrè industrieque laborato, vt in simili genere tersius nihil & elegantius fortasse videat Aquitania. Aquæ lustralis, cui Peruanæ Crucis frustillum immersum fuisset, pellendis febribus vis eluxit.

Maca-

Macarienſes oppidani panegyricis aliquot Beatæ Virginis aure auida deuoratis, eius ſe fidei & obſequio communibus votis obſtrinxere: ſigno eſſe volunt, præter alia ampliſsimam iconem quam depingendam curarunt, qua Diuus ipſe Macarius loci patronus Deiparæ virgini cum incolis oppidum ſupplex deuouet.

COLLEGIVM TOLOſanum.

DIſcipulorum hoc anno recenſus mille quadringentorum capitum numerum ſupergreſſus eſt. Sodali morituro poſt conſcientiæ labes Sacramento elutas, & viaticum obeundo itineri quò itur ad cœlum, multa cum lachryma rite ſuſceptum, auguſtiſsima ſeſe Chriſti domini ſpecies videndam præbuit; ille nouum hoſpitem languidulis & intermortuis vocibus compellare: Quid me vis Chriſte? Si quem hinc ad te accitum expetis, me me adſum qui cupio, me me adſum qui flagito, cape me, atque inter has ſupremas voces, an ſuſpiria, innocentem animum iuuenis exhalauit. Alius de eodem numero febri æſtuans, luſtrali vnda, cui noſter Sacerdos Thomææ Crucis particulam immerſerat, magna cum fide ac fiducia pluſculum epota, è veſtigio reſtinxit ardorem. Puella item eodem igne penè abſumpta, eodem hauſtu recreata eſt. In Principe D. Virginis Sodalitio pia liberalitate facta eſt ſacræ ſupellectili aulæorum perelegantium acceſsio, quæ ipſis etiam acu pictis imaginibus pietatem ſpirent.

Hæretici quinque ac viginti aut ad fidem traducti,

ducti, aut, quia desciuerãt, reducti; In quibus desertor vnus ad suã familiã redire iussus, salutẽ se nostris proximè à Deo acceptã referre luculẽter cõprobauit. Nonnulli à præstigiatorum & Ariolorum tendiculis expediti: de quorum numero fuit qui spe thesauri certo loco defossi, (sic enim in audierat,) Magum consuleret, de cuius consilio cum sinistros Genios in opem ciendos cogitaret, seque iam accingeret ad congressum: Ecce intempesta nocte secundum quietem horrifica species Cacodæmonis, qui minarum plenus, & anhelans sanguinem somniatorem illum adeo terrefecit, vt & euigilans plenus stuporis cohorruerit, & toto deinceps triduo incredibilem in modum totis artubus trepidarit. Sed fœlix tremor qui meliori proposito principium feceris! Alium vna scelerum expiatio velut præsentissimum apotropæum à nocturnis strigibus ac fœdissimis spectris vindicauit. Magici libri, & execranda illa cum Dæmone fœdera igni tradita, Quidam lethali accepto vulnere, depositæ deploratæque salutis Medicis habebatur, sed peracta noxiarum expiatione, & voto Diuæ Deiparæ Sodalitatis principi nuncupato, mox meliusculus esse cœpit, ac demum decretoriam illam & peremptoriam pœnam euasit. Vir nobilis æque ac nummatus Societatem olim expetiuerat adolescens, is ægrtiudine male actus, magnis identidem clamoribus affirmabat, nimium quantum pœnitere se, qui male cautus id ætatis diuino Spiritui restitisset; Beati Patris Nostri Ignatij, quas exorarat, reliquias sæpius osculatus, holoserica fascia inuo-

inuolutas religauit ad brachium , eiuſque imaginem prope lectum affixam iucundo animi ſenſu diu diuque irretortis oculis blande intuitus , poſtmodò eius ſe opera priſtinæ reſtitutum valetudini conſtantiſsime aſſeuerauit : nec verbo defuit fides, idem pòſt paulò memor beneficij centenos aureos nummos quaſi in ſoſtrum Probationis Domui numerauit.

Religioſa virgo non minus ingenij virtutumque ornamentis, quam generis claritate eximia, à neglectu vindicandæ atque excitandæ veteris diſciplinæ , quæ in ſuo cœnobio propedum exoleuerat , immensùm appetens, cum vno de noſtris communicauit conſilia ; ſed quid ageret cum pauculis Sororibus fœmina , alijs præſertim quaſi compoſitò reluctantibus ? Quamobrem pertæſa illarum peruicaciam , & ſimul iuſto dolori ſuo impar , incidit in morbum ; ad quam vbi noſter Sacerdos magnopere flagitatus expiandæ animæ accurriſſet , illa palam & contenta voce circumſtantibus lectulum virginibus , toto animi niſu, vereri ſe, ait, vt Deum, Diuoſque haberet iratos , acerrimis pungi ac diſcruciari conſcientiæ ſtimulis , quæ in illo regularum ſilentio , & ſitu, obſeruantiæque veteris intermiſsione vitam vixiſſet. Hæc alia atque alia tanto doloris ſenſu, tamque flebili voce pronunciauit , vt lachrymas expreſſerit vel inuitis ; Solatus ægram noſtet bono eſſe animo iuſsit : tres ipſos menſes decubuit , tam ſæuis doloribus exercita, vt tamdiu vixiſſe propius miraculum habeatur: Voluit quippe numen ſeruulæ exemplis, alloquijs, fletibus

& firmare propositi socias, & repugnantes erudire: de quarum numero vna vetula inolitæ licentiæ & laxitatis nimis quam pertinax, nocturnorum terrore somniorum, & minacibus idolis consternata, adeo contubernales exterruit, vt facta sit non leuis morum mutatio. Ex ijs iuuenibus qui ad nos itant inuentus vnus, qui mortifero ictu saucius adduci moribundus numquam potuerit, vt vel tenui indicio proderet auctorem necis.

COLLEGIVM MAVRIACENSE.

AVditores aliquot supra quingentos hoc altero anno recensuimus. Vir nobilis liberalibus artibus non leuiter tinctus, ab Hæreseos tenebris ad Euangelij lucem nostrorum opera reuocatus, Catholicæ fidei fortiter propugnandæ innumeris tum erga subditos, tũ erga nos ipsos charitatis exemplis egregiam sane nauat operam: & qui antea imaginibus, & religiosis ceremonijs atrocissimum bellum indixisset, is iam id genus sacra supra quam credi possit, toto corpore & animo sanctè veneratur, qua tam fœlici mutatione vix cogitares, quanto primariam nobilitatem, plebem infimam, & vltra cœteros propriam gentem ac familiam gaudio perfuderit. Hic nostros, quorum opera in Sacramentorum administratione frequens vtitur, sæpius ad se vocat, peripetasmate in sacelli ornatum, atque optimis voluminibus in librorum supellectilem non semel donatos.

Mulier, etsi non adeo locuples, aureos centum

nobis impertiuit, nec illud Christiana humilitate compulsa vllius in aurem venire voluit. Nobilis fœminæ pia liberalitate nostrorum vsibus destinata summa, vnde septendecim supra ducenos nũmi aurei in annuos redditus nobis emergunt. Nec silentio premenda videtur superioris Aruernię, nobilium præsertim atque adeò Hæreticorum in Societatem vniuersam beneuolentia: Omnes enim communi consensu, si modo Rex pijs ipsorum votis indulserit, librarum decem milla ad absolutam Collegij nostri instaurationẽ libentissime spopondere.

COLLEGIVM RVthenense.

SCHolarum alumnos annus præsens ducentorum accessu auctiores vidit, adeoque sane perfectum est, vt vltra nongentesimum auditor abierit: de quo toto grege eximius vnus, cui Societatẽ Deus indulsit.

Ab obscœno & lutulento cœno Caluinianæ hæreseos quinque emersere, atque inter alios insignis miles, qui sub illis vexillis, impietate & armis diu meruerat. Nec vero tacendus viri Nobilis fœlix exitus, is cum totius vitæ maculas absterssisset, & sacræ Synaxeos factus esset particeps, postridie eius diei à valetudine male habens decubuit, totoque illo tempore quo cum morbo luctaretur, in pietatem ardentior, ad vltimum se agonem magna animi cùm fortitudine, tùm demissione accinxit, affinesque & alios viros nobiles, qui se eò stiterant ex affe-

ex affectu, ex suo casu grauiter affectos & solabatur ipse egregie, & ad meliorem vitæ rationem ineundam pio conatu adhortabatur; ac denique, cum se angelicos coetus qui cœlo ducerent, agmine facto coram videre protestaretur, spiritum exhalauit suauissime; iam tamen aliquod aureorum millibus in aliquas Religiosorum familias, & pios vsus pauperum testamento legatis.

COLLEGIVM AVSCItanum.

VNus dierum & laborum plenus domestici muneris administer, fœliciter fato functus, vir quidem & candidus & egregie pius. E sodalibus Parthenijs duo Societati nomen dedere. Vnus ad Capucinos transijt. Nostri conçionatoris hortatu, honestorum virorum quos pœnitentes indigitant, instituta Sodalitas, quæ nocte proxima à Cœna Domini, stupente vniuersa ciuitate, per solennem supplicationem longis ire ord inibus antè visa est, quàm nata omnino crederetur: ea verò deinceps numerosior facta sacellum in vrbe, tertio post mense, excitauit, in quo solita pietatis officia magno animi fructu & alacritate obeunt Sodales, qui & Societatem parentem agnoscere, ac prædicare non cessant. Totius Præfecturæ plebs concenturiata & coacta in globum in nouum magistratum & exconsules acrius exarserat, quos & ageret repetundarum, questa se superioribus bellis à potentioribus expilatam: Illi contra ire inficias, mirari, rationem pecuniæ

bellicæ cum ipso bello sepultam dicere : Interea alios de populo in vincula rapere , alios alijs modis acerbe mulctare. Quid plura? cum aliquot annos in ea ciuili concertatione posuissent , eo denique ventum erat, vt vrbe in duas partes diuisa, timeretur ne nocte quadam intempesta armatum vulgus grauius aliquid in primores vrbis moliretur ; & causa interim apud Iudices summa animi contentione disceptabatur , cum incendium illud, quod reprimere multi frustra tentassent, nouissime ab eodem Sacerdote nostro felici exitu consopitum est. Vir aliquis non minus à vitijs quam à diuitijs copiosus, dum in carcere sententiam sustinet, in tertianam incidit , eum ægrotantem inuisit vnus è nostris , à quo monitus quamprimum abijceret sarcinam peccatorum , non meadeo premit morbus, ait, noui vires corporis mei, noui animi : atenim amabo , subdit noster, attende quid mihi Deus suggerat , fore nimirum, nisi me audis, vt absque Sacramento pecudis more decedens, rigidum Dei iudicium subeas imparatus , quid moror? altera nocte repente moritur, cum que de confessione moneretur , abnuens capite, & conuersus ad parietem magno terrore circumstantium euomuit animam in æterna supplicia puncto temporis ruituram. Contraxerat morbum periculosum & grauem concionator noster, peractis igitur ineunte Pascha concionibus, ad aquas calidas, quæ sunt in saltibus Pyrenæis, de præscripto Medicorum balneatum iuerat : ad eum locum cũ valetudinis causa, magnus nobilium aliorumque virorum vnde vnde concursus factus esset,

ad

ad eos noster concionem habuit nascente occasione, quæ sic habet.

Pomeridianis horis, vt tempus fallerent, hastiludio se nobiles exercebant, orta, vt fit, inter duos grauiore rixa, cessatum quidem à ludo, sed non cessatum ab odio, vnde mox omner.. stomachum erumpentes, pugnæ prænunciam alter alteri schedam destinant, qua commodo loco ad tertium milliare designato, se vterque sistere quàm citissime iubebantur: dictum factum, nocte concubia subducunt se ambo clanculo & quasi furtim, ac bene ante lucem anhelo cursu præsignatum in locum male sani perueniunt. Et vero, vt erant efferati in rabiem, & cruoris auidi, cœptam è vestigio peregissent tragœdiam, ni communes amici & consanguinei in rem peruigiles, celeri cursu consequuti malum hoc imminens fausto conatu disturbassent: hinc ergo quà vi, quà prece, tandem abrepti, de consilio nostri in templum ad sacrum ab amicis ducuntur. Erat forte Dominicus dies, eò igitur loci de duellorum immanitate & eorum supplicijs, iure diuino, humanoque irrogandis tam acriter & appositè Sacerdos disseruit, vt qui prius animos gessissent hostiles, posita omni ferocitate statim mitescerent, & ad concordiam seriò redirent.

Digressus inde cum ad aliud oppidum Bigorrensis prouinciæ deueniisset, rogatur ab aliquot Hæreticis Biernensibus per viros Catholicos, vt eos concione dignaretur, optare se scilicet Iesuitam audire, quod hominum genus crebris inter concionandum maledictis Ministri sui tam ardenter

exagitent: Recipiebant insuper se Ministrum qui aderat in concionem adducturos: spondet noster, & ecce continuò vagus rumor spargitur, Iesuitam cum Ministello congressurum. Conuolant Catholici plus mille, trecenti Hæretici cum Ministro, præsto est noster, & magna animi contentione præcipuas de controuersa religione quæstiones sic delucidè explanat, nullus vt non videret Hæreticorum falsissima dogmata, Catholicorum verissima, concione dimissa, rubore plenus Minister sese agit in pedes fugitiuus, & quamquam à suis vrgeretur in stadium, euinci tamen nunquam potuit strix vmbratica, vt solem auderet: ex eo mirum in modum corroborati Catholici, Hæretici contra infirmati, vt vel inuiti palam dictitarent, si duo tales Iesuitæ in suam prouinciam mitterentur, extemplò Biernenses omnes ad Romanam Ecclesiam accessuros: quod cum iam animo sex ministella præsentisceret, ab indigenis illis, quippe qui penè omnes hæresis labe infecti sint, facile impetrauit, vt in publico totius Prouinciæ consessu nostri regionis illius aditu nominatim prohiberentur. Hæc ibi. Pacatum est alibi oppidum odijs ante & discordijs infame, vt in quo Curio cum Consulibus, cum Curione reliqui Sacerdotes, Plebs cum magistratibus, priuati cum priuatis, &, vt verbo dicam, omnes cum omnibus grauiter dissiderent: ibi noster ipso Beati Ioannis Baptistæ eorum Patroni natali die, habita prius concione, omnium animos primò demulsit, quos deinde singulos domesticatim inuisit, ac postremò in hospitium

suum

ſium conuocatos, triduo toto ita mitigauit, vt ſponte veteres inimicitias liteſque componerent.

COLLEGIVM AGINnenſe.

NOcte quadam intempeſta ſacrarium excrematis ibi linteolis ignem ita cõceperat, vt ab incendio non procul abeſſet, ſed dum dormiunt noſtri, vigilat Deus. Pulſantur fores ſolito vehementius, & concitatus ære campono iterum atque iterum crepitus exauditur, mira res, dum ſe ad ianuam vnus è noſtris agit properum, (an diuino nutu minime dubium) totum igne adytum collucere aduertit, accurrit tamen ad ianuam quæ propius aberat, inclamat quis roget, muta omnia: ibi tum noſter non ſine Numine rem totam peragi clare intuens, volat ad ſacrarium, iamque latè vagum ac ſerpens incendium opportunus extinguit. Sacra templi ſupellex ligneo tabernaculo, diuite tabula ſuis coloribus graphice depicta, cœteroque ornatu in altaria facta auctior.

Poſtulatum à Prorege Franciæ Mareſcallo, vt quibus diebus Patientem Chriſtum ac Reſurgentem Chriſtianus orbis ritè veneratur, ad ſe vnus ê noſtris concionabundus accederet, quod & egregiè præſtitum concurſu non exiguo honoratioris ciuitatis. Viri duo è prima nobilitate Principes, ad ſingulare cer-

tamen diem sibi & locum clam alijs assignauerant, sed rem præsentiens è nostris vnus, per summum magistratum, quo minus id sceleris patraretur, impedimento fuit, qui & pòst paulò ad pacem & concordiam discordes reduxit. E Sodalitio Beatæ Virginis tres Societati, vnus familiæ Capucinorum nomen dedit. Duodeviginti Hæretica labe miserè sordidi, Christo & Ecclesiæ reconciliati: In his vir primarius cum vnum è nostris concionantem audiuisset, mox spirante Deo adit hominem, fidei formulam propinat manu sua descriptam, addat, detrahat, immutet, inuertat, vt lubitum fuerit, instanter obsecrat, Hæresim palàm detestatur, animam purgat, sumit Eucharistiam, Catholicum denique magno suo, & omnium gaudio profitetur. Imminutum, & ex parte sublatum Hæreticorum in nostros homines odium, morumque facilitate, lenitate, modestia hoc tandem euicimus, vt qui ne iniquis quidem antea, iam æquis oculis videamur: sic sanè vt dirimendis etiam quas habent cum Catholicis controuersijs, nos in arbitros aliquando elegerint. Ab aliquot Hæreticorum liberis scholæ nostræ liberè frequentatæ: Is huius commercij fructus extitit, vt vnus & alter Hæresim abiurarint, eorum vnus nobilis adolescens cum aliquo die in templo nostro precibus intenderet, tanta supernè, aiebat, suauitate recreatus est, nullum vt sibi euellendis scrupulis, quibus ante non parum impugnaretur, adminiculum maius, aut animo in fide stabiliendo firmius adiumentum accidere potuisse fateatur.

Diuor-

Diuorsum ab aliquot excursum est foras, quoties licuit, vnde præter cætera, templa quædam ab hæreticis disturbata, nunc postlimimò restituta, procurata insuper sacra supellectile. Ex Religiosorũ numero inducti quatuor, vt per aliquot dies animum pijs commentationibus applicarent.

COLLEGIVM PETROchorense.

NVmerauit hic annus discipulos plus minus sexcenos, è quibus non pauci sese diuersis Religiosorum familijs, vnus etiam nostræ aggregarunt. Parentibus hæreticis oriundi duo, huc studiorum causa missi, vbi dies aliquot scholis se nostris addidissent, peruersis dogmatis amandatis ad Ecclesiæ partes inclinarunt. Terni alij pijs nostrorum alloquijs hæresim exuerunt. Duo pariter cum sacris ritibus cæremonijsque, dubium quo animo, interfuissent, tam bene de nostra religione, quàm de sua malè sentire cœperunt, quibus initijs suus exitus præclare respondit; nam postmodum ad veram Ecclesiam Orthodoxæ fidei mirè auidus se vterque transtulit: & alter quidem eorum totos iam senos & vicenos annos obfirmato animo, quam nunc sequitur fidem acriter impugnarat: alter sublimius & diuinius aliquid meditatus, Dominicanæ familiæ mox adhæsit.

Vir quidam nobilis nihil antiquius habuit, quàm vt coniugem à prima ætate inter Hæreticos malis ritibus educatam ab errore quanto-

cyus vindicaret : accersitus igitur de nostris vnus ita commodùm ad mentem mariti rem peregit, vt cum hæresi disidij segetem & materiam , quod inter coniuges , socerumque ac socrum ex illa religionis diuersitate quot pene diebus pullulabat , iam tandem radicitus amputarit. Ineunte Quadragesima, iterumque adulto Septembri per promulgatum Iubilæum , plurimæ totius vitæ confessiones exceptæ , & quæ perperam factæ essent , non sine fructu integratæ , multis vndelibet è subvrbanis & agris conscientiæ causa nostrum in templum conuolantibus.

Hoc ipso anno per ineuntem Autumnum dysenterica lues sæuiter adeo grassari cœpit, vt in proximum quemque transfunderetur , & quem semel inuasisset , is durum interitum rarus euaderet , adeo sane, vt & in vrbe, & in pagis qui ægrotantibus adesse vellet, reperires neminem , & ne ipsi quidem familiares & consanguinei , suorum conspectum , nedum contactum sustinerent , vnde etiam fieret, vt non pauci hominum auxilio & solatio penitus destituti, inedia magis, quàm ipsa vi morbi extinguerentur, nec desitum tamen à nobis, quin refocillati animis & corporibus bene multi, aut imminenti periculo erepti sint , aut ab anima probe parati ac muniti , patrium in cœlum certius auolarint :& quæ summa Dei bonitas , è nostris hominibus inuentus est nemo , qui non bellissimè habuerit , si quando aliàs , mirante rem totam & diuinam clementiam prædicante ciuitate.

COL-

COLLEGIVM LEMOVICENSE.

VNVS Caluinum, cuius venenum cum lacte suxerat, palam detestatus, totis decem diebus in pias commentationes apud nos incubuit, quas is demum progressus insequutus est, vt cum in patriam redijsset, quotquot inciderent Hæretici ad Catholicam fidem, Catholicos vero longe plurimos, ad spiritales exercitationes & hortaretur & traheret. Idem ibi dirutum, & vetustate collapsum sacellum in suos & familiæ vsus proprijs expensis iustaurandum curauit: quin etiam vxorem ad horarias Beatæ Virginis preces quotdiebus secum recitandas piè pellexit. Præter hunc sacris ijsdem meditationibus exculti plurimi, in quibus vir nobilis, Religiosi duo, Augustinianæ alter familiæ, dignitate proximus à Priore; Dominicanus alter Philosophiæ Professor: Parochi duo, quorum vnus pro suo munere concionatorem agit; Carthusiam alter meditatus, necdum ex integro defunctus exercitijs, eò se contulerat, qui & pòst paulò ab eiusdem Ordinis Patribus redire iussus, antequam sacræ militiæ adscriberetur, quam inchoauerat, piam operam rite peregit.

Eisdem Religiosis auxilijs præmuniti Theologiæ auditores duo, & Patronus vnus, qui

qui foro & pulpito valere iusso, ad Sacros se ordines breui sistendus studiose parat. Monialis quædam nobili orta genere, permota exemplo aliarum, quæ id genus exercitijs superioribus annis operam dedissent, non iniussu Antistitæ duorum dierum itinere ad nos contendit, vt & à sordibus animum elueret, & ab ea qua premebatur difficultatum mole se tutam & liberam præstare posset, quod ei vtrumque præclarè cecidit è sententia.

Pius quidam & Religiosus concionator, qui spiritualibus exercitijs, prælucentibus nostris, iam ante animum plenè imbuisset, eodem hoc anno sexaginta alijs ex eodem Ordine communicare non ante destitit, quam plerique omnes vltrò agnouerint ac prædicarint, se tum primum sensisse, quid à singulis religiosa professio tandem exigeret. Hæresim abiecere nostrorum ductu duodeni, in quibus Pictones duo, quos, cum pater Caluiniano infectos contagio ad scholas nostras adduceret, præsensit tales futuros, neque id se tamen ægro admodum animo laturum significauit, modo ne coactè fidem Catholicam complexos audiret: & complexi illi quidem libentissime: Parens tamen vbi eos solitò modestiores & studiosiores aduertit, quod res habebat suspicatus, à nostris scholis auocatos Lutetiam Parisiorum amandauit.

Auditores tricenos supra millenos in quinque scholis recensuimus. Trecenis quinquagenis nummis aureis comparata domus ædificando templo. Quæ anno sexcentesimo quarto inchoata fuerat

fuerat missio Tragnacensis, superiore intermissa, hoc denuo renouata est ab vno è Patribus, qui sacro Quadragesimæ tempore conciones habuit, & fratre vno Cathechista. Curatum vt nouem aut decem affabrè factæ cruces diuersis extra vrbem compitis, vnde aliæ quadragesimum ante annum grassante hæresi deiectæ fuerant, nunc demum magno apparatu, concursuque multorum erigerentur; & fuere qui eis per maximam itineris partem gestandis vltro humeros supponerent, magnoque verterent beneficio, illas vel extremis digitis attigisse.

Pij libelli pueris ac puellis, qui Christianæ doctrinæ rudimenta ex memoria recitassent, abunde satis pro suo cuique merito distributi: Alij nec sane pauci, profani & impij flamma vindice conflagrarunt. Templum vnum vrbi vicinum, quod ab Hæreticis solo æquatum fuerat, nostrorum suasu in pristinum statum splendoremque restitutum.

COLLEGIVM CADVRcense.

QVamquam sub finem anni præteriti cũ Reuerendissimo Episcopo primoribusque ciuitatis de fundatione collegij exarata syngrapha conuentum esset, atque Grammaticæ tres scholæ apertæ, quibus & deinceps quartam subiunximus, quia tamen quidquid erat rei Reuerendus admodum Pater noster Generalis statum ratumque nondum fecerat, ideo non Collegij, sed Residen-

Residentiæ tantum hæc sibi domus appellationem retinebat: Proximis ergo Lucalibus nouo Collegio nouus Rector, noua classis accessit, vtq; noua forent omnia, nouo splendore admissi Scholastici. Nostrique omnes, quò felicioribus auspicijs diuina subnixi gratia rem aggrederentur, cœlestium rerum contemplatione, & spiritualibus exercitijs nouum in Deum & homines feruorem animi quæsiere, nec suus defuit præclarus operi fructus; Maximus Iuuenum hinc atque inde ad Scholas nostras, maximus ciuium ad templum nostrum concursus factus, tum verò præsertim cum Reuerendissimus Episcopus ad Indulgentiam Iubilæi statas preces apud nos indixisset.

Concionibus, quas duo de nostris, alter quidem Quadragesima, Aduentu alter in primario templo habuere, cùm alia multa, tùm illud denique extortum est, vt quibus diebus hominum licentia effusius erumpit, Laruarum abusus, & strepitus ille insolens nimium solens prohiberetur: qui tamen nostrorum pius labor nouitate sua multorum animos alte adeo penetrarat, vt etiam è probis & honestis ciuibus rarus esset, cui sub initium satis è sententia probaretur: nihilò secius eò demum res abijt, vt qui vel asperius maledictis & scommatis concionatorem lacessissent, cum inclinante Quadragesima præ pœnitudine lachrymabundi veniam rogarent.

Pomeridianas conciones quot Dominicis & festis diebus in templo nostro continuandas iam tandem

tandem iniens Nouember aperuit. Quanta vis insit confessioni, conclamata à Medicis honesta matrona fidem faciat, ea propemodum agens animam Sacerdotem nostrum acciri iubet, aduolat ille in re tam trepida, mirum dictu, simul à labe expiauit animam, simul à valetudine melior esse cœpit: cumque iterum insequente die quidquid de cœtero meminisset minutius secretam in aurem insinuasset, ac sese ipsa confessionis & Synaxeos in menses singulos voto obstrinxisset, eiusque vir ad Montem Ferratum peregrinationem spopondisset, sanitatem ex integro consequuta est: ac ne cui dubium, gratumne Deo, Virginique votum, supposita affecto capiti sacra Virginis ex cera icuncula, somnus pridem exul quasi postliminiò reuocatus commodum adfuit: & iam voti damnatus vterque ædem nostram piè frequentat.

Primarias matronas confitendi methodum parum edoctas à nostrorum aditu pudor malus diu prohibuerat, sed tandem detectæ & elusæ technæ scelerati artificis, magno vtique illarum gaudio, maiore fructu. Est & Reis iam vltimo mactandis supplicio sua præstita opera, nec sane irrita, tum eorum animis à peccato curandis, tum à iudice supremis iustis procurandis: qua parte alquid pene mirum accidit: Cum enim reo adulteratæ monetæ, priusquam ad suspendium raperetur, ius sepulturæ, quod quacumque prece flagitabat, Sacerdos noster à Iudicibus impetrasset, illique Iudices postmodò quod iam con-

conceſſerant, cum ſua ſententia, qua rogo cremandus addicebatur, pugnare perſpicerent, vellentque interim quicquid edixiſſent ratum fore, caſu, an diuinitus factum eſt, vt eo temporis puncto quo de furca pendulus deijciendus è ſcalis videbatur, crux, ſcalæ, reus, carnifex agminatim ad terram præcipites ierint, neque tamen vllatenus impetrari potuerit, vt dupondius aliquis & diſcinctus nacta de plebecula patibulum inſtauraret, vnde coacti ſint vltra pomæria raptatum hominem infelicem ad arborem ſtrangulare. Interea loci Sacerdos noſter, ne tantulæ lucis vſuram inanem à fructu elabi reo ſineret, monet ſeriò, Beati Patris Franciſci Xauerij, quem haberet cognominem, fidem imploret: quod ipſe pro illo exiguo vitæ reliquo, ſi quiſquam alius, cumulate præſtitit: nec ſuus effectus preces eluſit: cum enim ſub primam noctem cremandum eſſet cadauer, ecce repente de cœlo, quamquam ante ſereno, imber flammas anteuertere tanta vi, vt quod obnixius viuus exorarat, rite humatus tandem obtulerit.

Imo carcere iacebat alius ad triremes damnatus, iamque inedia an dolore, furens in Deum & cœlites ore ſacrilego ringebatur, ac niſi obuiam itum eſſet à cuſtode vigili, ſibi ipſe gladiolo quem habebat, vitam eripuiſſet, cumque nullius, ne iudicis quidem rationibus & alloquio ad ſaniorem mentem traduci poſſet, accitur Societatis Sacerdos, quem vt primum proprio ſe nomine compellantem audit homo Phanaticus, exfe-

ex ferociente leone mitior agno redditus statim aduolat in amplexum Patris, à quo sibi nullo negotio persuaderi patitur, perpetui triennij, quo fine Christianis sacris inter Hæreticos versatus esset, noxias omnes confessione abstergeret, quam verò citò animam eluit, tam citò corporis necessitati per honestas matronas abunde satis prouisum est. Itum sæpiculè per pagos & oppida, conciones habitæ, aliaque id genus pietatis officia proximis impertita, fructu vtique non pœnitendo: Pauca proferam in exemplum, è quibus cætera conijcias. Sacerdos vnus euocatus à nobilissimâ fœminâ olim hæretica, nunc hæreticorum salutem strenuè quaqua viâ promouente, paucis diebus oppidanos magnam partem hæreticos, concionibus suis & colloquijs adeo perstrinxit, vt fluctuare ac circumferri perplexis mentibus plerique omnes cœperint, quinque etiam oborta de cœlo luce ad ecclesiæ portum se receperint. In quibus vnus fluctuatione defunctus, tantam animi pacem ac malaciam, tantumque liquidæ castæq; lætitiæ præ se tulit, vt præ illo gaudio nec sibi à lachrymis tẽperaret, nec suspirijs gratias, quas Domino Deo multas & magnas agebat, permiscendi finem faceret. Fuit & alius alio in oppido, qui abiurato Caluino, Ecclesiæ sanctæ aggregatus est. Hæc ad spiritum, quæ restant paucula respiciunt commoda. Argenteę pyxidi in Eucharistiam liberalitate quorundam suffectum pretium, à codicibus aliquot amici quidam instructiorem fecêre bibliothecam, sacram, profanam supellectilem pari munificentiâ ampliorem hic annus expertus est.

TRes tribus in templis per Aduẽtum & Quadragesimam concionati Sacerdotes, atque vnus quidem, è celeberrimo ferè vrbis auditorio tantam omnium ordinum ad se multitudinem & illexit & traxit, vt, ne abesse cogeretur, cõmuni decreto cõsessus suos frequens senatus in horam distulerit: fructus indidem is emersit, qui sperari potuerat, seu spectes malorum morum coërcitam licentiam, seu vagæ dubiæque fidei Catholicos firmius stabilitos, seu deindè deuios & errones è diuerticulo in semitam reuocatos. Mitto vel á prima ætate nec sine paucorum expiatos animos, taceo sacra mysteria solito castius ac frequentius vsurpata; prætereo alia pietatis munera, quæ quiuis facilè cuncta coniectet. De multis tamen pauca aliqua. Vir nobilis cõpactus in casses carcere tenebatur, blandè tamen aberrans, qua valebat gratia & potentia, in libertatem se postmodum assertum iri certa sibi fiducia persuaserat: Sed cum secius ei quam crediderat cõtigisset, iamque damnatus capitis rapiendus esset ad catastam: destinatur è nostris Sacerdos vnus qui hominem expiet, soletur, erigat: præsto est Pater accinctus operi, se in alloquium statim insinuat, nihil sibi tale timentem pedetentim adoritur: serioque monet suæ saluti consultum velit, instare sibi supremam horam, è qua æternitas tota pendeat, quia breui & semel mori oportet, piè sanctèque moriendũ. Hic homo subitò expergefactus, nouum vultum nouam mentem induit, nec quicquam questus duriusculè ad eleuandam conscientiã & morte illam

qua

quæ ducat ad vitam fortiter obeundam, magno vtique sensu totus incubuit. Excursū in proximas vrbes & oppida, quorum incolæ maximam partem Hæretici. Loduni (ciuitas est Pictonum Caluiniana lue non parum infecta) è nostris vnus tempore Iubilæi conciones habuit, vndè præter cætera Hæretici libri non pauci exusti. Quæ ferrent vterum fœminæ, nec edendo partui faciles essent, admota Cruce Christi Domini, mox feliciter peperere: & verò ad vnam aduocatus chirurgus lanienam miseræ applicito ferro intentabat, sed cruci illi meliori Cruce itum obuiam. Altera, quæ maxima semper difficultate enixa fuerat, ad hanc sacram anchoram cum confugisset, nullo statim dolore fœtum effudit. Rex Christianissimus, vt sæpè aliàs, ita etiamnum in hac noui Collegij instauratione, qua sit in nostrum Ordinem beneuolentia, egregiè sanè patefecit: cum enim quidam ex ijs hominibus qui nos pessimè oderint, de dimittendis & exturbandis ex vrbe nostris mala consilia Regi suggererent, neque parcerent per summam calumniam, quamcumque possent ignominiæ notam nomini Societatis inurere, Rex prudens ac pius impudenti mendacio os occlusit, nostræ se causæ vtpotè piæ sanctæque Patronum perpetuum haberi voluit, gratissimum sibi fore dixit, si hæc ciuitas Collegium sibi habeat de nostris hominibus: vtque alios exēplo suo ad præclarum facinus incitaret, quingentos aureos quasi arrham comparandæ supellectili protinus erogauit. Quingētos alteros eleemosynæ nomine ciues aliqui suffecêre. Argētea pyxis Eucharistico ferculo

asseruando, sacra alia supellex ex eadem vena, in vsum altaris pretiosa vestis abundè concessa. Denique, vt in pauca contraham, benignam admodum ciuitatem experti sumus.

DOMVS PROBATIONIS TOLOsana.

HIc rectè omnia, quà mente, quà corpore: nihil tamen aut singulare, aut nouum quod iure suo veniat in Annales, annus peperit.

ANNVÆ PROVINCIÆ GERMANIÆ SVPERIORIS Anni 1606.

HAc in Prouincia Domicilijs quatuordecim censi sunt quindecim supra quadringentos. Decesserũt quinque; septẽdecim accesserũt. Ingolstadium cum R. P. Prouinciali & Socio eiusdem, accensisque ijs, quos Biburgi & in Collegio Conuictorum habet, numerat nonaginta quatuor. Ex triginta Sacerdotibus, vndecim cum tribus Magistris, in Scholis occupantur, quadraginta sex Philosophiam audiunt, & Theologiam, quindecim domi curant. Dilinga censet cum suis, & quos in Collegio Conuictorum habet, triginta. Patres vndeviginti; octo ex his docendi vacant muneri, à quatuor politioris litteraturæ Magistris adiuti, rei domesticæ ministros habent quinque. Monachij degunt quinquaginta, quos distribuit in Sacerdotes viginti nouem, illorũ octoni, cum quatuor non Sacerdotibus Præceptores agũt, Studiosi Theologiæ ibidem numerantur terni, adiuuant familiam quaterdeni. In corpore Monachij Eperſperga quoque est, vbi de nostris agunt Sacerdotes duodecim in tertio Probationis anno, cum tribus alijs; & Fratres 5. Oetingæ, quæ itidem Monachio subest, Patres habitant quinque, cum quatuor domus administris. Augustæ versantur viginti nouem, ex tredecim Sacerdotibus quatuor, cum totidem Magistris in Scholis, artem dicendi discunt quinque, septem domestica procu-

rant. Oeniponti viginti duo, Patres tredecim, quorum quatuor cum alijs tribus Scholis præsunt, seni domui curandæ. Halæ quindecim sunt, Patres octo, duo cum duobus Magistris iuuentuti litteras tradunt, quinque rei familiari succurrunt. Lucernæ viceni bini degunt, Sacerdotes quindeni, eorũ quini & duo Magistri in classibus litteras tractant, operas domesticas quini. Friburgi septendecim, & ex denis Sacerdotes tres cum duobus Magistris iuuentutem docent: quinque sunt domesticæ rei administri. Ratisponæ octodecim, vbi Patres duodeni Scholis quaternos adhibent, cum vno Socio, domui curandæ quinq;. Bruntrutum alit viginti, Patres duodecim, cum tribus Scholarum Collegis, Sacerdotes laborant quinque, quinque item domus curatores. Constantiæ viginti habitant, decem Patres, è quibus terni Magistros quaternos adiuuant in docendo, sex sunt familiæ Socij. Landspergæ degunt quadraginta nouem, illic cum triginta septem tironibus, Patres agunt septem veterani, & quini domus curatores.

COLLEGIVM INGOLSTADIANUM.

DVos abstulit hic annus Ingolstadij, Patrem alterum, alterum Adiutorem. Pater fuit Theodorus Canisius, Petri Canisij B. M. ex altero parente frater. Nouiomagi apud Belgas anno Christi tricesimo secundo supra sesquimillesimum natus, Societatem M.D.LIV. Romę ingressus, Philosophiã & Theologiam docuit, votorum quatuor Professus, vixit annos quatuor & septuaginta; in Societate duos &

os & quinquaginta. Sub B. P. N. Ignatij Magisterio duos. Rector postea trium in Germania Collegiorum, Monachij, Dilingæ, Ingolstadij annis amplius triginta, religiosæ disciplinæ acerrimus & cultor & vindex, vt facilè intelligeres, illum è B. P. Ignatij officina prodijsse. Ingentibus in Societatis stadio laboribus perfunctus, operæ pretium immortale tandē hoc anno reportauit; exitus tanti viri notabilis fuit, annis abhinc octo, cum mors Petri Canisij actaq; vitæ illustriora ad mensam referrentur, inopinata vi morbi (apoplexiam existimabant) oppressus memoria simul excidit, & linguæ vsum amisit, vt carere vtroque; & neutro tamen carere videretur. Verba formabat, sed non ea, quæ maximè vellet, alijs pro alijs vocibus subeuntibus, præsertim cum sua certis locis ac personis nomina eloqui desiderabat, cum neque legere ipse posset, nec pronunciare, lecta tamen intelligeret, & ab alio pronunciata, vel affirmaret, vel, vt res erat, negaret. Hoc inusitatū morbi genus illi Petrus Canisius, cum ad eum reuisendum veniisset, per ambages quasdam insinuarat, Theodorice, inquit, mortis meæ nuncius vide quid tibi allaturus sit. Exposuit hoc postea Theodoricus familiari, antequam vlla invaletudine tentaretur. Amplius indè septennio malo hoc immedicabili laborauit, & nonnunquam invltima iam vitæ linea, stare videbatur, præsertim cum ex Heluetia Augustam deportatus esset, inunctus tamen oleo sacro & sensum & vocem quoquo modo recuperauit, circumstantique Patrum coronæ, vt abirent imperauit, abeundi tempus nondum esse, simulque petita Virginis Dei Genitricis imagine lecticæ obuerten-

da dulce cum Deiparente colloqium instituit. Saluti tunc creditur fuisse B.P.N. Ignatii pileus ægrotanti impositus. Hoc molestissimum patientissimo videri poterat, quod intra tot annos velut in solitudine positus, cum nullo communicare animi sensa posset, (quod maximum solet ægris adferre solatiũ, cum per sermonis communicationem dolorum suoum quasi partem aliquam in aliorum humeros exonerant, quos sua causa dolere animaduertunt) conscientiam tamen ita aperiebat semper, vt nihil desiderare posset, qui illum audiebat, ipseque si quid à se offensum putaret, vel Patrem quæreret, vel si æger non posset, accersiri iuberet. Pari modo cum superioribus seriò acturus verbis, vtcunque dixit instructus. Cum verò etiam ab exteris, ijsque subindè Principibus virisconueniretur, suam infantiam causatus ipso deinceps silẽtio & religiosa corporis compositione satis abundè locutus censebatur. Verum quantacunque in eo fuerit ad loquendum confusa verborum dictio, tamen illa nomina Iesus, Maria, ceu sacræ militiæ tesseram tam pertinaciter retinuit, ediditque quoties voluit, vt reliquorum verborum iacturam facilius ferre posse videretur. Cordi procul dubio ista insculpta hærebant, valenti namque & ægrotanti, sedenti & stanti in ore sine errore versabantur. Maximè verò ægrè illi fecit à Missarum celebratione & horarum Canonicarum recitatione cessatio, qua de re seriò cum socio egit; cogitaret si qua ratio esset, velle se de integro litteras & earum elementa discere; cum frustra se velle animaduertit, grandiusculo charactere inscribi voluit libello suo precatorio gemina atque maximè sa-

xime salutaria nomina, Iesus, Maria, quę vti sola effari sine discrimine, ita legere sine errore potuit. Quãuis autem alia legere ipse nesciret, libentissimè tamen legentes alios audiuit, & facilè assecutus, seque interdum, lectoremque salubriter adhortando, vsque dum biennio proximè mortẽ antecedenti, nec prælegentem amplius caperet. Circa res diuinas, quas nunquam non reuerenter etiam æger habuit, tãtum quidem fuit illius studium, vt sacram Eucharistiam susceptur us noctem, maiori solicitudine, quam fractæ ferrent vires, non sine periculo grauioris mali traduceret. Frequentes eius erant querelæ, nulla quod in re vsui esse posset, & tamen nihilominus benignè haberetur, nec suus gestui omni ereptus ad pietatem est vsus: nam ea manus, quæ in alijs officijs & corporis ministerio ferè deerrauit, in Cruce formanda admodum erat docta, & verò etiã salutaris: fuit siqidem, qui tum alias sæpè & amanter Patrem viseret, tum etiam cum se aduersioris valetudinis tentari sensit initijs, certus de valetudine, si P. Canisij se dexteræ subiecisset, qua ille à se abeũtes pia quadam consuetudine in Crucem formandam exercita prosequebatur. Hæc illi per septennium & amplius vita fuit, quam optimus quisque velut duram sortem miseratus, ille patientia superauit. Iudicij bonam partem retinuit, cætera infanti similior, maxime sub finem. Hunc cum præsentiorem ipse iuxta alios aduerteret, sacro oleo inunctus, ad cœlum, ad cœlum quanta potuit voce clamauit, dehinc ad sua salutis symbola (Iesus, inquam, Maria) reuersus, nunquam illa non reuoluit, & cum iam ad vtrumque amplius non sufficeret, alterutrum

effatus est, linguaque magis hebetata, cum integrè Mariam non posset, inchoato nomine verbum tertiabat, dum elinguis deficeret: Dextera interim cruces effingebat, huic itidem obrigescenti sinistra subijt, sed illa officij huius insolens in ipso conatu elanguit. Tandem vt decenter occumberet, composito gestu & admodum religioso, præmortuo penè reliquo corpore, sine voce & motu dormienti similis horis amplius viginti ægrum & in solo pectore subsilientem spiritum leni tractu ductis sub crepusculum cum sole è nostro orbe digrediente, ad lucem perpetuam V. Cal. Octob. emisit, omine scilicet non inani, cum à plerisque ob vitæ innocentiam Angelus appellitaretur, Angelorum festo imminente die, solennia eius apud superos acturus. Ea facies porro extincti, vt ignorares an viuus mortuo, an mortuus viuo fuerit similior. Vultus religiosam spirabat maturitatem, & in fronte Crucis in modum ante id non visa figura, vt in numero signatorum amictus stola alba & palma in manu deinceps clamet, non tantum Iesus, Maria, sed salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno. Funeratus est in eo templo, quod ipse olim communi cura ædificarat cum Berchtoldo Leone, qui Patrem Canisium sextiduo anteuertit, postridiè D. Matthæi ad cœlum profectus. Rebus is domesticis annos plus quadraginta in Societate magna fide & labore seruierat, inter Lutheranos in VVirtenbergica ditione Catholicis tamen parentibus veluti flos è spinis natus, primus huius Collegij incola, quod vsibus etiam nostris ipse architectus accommodauit. Hoc

primum

primũ anno, noua D. Virginis prima Cathedra, à qua antea omni ope arcebamur, nunc rogatu ipsius Parochi, cum gratia etiam populi fructuque, toto semestri procurata, sacris meditationibus exculti quindeni. P. Gretserus multa in populum volumina dedit; Anastasium Sinaitam, Libros quatuor de peregrinationibus religiosis. Duos de supplicationibus. Tres de vsu disciplinarum. Sex præterea opuscula contra Hæreticos. Guilelmus Boiorum Dux, cum quatuor è nostris salutarem Deo hostiam litaturos intelligeret, correcto itinere, quod iam aliò intenderat, Ingolstadium venit reique simul diuinæ, & triclinari epulo interfuit, in prandio & cœna oratores è suggestu fausta Neomystis gratulantes audiit. Habuimus & Pontificem Ratisponensem iteratò hospitem. Templo nobilis matrona calicem sexaginta aureorum consecrauit. Biburgi colonia Ingolstadiana messis indies crescit, tres Lutherum execrati.

COLLEGIVM DILINGANVM.

MAgno operæ fructu asceticis exercitati domi septem, nouem in geminis D. Benedicti cœnobijs. Expiati per confessionem octies milleni, ab hæresi amplius sexaginta, ternæ familiæ ad Catholicos á frementibus hæreticis consilio nostro perfugerunt. Viro nobili persuasum, ne pagum à Præfectis Principum Lutheranorum vexatum, ijsdem venderet, qua ratione seruati quadraginta. Negotiatores deni simul ex hæretica Vrbe ad pedes sacerdotis nostri acciderunt funere Sodalis, quem præco Lutheranus infecerat, ipsique reduxerant, perculsi

perculsi. Parturienti & diu periclitanti lipsana B. P. N. Ignatij, salutem attulêre, altera enim hora, quâ appensa fuerant, fœtum saluum incolumis effudit. Concordia iacturæ tricenorum aureorum prælatæ. Ad ægros, præsertim tenuiores aditum, qui sine criminum expiatione, ni vltro nostri sæpius accurrissent, è vita excessissent. Academia censet tricéos supra septingentos, inter hos Principem Illustriss. Albertum Radziuilum singulari pietate Iuuenẽ, qui quarto decimo quoque die sacramenta obit, quem æmulantur tres Dynastarum filij, aliaque magna nobilitas. Domus Conuictorum florem continet Academiæ, tricenos supra ducentos, religiosos ex variis cœnobijs centum, conclamato ex his vni sacrificium salutaris hostiæ, & Benno, hodie Monachij miraculis clarus, in opem vocatus, mirante medico hæretico, & medicinam humana potentiorem agnoscente, sanitatem ac prope vitam restituêre. Alius aqua lustrali pedis vitium emendauit, qui sostrum alioqui vulnerario dandum, in egentes se distributurum vouerat, si voti compos fieret. Odõtalgia alius S. Apolloniæ, quam eo mense sortitus erat, deprecatu leuatus. D. Virginis velut Prætoriana cohors ad solennia sua hoc adiecit, vt cum alij per Liberalia sibi liberè licere omnia arbitrantur, cœlestibus illa studijs vacaret, fuit enim qui per eos dies Nosodochium obiret, singulorum vestigia lamberet, singlos argẽteo nummo donaret, peregrè alius frigido cœlo ad centem millia passuum profectus, totam noctem ad fores templi excubauit, simulque corpus inedia cruciauit. Sensit & Collegium & templum non paucorum benignitatem. Vini quidam

tantum

tantum numerum misit, vt quadringentis aureis æstimaretur. Voto templa soluta, chlamydula magni pretij Christo in Eucharistia ornando, aliaque haud pauca. Societatis tirocinio geminos Dilinga submisit.

MONACENSE COLLEGIVM & Domus Ebersbergensis.

INdictus huc Prouincialis Patrum Conuentus numerat duo de quadraginta venerandos æuo virtuteque viros, omnes liberalitatem Principum expertos, qui ferinam, bubulam, piscem, melioriſque notæ vinum ad Collegium misêre, singulosque ferè seorsim Guilelmus in sua prætoria suburbana inuitatos, humanissimis & religiosissimis epulis excepit, vicissimque ipse vltro ad nostram frugalitatem in triclinio sæpius accessit. Eucharistiam extra Gymnasium obiêre in æde nostra supra quinquaginta mllia, nouem millia tempore Iubilæi. Caluinum & Lutherum exuerunt quadrageni octoni; ex quibus alij paternis bonis ob spem summi boni non ægrè caruêre. Vidua, magico carmine fascinata, & frustra medicam manum iam quartum annum experta, quæ deposita à iuratis medicis & humana arte potentiorem medicinam iussa quærere in funus suum intenta Patrem euocat, qui aures supremum confitenti præbeat, quas ei sæpe aliàs & ante illud biduum dederat. Rogat vti per eum sibi liceat altero die ante D. Michaelis aras procumbere, indeque viaticum difficillimæ expeditioni petere; non posse quidem se pedem extra lectulum efferre,

sed

sed neque sub alari scipione niti, curaturam tamen, vt rhedę imposita ad templi valuas exponatur, non negat postulata Pater, id tantum monet, eo se die ad D. Bennonem cõdixisse; proinde in nostro templo se quidem id temporis facere non posse. Illa vbi eiusce Diui mentionem fieri, & iam pridem à Patre admoneri se, intellexit, vt votum ad illas aras nuncuparet, diuinitus factum arbitrata, per quidquid Pater amaret, rogat, vti id saltem loci Patris sacro communicaret, etiam hoc permissum. Quod noctis interfuit, vigiliis illa, precibusque læta, & futuri præsaga traduxit. Sub diei crepusculum sella gestatoria ad D. Bennonis defertur. Inibi cum sistere, aut genibus niti frustra cuperet, resedit; quoad operatur⁹ Pater progrediebatur. Tũ enimuerò ceu nerui omnes subito casu obstupuissent, visa templi moles, ipsiusvè terræ globus ipsi in ceruices incumbere, & quasi mente à sensibus vocata hærere, donec hostiam contingeret, quam quidem nondum integre demiserat, cum oculis reclusis in pedes vltrò se erigit; sellam trusatilem retro agit, sacrisque reliquum assistit. Hic lecticariæ accurrunt, & sellam itetatò supponunt, quibus illa obiurgatis, an ergo, inquit, palam subsistere non me videtis? posteà in genua descendit, ac rursus aliquantò post ab humo se tollit, sed nutanti ac mirè vacillanti passu, ecquando inquit, sacra mihi hostia porrigetur? illis, datã verò acceptamque pridem dictitantibus, tum demum prorsus ad se rediit, actisque Deo & Diuo gratijs, Patrem adhuc euentus insciũm, ad sacrarium læta sanaque insequitur, porrectaque manu elinguis & flens ad aram reuertit; moram ibidem inter precationes

tiones facit, & remissis lecticarijs, domum sola, omnibus æque mirantibus atque gratulantibus salua repetit.

In excursionibus paganis magna messis fuit. Noster pro concione ijs, qui confessi ad Christi Natalem fuerant, collaudatis, vt alij facerent hortabatur, se illorum studijs non defuturum. De prandio cum ad pueros instituendos templum peteret, superueniunt de adultis Pagani sexaginta, omnes cõfessuri, quos posthabita informatione cum in primam noctem audisset, & verò se satisfacturum omnibus desperaret, ideoque abitum meditaretur, rusticana plebs vim attulit; obstructis tẽpli valuis, negat Patrem prius inde egressurũ, quam adamussim omnes audisset; id nimirum pollicitũ esse; nunc fidem suam liberaret. Placuit Patri plebeculæ studiũ, & vniuersis exolutis ad subluströ lunam Delzium, quod castellum Monachio abest iter vnius diei, vnde exierat reuertit.

DOMVS EBERSPERGENSIS.

QVi tertio Probationis anno sunt in hac Domo exculti, per cineralia vicissim alios excoluêre, auditi vniuersè octies mille octingenti. Cænobiorũ disciplina rogatu Antistitum per confessiones, adhortationesq; & ascetica instaurata. Votis solutis sanitatem nonnulli corporis recuperarunt. Pagi vicini, remoti complures vsitatis Societati auxilijs emendati.

COLLEGIVM AVGVSTANVM.

NAtalis B. P. Ignatij singulari cultu in triclinio hoc anno primum celebratus. Imago publice proposita.

posita, flore coronata. Rhetor tres Panegyricos in laudem Parentis nostri pronunciauit: Parietes eiusdem virtutes versu cecinêre. A factione Lutherana vnus supra sexaginta ad nostras partes transiêre. Adolescens quamuis Patre Lutherano oriundus, ab eodem tamen sæpius est admonitus, vti se nobis adiũgeret, quod ipse varias Germaniæ partes peragratus, obseruasset alicubi ab hæreticis duo, alibi tria, in sua autem patria quinque sacramenta coli. Alius ex opificũ sorte, dum supplicationem nocturnam Parasceues attonitus spectat, & terga fluere sanguine stupet, exanimatus concidit, reuocatâ fomenti anima ad nostrum sacerdotem accedit, animum aperit, hæresin eierat, & fatetur se non horrore sanguinis perculsum defecisse, sed animi dolore, quod cogitarem, inquit, hi pro leuioribus noxis tam graues à se pœnas exigunt, ego perditissimus quid ago? Putabant passim homines me aspectu insoliti spectaculi concidisse, non hoc fuit, Pater, sed conscientia me abiecit mea, & conceptus de peccatis dolor. Vidua cum quatuor liberis concionibus permota, Catholicos secuta est: cui propinqui etiam mortuum (tanta facti fuit inuidia) dicam impegêre: absoluta illa, & liberi, quorum causa maximè agebatur, tutoribus Catholicis iussu Magistratus relicti. Alia contra impia in Dei matrem, ipso die Virgini assumptæ sacro, horrifico mortis genere, contortis oculis, deprauato vultu, exerta lingua, infelicem animam euomuit.

Maximè verò mira mors fuit præconis Lutherani. Dum Catholici magno numero & fructu delictorum veniam à Pontificis maximi indulgentia

oblatam

oblatam impetraturi, ipso die D. Laurẽtij in supplicationem prodeunt; properabat ille ad suam cathedram pestilentiæ contra ipsas Indulgentias iam secundo declamaturus: cum ecce tibi ad eam portam vrbis, quæ S. Crucis appellatur, exanimatus concidit, delatusque ad proximas ædes illic expirauit, cuius vxor sæpius furore correpta iam pridem illum Orco deuouerat. Percrebuit infelix hominis factũ subitò per totam vrbem, & omnes Catholicos, qui sub ipsam supplicationem factum hoc intellexerãt, ad Deum celebrandum inuitauit. Impensa ciuibus opera assiduè, ægris potissimum, quorum aliquot elingues voto confessionis concepto, & vocem & valetudinem recuperarunt. Elementa doctrinæ Christianæ vicatim tradita. Repertus est ex cætu tironum duodennis, qui mira innocentia iuxta ac prudentia puer æger affirmabat sibi Dei Matrem cum Diuis Petro, Ioanne & Andrea, cuius nomen ferebat, magnoque cætu Angelorum adstitisse, credibilem faciebat rem fulgor è pueri velut radiati fronte emicans, & mors paulò pòst insecuta. Gymnasium hoc anno ad quadringentos excreuit: quaternos numerauit Principes Io. Georgium, Adalbertum Vuladislaum, & Nicolaum Christophorũ Radziuilos trigeminos è Lithuania Duces. Quartus fuit Ioannes Miscovvuizius Gonzaga, Aulæ Regis Poloniæ Magistri F. ab Illustrissimis Gonzagis Mãtuanis adoptatus, illis in Italiam profecturis Collegij nomine votum tutelare editum. Iacobus Pontan⁹ Theomitrica vulgauit, & Sodalitati Marianę inscripsit, Matthæus Raderus Climaci Pastorem Præsuli S. Crucis dedicauit. Partheniæ Sodalitatis (quã

tres Radziuili donis ampliſsimis, & ſingularibus pietatis exemplis; præſertim in Paraſceues ſupplicatione, & triumpho Corporis Chriſti exornarũt) ſancta ſtudia, quamuis & multa & illuſtria, breuitatis ſtudio, prætereo.

MISSIONES EX HOC COLLEGIO.

IN vicos oppidaque nõ ſubvrbana tantum, ſed ad centum ferè millia paſſuum remota, in Algoiaſta, miſſu Antiſtitis Auguſtani, itum. Et quamuis exiguus ſperaretur fructus, quod ſubiecti tum defectionem à ſuo Magiſtratu molirentur, nihilominus exceptæ confeſsiones mille, Patribuſque à Præfectis Prouinciæ omnia humanitatis officia, hoſpitiaque liberaliter oblata. Quòd niſi temporis angustijs fuiſſent excluſi, multo maiorem numerum relaturi videbantur.

COLLEGIVM OENIPONTANVM.

MIſſus hinc vti ſperamus, ad cœlum Chriſtophorus Oefner Tyroli oriundus, rei familiaris curator fidus & ſolicitus, omnium horum talium, quæ apud nos exercentur miniſteriorum, is longo moleſtoque afflictus morbo oſtendit, quantopere per omnem vitam patientiam adamaſſet. Vixit annos quinquagenos quinos, in Societate quaternos ſupra tricenos. Cõcionibus profectum plurimum. Exomologeſin obierunt decies ſexies mille. Seni ex alienis ſectis ad Eccleſiæ concordiam traducti. E dæmonis nexu vindicati duo, quorum alteri ſemi tantum hora ad pactum perſoluendum, hoc eſt, ad

ad Orcum petendũ, reſtabat. Hoc dignum relatu. Matrona mercedis parte ancillam apud noſtros frequentare Sacramentorum myſteria ſolitam, defraudârat, hæc prius extincta quàm ſatisfaceret, paucis à morte diebus ſecundum nocturnam quietem famulis ſe oſtendit, pacem & veniam delicti rogat, luctificaque voce teſtatur, ſe non antè de piacularibus flammis emerſuram, quam illa debitum ſibi condonaſſet, liberaliter ancilla pretium operæ remittit, vmbra euaneſcit. Immigratum hoc anno III. Nonas Nouembris (ad quem diem ſtudia reuocauimus) in auguſtum planè recenſque conditum Gymnaſium, inchoatum ante triennium, menſe Iulio, ab omni opificum ſtrepitu ſecretum, patet in longitudinem pedes centum, in latitudinem ſeptuaginta, trigeminis aditur portis, media præcelſa & magnifica, quæ epigraphen in medio fert, anni & conditoris indicem, quam hinc magni Ducis Auſtrij, inde Prouinciæ Tiroleos inſignia cingunt. Diſtinguitur quatuor veſtibulis, claſsibus octo, quib⁹ imminet aula longa pedũ nonagenûm octonûm, lata ſexagenûm ſenûm, egregiè ornata. Hortus ad Gymnaſium ex Collegio præbet viam. Fama noui & ſanè viſendi Muſarum palatij exciuit magnam nobilitatem noſtra cura erudiendam, in qua ſenos Comitum liberos numeramus, ex Religioſorũ familijs octonos. Iuris ergo Canonici pars, quæ ſacerdotum officia tractat, noua claſsis cum Dialectica acceſsit. Dynaſta aureo ſyrmate trecenis aureis comparato primitias agentem ornabat; veſtem ſecundum actionem reſtitutam Diuæ Catharinæ ſtudiorum Magiſtræ ſingulari munificen-

tia consecrauit, indignum ratus, illam in profanum vsum verti, quæ sanctioribus rebus esset inaugurata. Clientes D. Virginis nouas instituêre ad Christi cenotaphium pompas, quæ tanto studio spectata sunt, vt tantum non aræ conscenderentur, repagula effringerentur. E Sodalium numero liberalior, suo ære curauit legum immunitatumque Sodalitatis edi exemplaria mille ducenta. Organũ musicum ab alijs eidem oblatũ. Discipulis aliena hîc misericordia sub vno tecto viuentibus donati aurei ducẽti. A Serenissimo Maximiliano Archiduce vestes auro argentoq; radiantes ad sacrũ templi ornatũ dedicatæ. In eiusdem vsum Virgo nobilis aureos octoginta contulit. Æterna quoque memoria custodiendum beneficium hoc anno in Collegium Oenipontanum à Serenissimo Ferdinando Austrio Caroli F. Imperatoris, Collegij conditoris Nepote, Principe Stiriæ & Carinthiæ, &c. aureorum decies octies mille collatum, quibus annuº victus augeatur, subsidium in magna rerum & annonæ difficultate opportunum ac necessarium. Ad Domum Oenipontanam peregrini Principes reuisêre bini; Illustrissimus Franciscus Gongaza. B. Aloysij nostri germanus frater, & Serenissimus Guilielmus Boiorum Dux, qui non erubuêre quamuis ad tenue & religiosum prandium accumbere, à quo cum Patribus in colloquium humanissimè & familiarissimè nostro more descendêre. Guilielmus Lauretum, quod inter Halam & Oenipontum est, duobus è Societate comitibus, pedes religiosissimè obijt.

COLLE-

COLLEGIVM HALENSE.

HVius Collegij ſtatus ferè nihil mutauit, tamen oratoris Eccleſiaſtici vox diem ſacrum Innocentibus hactenus ita neglectum, vt perinde paſsim in oppido opus fieret, ac ſi dies negotioſus eſſet, inſtaurauit. Olei ſacri vſus cum multorum recepta valetudine reuocatus. Societas Mariana bifariam diuiſa hoc primum anno, ſecreti ab adoleſcentibus viri, alteri alteros ad virtutis laudem inflammarunt. Erat inter ſuos vir honeſtiſsimo loco natus, qui diu D. Virginem, ad ſuorum contubernium occultis monitis vocantem, audire diſsimulauit, demum tantum non aperta voce hac via tractus eſt; parârat profectionem; iumento notiſsimo manſuetiſsimoque vſus, viæque certus, iter nullis antea vel latrocinijs, vel prædationibus infame, placidè ingreſſus progreſſuſque, altero die ad ſaltum accedit; ibi equum repente ſubſiſtentem, omni ope redire, quà venerat nitentem, magnopere miratur, fruſtraque in viam reuocare conatus, admouet calcaria; cædit, nec gradum tamen vllum promouet: vocantur accolæ; concurritur, ducitur, trahitur, vbique refractarius eſt: oculi velantur; cæcus etiam regredi paratus, progredi recuſat: aduertit tandem eques, an Balaamis memor? iumentum alioquin agno mitius promptiuſque cœleſti nutu retardari. Domum repetit, volat equus, redit eò, vnde paulo ante exierat: ibi diſcit eo ipſo die & hora in ſilua, quam equus ingredi recuſabat, cædem factam: agnoſcit clementiam Numinis, Virginis pietas venit in mentem, cuius nutus to-

ties reiecisset: Præsidem, vbi domum reuenit, adit, prouidentiam Numinis exponit, Sodalem se Virginis futurum profitetur, itaque se nunc habet, vt omnibus sit incitamento. Horam alius, quâ migraturus erat, prædixit, cui magno ciuitatis sensu parentatum. Ancilla pietate Sodalium commota, manus precium viginti quinque aureos Diuæ Virginis clientibus soluit.

Prædium suburbanum liberalitate multorum ciuium á fundamentis exædificatum. Guilelmus Boiorum Princeps, & maximus iam diu Societatis Patronus, biduo apud nos moratus, vbique virtutis & pietatis vestigia reliquit. Collegij causam multis iam annis agitatam, tanquam suam egit, tam coram Archiduce, quam pòst, nuncijs ad plures quorum intererat, vltro citroque missis.

COLLEGIVM LVCERnense.

ODia nobilium familiarum composita non pauca. Adolescens parentibus cædem, ædibus incendium meditabatur, nostra auctoritate abiectus in pedes, petitaque à parentibus delicti gratia, impium conatum correxit. Sacram synaxin apud nos celebrarunt decies octies mille, nonaginta tres. Peruersam opinionem fidei emendarunt quadrageni.

Episcopo Constantiensi Senatus in Collegio nostro cum legatis apparatissimum epulum dedit, secundum quod tragædia in noctem vsque producta est. Antistes antequam ex Vrbe Constantiam rediret, Patres salutauit, & ex Rectore percontatus,

tus, an Collegio prodesse posset; Petiuit Rector, vt immunitates à superioribus Pontificibus Constantiensibus nobis impertitas, sua quoque sententia & auctoritate ratas vellet; Annuit illicò, & mox vbi redierat, diploma misit. Eãdem paulò pòst beneuolentiam Proepiscopus illius nobis ostendit.

COLLEGIVM FRIBVRGENSE Noithonum.

SEctam mutarunt in veram religionem deni octoni. Vnius ratio, qua permotus est, aperienda: Innocens de falso crimine postulatus apud hæreticos in vincula datus erat, diriſque cruciatibus sæpè excarnificatus. Vxor huius olim apud nos Catholicam edocta fidem hæreseos perfidiam posuerat, hæc vicem morituri commiserata, viro in carcere auctrix est, voti pro libertate recuperanda suscipiendi, vti, si sibi restitueretur, ad nostros Patres Friburgum proficisceretur, hæresimque cum recta religione permutaret, paret monenti, simulque vbi diluxit, & patuêre carceres, & ruptas compedes attonitus miratur, spectantibusque multis, prohibente nemine, & custodia & vrbe egreditur, rectaque se ad nostros Friburgum confert, vbi aliquot mensibus fidei mysterijs eruditus Catholicum se professus, bona fortunasque omnes hastæ subiecit, & inde ad nos migrauit, vbi vitam ex præcepto sacrarum legum honestè degit. P. Canisius. B. M. paulatim quid apud Deum possit, ostendit honestę matronę, cui altero iam die partus difficultate laboranti, ac iam de prolis incolumitate desperanti, Rosario eius subuentum est, simul illud

osculata fuit, & ex collo suspendit, multis præsentibus in hæc verba prorupit: Deo sit laus; quam extinctam verebar prolem, viuere sentio; & pòst paulò filium feliciter enixa est. Maiores B. Virginis Sodales, hoc anno peramodum R.P. Generalem decreto, Romanæ Sodalitati adiuncti, & Virginis assumptæ titulo insigniti, magnum ceperunt incrementum. In vsum templi aurei donati sexcenti; cuius structura hoc anno vsque ad fenestrarum arcus exsurrexit, liberaliter nõ paucis in subsidium equis certè, si non velis, euntibus, sed eius rei narratio plenior sequentem spectat annum.

RATISPONENSE COLLEGIVM.

SEdecennis Parthenius nõ tam prauo quã solutus, dum classem petit, sentit sibi quempiam, sed inuisum adesse comitem. Vbi loco suo in Gymnasio assedit, Magister ex Sodalitatis Enchiridio pro consueta sextæ feriæ adhortatione monet quædam iuuentuti opportuna. Hic illa puerum comitata larua, clam nunc à sinistra, nunc à dextra vellicare, identidemque in aures ingerere, nè crederet quæ à præceptore dicerentur. Puer sibi proximè assidentes molestos ratus impatientissimus compellat, cessarent facessere negotium, vtroque mirante & per nutus negante, à se tactum: monetur ab alio nusquam tamen comparente, præside cœlesti, opinor, Magistri opem flagitet. Conatur bis, ter nequicquam surgere, vrgente verò & quasi propellente occulto monitore, accurrit ad sedem Magistri, pauiduque & propè exanimatus adstat, præceptor, quid adsit, blandè rogat, puer verbis ex trepidatio-

ne & fletu dimidiatis causam aperit: hic dubius Magister mentisnè compos esset, forti animo, inquit, esto, mi adolescens, & in aduersarij caput tela, quæ in te iacit reijce: quæque perfidus ille negat, tu contraria voce audacter affirma. Retinetur interea in gradibus cathedræ, & iubetur (timoris eripiendi gratia) conferre Magistro opellam suam in audiendis corrigendisque aliorum scriptionibus. Breui etiam ad sedem propriam remittitur, hic ille vix pedem loco mouere, & gradus descendere, cum occulta vis abeuntem tenere, & maneret cum Magistro, hortari, nihilo secius perrecturus, ecce vagina, vt ipse referebat, velut adusta sude, fulmineque repulsus in vicinæ fenestræ proiecturam interiorem relabitur, totoque corpore contremiscit, & eiulatu sublato ab aliquo se peti clamat. Horror subitus pallorque cunctos occupat tirones. At Magister intrepidus puero dextram auxiliatricem protendere, apprehensumque ad se in cathedram pertrahere, sacro rore conspergere, Agni Dei Icuncula, qua tum puer suo malo fortè carebat, communire, rosarium è cingulo offerre, adhæret in latere Magistri toto ad eum conuersus corpore, ceu columba minas accipitris eminus prospiciens ac declinans. Vbi se puer per preces collegit, à Præceptore ad thema excipiendum dimitti postulauit. Abijt securus periculi. Noster vsus occasione, multa tum discipulis salutaria tradidit vitæ melioris præcepta, & ne tot Magistrorum, aliorumve, quorum curæ essent mandati, monita, heu irrita sæpenumero, temnerent deinceps, cauit. Mitto hic plerisque Collegijs vulgaria, singularia expono. Malo dæmone textor

obsessus credebatur, funestisque spectrorum vmbris terrebatur, redditus est sibi vsu Sacramenti, Agni cœlestis, ac B. P. N. panniculi tunicæ admotione. In hospitali domo, vbi oues cum lupis pascũt, Catholicorum confessiones, quod vsit hæreticos, auditæ, quos Pastor ipse, Pontifex inquam Ratisponensis, pabulo cœlesti refecit. Aram D. Catharinæ, matrona nobilis (soror illius clarissimi viri, qui altare D. VVolfgãgo curarat) nobili pictam manu posuit. Magna edidit eadem pietatis documenta domi suæ: puellæ ægræ & inopi sub cœnam Domini domum suam vocatæ, & mensam apposuit, & ægra ipsa ægræ velut à pedibus ancilla ministrauit, stipeque lauta cumulatam dimisit. Luthero renunciarunt vnus & sexaginta. Rogatus quidam mutationis causam, ipsam sectarum mutabilem inconstãtiam ostendit. Insignis erga nos Episcopi nostri & recens inaugurati Proepiscopi nota beneuolentiæ, cum ille velut domesticus inter nos hactenus fuit, ita porro futurum ostendit. E silua, quæ Bauariam à Bohemia distinguit, duo per totidem menses minimum quaternis millibus præbuerunt aures. Collectus hic numerus ex frequentissimis concionib⁹ & Catechesibus, quæ intra tam breue tempus ad nonaginta celebratæ. Hæreseos pestem eiecêre tredecim. Horum vnus ex Missnia oriundus, cæteris leuior, & in errore pertinacior, cum salutares admonitiones sæpius respuisset, vltimo die, quo nosterinde discessurus erat, bene mane ad cubiculum eius, in quo cõcioni parandæ operam dabat, accessit. Rogatus amicè, ecquid tali tempore, tam inexpectatus adesset, confiterinè vellet? Annuit, atque subin-

subintulit; noctem illam pene totam insomnem sibi transisse, quotiescunque se ad capiendum somnū composuisset, sensisse Patrem extimulantem, si iacturam salutis facere pertimesceret, illicò Ecclesiæ se redderet.

COLLEGIVM BRVNTRVTANUM.

PAschasius Tyrius Lutetiæ Parisiorum natus, rei familiaris diligens curator, & nunquam otiosus, placida quiete sopitus terram cœlo mutauit, vixit in Societate annos quadraginta nouem, vniuersè sexagenos ternos. Pontifex Basilienſis Collegii, templi, Gymnasii cōditor, extrema Quadragesima asceticis nostris nouem diebus institutus, adeò alte in se descendit, vt dimissus hac voce vteretur: si Patres Societatis in me nihil aliud contulissent, quam hoc cœleste beneficium, ad vnum facilè æquaret omnia, quæ ego huius Collegij auctor præstiti Societati. Adeo se religiosi Patris nostri iudicio subiecit, vt nullus è Societate tiro. Ex quinis ad fidē Ecclesiæ ab hæresi fugiētibus, quatuor praua dogmata, publice in templo nostro, magna populi gratulatione, execrati sunt, doctrinamque Catholicā professi. Proepiscopus Vesuntinus Archiepiscopi sui loco, ditionem hanc lustraturus, Sacerdotem ex hoc Collegio comitem accepit, qui ad grauiores quæstiones responderet, verba ad populum curionesque faceret, peccata Sacramento deleret; facta ordine omnia, tanta auctoritate, vt Præsul ipse tantum nostro honorem haberet, quantum verecundia modestię penitus recusaret. Legio Virginis Parthe-

Parthenia, & classis secunda Grammatices ob frequentiã diuisa. Indictus ab Antistite cõuentꝰ curionum & Canonicorum, collatum æs duum millium quingentorum aureorum in annuos sumptus decem alumnorum, qui in litteris & pietate ad vsum diœceseos educarentur.

COLLEGIVM CONSTANTIense.

Maximus labor fuit pœnitentibus hic satisfacere, (vicies septies mille ducenti auditi) præsertim gratiæ Põtificiæ tempore, quies nulla senis Patribꝰ fuit. Decessit hoc anno Balthasar Vorerius initiator & summi templi orator, cui pio parentare stilo ipsius in nos amor iubet. Vir erat sanctimonia vitæ, animi demissione, sui despicientia, germana ac prisca simplicitate etiam hostibus venerandus, nostri verò Ordinis studiosissimus. Antequã Constantiæ ageremus, crebra ipsius vox erat: non ante continget me mori, quam stabilem Patribus, certamque in hac vrbe sedem fixam videro. Multis idem annis cathedram in vrbe principem procurârat, hoc onere illum Collegium Canonicorum iam annis & senio fractum leuare volebat, quibus ille: descendam equidem ex hac cathedra ipse volẽs, cum Iesuitam ascendentem videro, ante spero me deturbabit nemo. Et verò vti eius præsagium de nostra eo loci fixa sede euentu non caruit, sic in concionis successu voti compos magna sua voluntate & voluptate factus est. Triennio quam obiret, cum litare non posset, inter plebem decimo quinto quoque die ad sacram Synaxin magno semper populi motu accessit, nec

nec subinde à templo recessit, quam inde à suis auelleretur, domique includeretur. Nostris partim ante supremam horam visentibus se, partim extremam eius animam excipientibus, qua poterat lapsante manu velut Pater liberis bene precatus in cœlum euolauit. Canonicus quidam horrēdis territus exemplis, quamuis leuiori morbo, sed repētino occupatus, concubia nocte ad Collegium aduolauit, animæque medicinam petiit. Virgo aliunde ad nos à cognatis delata salutem inuenit, instructa simul patientia & armis ad vltimam luctam opportunis, tantūque profecit, vti victrix ab hoste, priusquam expiraret, in ipso vltimo propè singultu trisagium Angelorum pronūciauit, Sanctus, Sanctus, Sanctꝰ. Illustrior alterius matronæ prædiuitis iuxta ac piæ decessus fuit, octauo quoq; die, dum valeret, cœlesti Agno pasta est, ægra condito testamento, de rebus humanis nullam fieri mentionem passa, soli inhærebat Deo. Cum ad iam defunctæ lectum adhuc staretur, animaque conditori commendaretur, duodennis è classe nostra puer subitò exanimatus iuxta funus concidit, curritur ad fomenta, sopita mens frustra excitatur, tandem ipse velut alto excitus somno, quid, inquit, me turbatum voluistis, & in gratissimo prorsusque inusitato spectaculo, auocatum? vidi ego, vidi immensa cum animi voluptate circumfusam ingenti splendore Dominam meam ad superos à superis mentibus deferri. Testatissimam rem fecit pueri innocētia, quem necquicquam parentes ad hæreticorum oras amandare conati nobis tandem volentem, gaudentem in disciplinam tradiderunt. Ex tricenis binisque à varijs

rijs sectis in viam reductis fuit Pręco verbi ad Isnam, latinè iuxta ac græcè doctus, idemque Philosophiæ laurea suprema insignitus: hic dum infamẽ Flacciano dogmate cathedram multis annis obineret, cum nostro in colloquium venit, conuictusque veritati aures patefecit, & in sacello nostro, quod adhuc pro templo nobis est, præsente, quanta loco capi poterat, turba, ad aram Christi, hæresi eierata, fidei professionem, confessionemque fecit. Calumnias postea suorum scripto egregiè repressit. Misit ad nos librorum scriptorumque monstra, & declamationes etiam sua ipsius manu exaratas, quæ omnia constantiam religionis susceptæ affirmant. Antistes Constantiensis cum Proepiscopo suo omnia nobis humanitatis & clementiæ signa exhibuit: nuper nomen patrocinio Virginis inter Sodales dedit: in Genethliacis Christi bis apud nos fecit, quingentis cœlestem Christi panem sua manu porrexit: nobis plenissimam obeundi munia nostra per totam diæcesim potestatem fecit, quæstiones matrimonij inconsultis nobis à suo etiam consilio noluit decidi. Vicarius omnes nobiscum causas controuersiasque summa fide communicat, exploratasq; sententia nostra, nulla vllius habita ratione constantissime persequitur. Nouus hoc anno thesaurus Constantiam est illatus, S. Conradi Constantiensis æuo D. Vdalrici Pontificis, sacrosancta ceruix, hæreticorum furore ante annos sexaginta surrepta, & nescio quo facto, Pragæ inter sacras Imperatoris gazas reposita. Instituta pompa ad ædem Petrusianam, inde ad princeps vrbis templum, Episcopi manibus venerandum caput delatum, ornan-

tibus

tibus supplicationem vittatis Antistitibus totaq; ciuitate. Gymnasij parietes, qua sacer ordo præteribat, festa fronde vestiti, laudes S. Præsulis canebant. In sede Antistitis Marispurgi vltra trimestre Parochi loco Cathedram, Catechesin, sacrumque confessionis tribunal administrauimus.

Templum hoc anno ad Collegium & scholas, adiecimus, iamque sub tectum sola piorum collata stipe, cum omnium admiratione perduximus, cuiº, vt aliorum pleniorem descriptionem, sequenti año reseruauimus. Magistratus vrbis commodè suppetias iuit, & quadraginta millia laterum suo ære subuexit, clausum hactenus aditum ad carceres patefecit, nostros ab iniurijs externorum acerrimè defendit. Sacrarium domesticum non paucis donis ornatum. In eo perpetuus ignis D. Sebastiano geminis cereis consecratus, pestem quotannis hic serpere solitam auertisse visus est, ex quo enim hic ardet in sacello nostro, ex eo plurium retro annorum tempore nunquam vlla in vrbe labes morbi pestiferi notata.

DOMVS PROBATIONIS LANDSpergensis.

HInc ad cœlum, vti bene speramus, euocatus est Iacobus Biruua. VVerteriæ apud Belgas natus, rei familiaris administer approbatus, vir omnibus religiosæ vitæ virtutibus & ornamentis præditus, sibi mortuus, Deo & Societati vixit annos quatuor & quadraginta, duobus & octoginta totum vitæ cursum absoluit. Meretur Iacobi singularis pietas, vt nomen eius exempli causa posteritati commendetur

detur. Famularem primum operam Batauo viro nobili locârat, qua tempestate in Holandia summa hæresis nõ modo religionem euerterat, sed iura etiã omnia diuina & humana peruerterat. Cum hoc Iacobus relicta patria Romam venit, totumque biennium non nisi in pijs Diuorum, Martyrumque monumentis colendis venerandisque posuit. Anno Christi M.D.LXII. à R.P. Iacobo Layne II. Præposito Generali Societatem impetrauit. Missus inde cum Patribus in Germaniam, cum Indias magnopere desideraſſet; Dilingæ Oeconomi officium, aliaque ministeria tanta cura obijt, vt quicquid illi Rector Collegij demandaſſet, dictum factum esset. M.D.LXX. vota solẽnia Adiutoris formati edidit. Landspergæ demum tres & viginti annos Magistrum tironum omni ope, operaque adiuuit: singularique moderatione animos Nouitiorum tractauit, vt & intelligerent, si quid exerraſſent, & reprehensi tamen non dolerent. In communi Sociorum consuetudine, vitaque ita se religiose gesit, vt graues in Societate viri, ipsique annis 30. aut 40. familiares, testati sint, nihil in eo animaduerti potuisse, quod peccati speciem haberet, linguam in potestate habuit; nec leuiores iocos aut alia hoc genus vitia, velut ille apud Cassianum Maches, ferre potuit. Sacrificantem quotidie bis audiuit, bis per hebdomadam, & raro sine lachrimis Virginis filium in Eucharistia sumpsit. A precibus nec domi, nec foris, inter opera cessabat. Aquæ lustralis vsum ita frequentauit, vt vino, cibo, pharmacis omnibus admisceret. Et fuit Dilingæ in magna vini caritate animaduersum, vasa vltra consuetum numerum & tem-

pus

pus potionem præbuisse. Herniæ cruciatus fide & voto in D. Bennonem ita mitigauit, vt eosdem rarò persentisceret. Sacras imagines memoranda pietate prosequebatur, sicubi Patrem comitato in ædibus hærendum esset, prolata ex sinu imagine, in proximo domus angulo in genua procubuit, vt dū sacerdos cum hominibus, ille cum Deo Diuisque colloquium institueret. Cum de ramicum ruptorū acerrimis doloribus illi cum socio esset sermo, alterque acerbitatem eius eleuaret, quam sæpe grauissimam Iacobus persenserat, tacuit Iacobus: sequenti nocte socius calculo cœpit tam grauiter excruciari, vt ferendo non videretur, culpam in temeritatem pridianam coniecit, Iacobum veniam & preces petijt, nec multò pòst curatus est. Ægris nihil deesse vel ad morbum depellendum, vel spiritum retinendum, passus est. Vicesimus septimus Decembris hoc in terris lumen Societatis extinxit, vt clarius in cœlo accenderetur. Ipsa sibi Landsperga pro hoc defuncto alium subrogare visa est, cum ex ea ciuitate futurum rei domesticæ adiutorem nancisceretur. Ascetica nostra degustarunt Curio, Iurisconsultus magna in Imperio auctoritatis, qui illa hamum iuuentutis trahendæ existimarat, nunc ipse sæpius eam escam desiderat. Tertius inter Heluetios magistratu perpetuo clarus, eodem tempore filium apud nos habuit, habetque hodie, qui se tum Deo per vota, exacto tirocinio, despondit, accubuit vna parens ad sacram Christi mensam, natum cum lachrymis velut Abrahamus Isaacium, vnà Christo cōsecrauit. A partu solutæ plures ope B.P.N. Ignatij. Ex his iam sua opinione depositā, per somnum videt linteatum

Patrem ad se ingredientem, qui polliceretur & vitã & partum: vtrumque obtinuit. Supplicationes institutæ cum ad oppidi templa, & foràs, vsq; ad Virginis Auxiliatricis; erecti cippi quindeni, quibus descripta Christi patientis acta & mysteria totidem. Coronæ B. Virginis Sodales in his principé locum tenent, duorum virtutem Deus facto á miraculo non abhorrente comprobauit. Socer generum glande sclopi infra scapulas traiectum in vltimum discrimen adduxerat. Vulnerarij conclamarant, anima per vulnus stridebat. In hoc deprehensus tot periculo, ad tribunal Sacerdotis appellat, causam totius vitæ exponit, votumque nuncupat, si reualeat, ad Sodalitatem D. Virginis accessurum, sibi restitutus est.

Domum beneficijs ornauit Guilelmus vtriusq; Bauariæ Dux cum filio natu minimo Alberto, qui vna nobiscum in prandium familiariter discubuit.

DOMVS OETINGENSIS.

MVlta quot ferè diebus, ope magnæ Matris mira hic eueniunt, quæ tametsi commemorare possem, quia tamen germana nostratium non sunt, silentio transmittam, singulari volumine forsan explicanda. Ex cœno Lutherano viceni bini, alij sua sponte animi impulsi, alij diuinis monitis incitati, alij alijs casibus adducti emerserunt. Magna hic agrestium in peregrinos illuxit charitas, quando gratis hospitia aduenientibus; morantibus alimenta, abeuntibus viaticum præbere consueuerunt. Repertus in oppido quodam iuuenis, genere, doctrina, virtute nobilis, qui Societatem animo concepe-

ceperat, sed parentes interceſſerant: coniectus in morbum antequam decederet, circumstantes matrem ac sorores hac voce compellauit: En stulta vota, & spes inanes, quas in me sitas habuistis, me quidem ingenti præmio, Christum sequentibus promisso spoliastis, vos autem non leui culpa astrinxistis, ita vobis Deus sit propitius, vt meritò doleatis. Non immeritò vulnerauit hæc oratio præsentem matrem, quæ lachrimis perfusa sanctissimè recepit, per se nunquam futurum, vt quisquam imposterũ à vita religiosa prohibeatur. Confessio criminum plurimis salutem cum corporis tum animi peperit: non paucioribus voti causa peregrinationes huc susceptæ. Fœminæ hæreticæ claris ortæ natalibus, vir Catholicus, ante biennium à milite Bozkaiano inter alios Cæsarianos captus, & in Transiluaniam abductꝰ vinculis coërcebatur, resciuit hoc coniũx, & mariti vicem miserata, ceram in viri sui speciem effigiatam, votum á quinquaginta millibus passuũ Virgini Oetingensi adfert. Noster mulieri auctor est, si virum exemptum vinculis vellet, sese prius ab errorum nexibus expediret, alioqui non ratum à Virgine habitum iri votum: Infensissimum, inquit, parentem habeo Papistis: Deo magis obtemperandum ac homini, noster docet. Abit illa, reditũ pollicita & fidem, nec fefellit, addit nouas preces ad D. Magdalenam, nostris iam partibus addicta. Edidit & miles interim in carcere votiuas preces. Audiit clemens Deus vtrumque. Matitus è custodia elapsus, Oetingã cum ferreis compedibus hoc anno venit, easque monumentum beneficii à Virgine accepti è tholo hic suspendit. Dux Ferdinandus,

germanus Sereniſsimi Guilelmi, Præpoſiti Oetingenſis parens, perennem fontem in aream noſtram, ad peregrinorum etiam vſum deduxit, noſtroſque lauto epulo, cum in vicinia venationibus operam daret, recreauit. Lunælacenſis Antiſtes cum mille quingentis ſupplicantium ritu pulcherrime compoſitis huc venit. Dona ſacrarium noſtrum multa exornarunt. Sereniſs. quem dixi modo, Ferdinandus, hierothecas cum ſacris pignoribus Thebanorum nobili opere factas, Decanus Malticouenſis aeculas geminas auro pictas cum pegmate, quod ſalutis nomen ex cruce formatum continet, votum attulit. Alius ducentos teſtamento legauit ad olei vſum, alius quadringentos.

AN-

ANNVÆ LITTERÆ PROVINCIÆ RHENANÆ Anni 1606.

NVmerus eorum, qui hoc anno in Prouincia Rhenana versati sunt, excreuit ad quadringentos sexaginta. In Coloniẽsi Collegio fuerẽ socij 35. Sacerdotes nouendecim; Magistri non initiati sacris 4. Scholastici 3. Adiutores rerum domesticarum nouem. In Treuirẽsi. 29. Sacerdotes 16. litterarum Professores quatuor; Coadiutores 9. In Probationis Domo 76. Sacerdotes 5. quorum vnus tiro; litteris addicti Nouitij 51. ad vsus domesticos destinati Veterani decem, totidemque Nouitij. In Moguntino Collegio 62. Patres 27. quos inter Theologiæ sunt Auditores 6. alij verò eidem studio dediti 18. Magistri scholarum 5. rei familiaris administri 12. In Spirensi 30. Sacerdotes 19. è quibus 10. tertium obeunt Probationis annum. Præceptores iuuentutis 5. vno plures à domesticis ministerijs. In Herbipolẽsi 49. Patres 17. Magistri 5. Philosophiæ studiosi 18. Coadiutores 9. In Fuldensi 26. Sacerdotes 12. Præceptores 4. Discipuli scholastici 2. cæteri in sorte Marthæ. Heiligenstadij 18. Sacerdotes 11. Magistri 2. Adiutores 5. Molshemij 30. Sacerdotes 12. E quibus Theologiæ Practicæ vacat vnus, cum alijs 5. non Sacerdotibus; Artibus docendis incumbunt 5. 8. domesticis laboribus. Confluentiæ 20. Patres 8. Magistri 5. duo plures Coadiutores. In Paderbornensi 18. sacris operantes 7. artibus docendis 5. re familiari curanda 6. In Monasterienſi

sterienſi 20. 10. Sacerdotes, Præceptores 3. reliqui Coadiutores. In Hildeſienſi 12. Patres 5. Magiſtri 3. vno amplius temporalium adminiſtri. Embricæ 13. Sacerdotes 8. Præceptores 2. 3. Coadiutores. Aquiſgrani 10. tres Patres, totidemque Fratres ab officijs domeſticis, Doctores pueritiæ 4. In Reſidentia Bonnenſi, duo Sacerdotes cum vno laico. In Erfurdienſi 2. duntaxat Patres. In Altenenſi totidem cum vno Coadiutore. Duo item in Hagenoënſi cum totidem Fratribus. Ad ſuperos exceſsêre 8. in horum locum adlecti triginta nouem.

COLLEGIVM COLONIENSE.

COloniæ 2. vita functi ſunt; 7. in Societatem cooptati. Mortem obijt P. Valentinus VVierus Coadiutor formatus. Hic magna ætatis parte alibi in Societate acta, ſupra viceſimum iam annum Coloniæ Ordinis noſtri laboribus occupatus, cum inualeſcente per Vrbem peſtilentia, ea tactos adeundi & adiuuandi (quod ſuperioribus annis ſæpius fecerat) à ſuperioribus facultatem, canaiam ætate obtinere conatur, apoplexia ipſe tactus ſeptimo die expirauit. Secutus eſt eum Rutgerus Verſpeken adoleſcens Gelder, mundo, ſibique mortuus, & ſatur iam vitæ adeo, vt vel producendæ vitæ ſpem facientes inuitus audiret. Grammaticam infima in claſſe in Collegio Aquenſi profiteri exorſus, morbo implicari cæpit, cuius depellendi cauſa Coloniam miſſus, ibi paucis diebus lenta tabe conſumptus ſanctiſsimè deceſsit.

Ab hæreſi ad Eccleſiam Catholicam traducti noſtrorum opera ſunt quinquaginta quinque circiter.

ter, in quibus fuêre ex Hollandia prædones, qui cum lacte perfidiam, & scelerum consuetudinem hauserant. Alius fuit Saxonicæ ditionis adolescens, humaniorum litterarum, iuris ciuilis, & Theologię Saxonicæ valde peritus; per nostrorum conciones emollitus primum; dein multarum septimanarum disputationibus & colloquijs subactus, tandem egregius sui, & variorum periculorum victor, ad Ecclesiam transijt.

Domus integra nostrorum opera magnis terroribus spectrisque liberata est. Hac etiam in re dæmoni nocitum fuit, quod effectum per nostros est, ne aut quibus res ablatæ erant, aut qui alijs calamitatibus remedia quærebant, Magorum eam in rem opera vterentur. Labores nobis nostros non auxit tantum, sed periculosos etiam fecit pestilẽtia. Duo Sacerdotes separati in id operæ, quando, & quò vocati sunt, studium suum circumtulerunt. Eorum alter cum clarum quendam in ciuibus confitentem audisset, pestem domum retulit, sed voto ille ex superiorum consensu facto, si conualuisset, multo etiam alacrius homines peste pressos aditurum, pharmacisque haustis vniuersum hac nocte virus eiecit, & claro die ad labores pristinos redijt. Ex Sodalibus præter eos qui Societatem impetrarunt, multi in varios sese Religiosorum Ordines contulerunt 13. omnino numerati sunt, crescitq; idem desiderium in pectoribus non paucorum. Fuit adolescens, cui de vitæ rationibus in posterum cõstituendis admodum solicito, nostri Ordinis homines per quietem sese conspiciendos præbuerunt; Ex quibus vnus adolescentem, vt Societatem deligeret admonebat, & ille, scilicet audijt monentem.

Alium adoleſcentem opera noſtrorũ ad Eccleſiam Catholicam aggregatum, & deindè in patriam reuerſum, Catholici, id eſt, boni mores proditum, amicis hæreticis diuexandum tradidere, nam ille celeberrimo quodam nuptiarum die, quæ in paternis erant ædibus inſtitutæ, lautioribus epulis, choreiſque contemptis, otium ſuum ad ægrorum curã tranſtulit, quos, & allatis domo ferculis refecit, & vnum ex iis moribundum, ne ſub dio moreretur, in ſuum horreum ſuis ipſe humeris intulit, & quod Catholici Sacerdotis copia non eſſet, ad dolorem de peccatis concipiendum enixè eſt cohortatus.

Alius etiam Collegij & ſcholarum labor valde videtur Ciuitati, & vicinis profuiſſe. Auguſtus erat in exitu, & peſtilentia quæ per æſtatem vires auxerat, ſubeuntis autumni oportunitate adiuta, magnam hominum ſtragem factura videbatur. Accedebant perpetuæ per æſtatem pluuiæ, quæ continenti lapſu magnam agris, oppidiſque calamitatem aut afferebant, aut minabantur. Hanc offenſi Numinis iracũdiam noſtri, vt totius ciuitatis ſupplicijs in tempore deprecarentur, celebrem Litaniarum decantationẽ noſtro in templo indixerunt, ad quintam quotidiè veſpertinam. Confluxerunt non tantum ſcholarũ noſtrarum iuuentus, ſed ciuium, & tam multi, vt templo non pauci excluderentur. Horam ſemper ſolidam ea comprecatio tenuit, Muſicis per vicem, omnique iuuẽtute, cum multis ciuium Litanias; inteato demum noſtro ſacerdote, Collectas quas vocant, concinente. Atque hæc domi, & in vrbe geſta ſunt. Ex alijs etiam Diœceſeos oppidis, agriſque quantum per labores domeſtiços & itinerum

pericu

pericula licuit, aliquid messis collectū est. Census Collegij annuus aureis sexcentis auctus est. Ad tēpli ornatum, atque instrumentum varia, & pretiosa supellex accessit, mille quingentis aureis plus minus æstimatur. Accessere multæ minoris nominis eleemosynæ in omnem fere vsum familiæ, vniuersæ. Aliæ itē donationes Collegio ab amicis factæ, vsu tamen rerum, fructuque ad vitam retento. Bibliotheca item multis, præclarisque libris testamento legatis aucta est, insignis etiam in Collegium nostrum fuit summi Pontificis Pauli V. munificentia, qui quidquid sacrarum possessionum beneficio Serenissimorum Principum, Electoris, et Coadiutoris huic Collegio hactenus collatum est, id omne summa nobis sententia stabiliuit, Annatis etiam, quas vocant, vltro, liberaliterque remissis.

COLLEGIVM TREVIRENSE, ET Domus Probationis.

PRæcipui ciuis filia tam naturæ, quàm fortunæ donis cumulata, atque annis matura, iam tum à teneris virginitatis amorē & S. Claræ familiāanimo erat complexa, nunq̄ tñ per parentes filię contrauenientes cōsilia sua explicare potuerat. Quid faceret certa voti, incerta consilij? dū pendet, & omnia circumspicit; ecce tibi aliam eiusdem mētis virginem, sed sortis felicioris, vt quæ à Sanctæ Claræ Antistita aditum expresserat, nec à parentibus illi obex: & tu, inquit, Timothea, (nam id Virgini nomen) quid vultu & colore animi, malo custode prodis? Timothea nihil clam habet, aperit omnia. Itaque de sum-

ma rei consilia conferunt, paucis decernunt, quod forte imitationi non pateat; sed quis dubitet, quin Deo authore, cum exitus adeò secundus annuerit? certè non alium vtraque virgo conatuum suorum moderatorem elegit. Equidem ad Timotheæ conclaue altera virgo totius negotij secundum Deum moderatrix, sub noctem clam omnibus ingreditur, ibi tota nox precibus transmissa, ausis Deum propitiari cõprecabãtur, & Sanctæ Claræ, aliorumque Tutelarium Diuorum itẽdidem interponebãt nomina. Mox, vt aurora adhuc dubia, tenebræ aperiri cœptæ, clanculum egrediuntur, muro Monasterij Sanctæ Claræ disterminatori scalas admouent. Hic vbi sanctis osculis sibi collachrimãtes vale dixerunt, virgo generosa, vt nomine, ita re Timothea, scalas adscendens, saltu se in hortum Monasterij dat, nec sine corporis læsione, & doloris sensu grauiore. Ad tres horas frigido cœlo in horto hæret: sed innotescit tandem; intromitti in monasterium petit. Hic noua pugna. Sacræ virgines cum Præside suo rei nouitatæ perculsæ, Timotheam egredi, & impetrata parentum venia redire iubent. Parentes de re tota edocti filiam repetunt, virgo in proposito immobilis, & inuicta persistit, nec equis ex sacro loco extrahenda, nec vnquam ad suos reditura. Ergò res tota ad Confessarium ipsius defertur. Nihil illa tunc lætius, & securius. Quis enim dubitet, cuinam ab hoc arbitro adiudicanda sit virgo? scilicet sponso addicitur Christo, ea tamen cautione, vt parentum offensam deprecetur, illi vicissim solenni apparatu filiam sacro habitu inuestiant. Factũ vt conuenerat, atque dũ virgo solenni pompa

ni pompa ad altare ducitur, primum obuio parenti, inde matri fit ſupplex, & tota multitudine quæ ad ſpectaculũ conuenerat, contuente, in terram proſternitur, inconſulti ardoris offenſam humiliore oratione & lachrymis deprecatur. Ea Virginis ſubmiſsio vtriq; parenti iuxta, ac vniuerſę multitudini lachrymas exciuit. Poſtmodum vbi à noſtro ſacerdote pro concione res tota proponitur, cũ Virginis & parẽtum laude, mutuato rei, & tẽpori opportuno à Dauide verſiculo: In nomine tuo tranſgrediar murum, nouus quidam pietatis ſenſus, & inſolitum gaudium animorum triſtitiam abſterſerunt, nec aliud in ore hominum verſabatur, quàm præclarum Virginis facinus, quo Deus Pater eam ad filium ſuum attraxerat. Quatuor Magiſtri Societatem obtinuerunt, duos noſtra Prouincia, reliquos Belgium ſibi vẽdicauit. Quot verò totius anni decurſu in alias Religiones tranſierunt, nõ facilis cẽſus. Ab vna Logica de reliquis cape cõiecturum; Ex hac in noſtram Societatem vnus, tres in Carthuſianorum, totidem in Benedictinorum familiam cooptati. Hoc ſingulare, magnus ex ciuium & ſacerdotum numero ad maius ſodalitium confluxus, eoque tanta eius exiſtimatio percrebuit, vt Canonicus quidã etſi ſuum eidem nomen non dediſſet, tantæ tamen famæ nomini centum daleros teſtamento legarit. Nec interim defuerunt, qui noſtrum Collegium in extrema inopia conſtitutum eleemoſynis ſubleuarent. Eccleſiaſticus quidam 300. florenos teſtamento legauit; dederunt alij, quæ facile tantidem æſtimarentur.

DOMVS

DOMVS PROBATIONIS.

AD Domum Probationis quod attinet, eius interior expolitio magna sumpsit incrementa piorũ liberalitate. Accessit hoc anno stabulum, horreumque lapidea structura, aduersus contagia flammarum prorsus à fundamenti s excitatum, tum domuncula è vicino coëmpta, quæ propter alias opportunitates prospectum vicinorũ auertit. Templum Reuerendissimi Principis impẽsa, maiorẽ elegantiã, & amplitudinẽ accepit, confert ad eam rem nõ pauca artificosa tironũ nostrorum industria, nimirum videas adolescentes non alijs quã Palladiis artibus innutritos, sculpendo tamen, cælandoque id assequi, & subseciuis quidem horis, vt in Phidiæ cuiuspiam, aut Polycleti officina diu versatos putes. Diuertit ad hanc vrbem, dum ad D. Virginem Aspricollem votiuum iter intendit, Illustrissimus Cardinalis Lotharingus, Argentinensiũ, & Metensium Antistes, magnisque honoribus acceptus, etsi ad Archiepiscopi palatium inuitaretur, maluit tamẽ nostro vti hospitio paupere, non sine eximia significatione beneuolentiæ; postridieque non ante sein viam dedit, quàm sacra Liturgia & huic subiunctis Litanijs munitus, Deum ac Cœlites sibi itineris comites adsciuisset.

COLLEGIVM MOGVNTINVM.

VNdecim hoc anno Moguntina Societas tirones dedit; è quib⁹ Magistri ingenuarum artiũ septẽ. Pestis non semel vrbem tẽtauit, cuius gratia Sacerdos vnus cum socio alterum iam mensem abiunct⁹ à nostra domo, homines malo contactos adit, alloquitur

quitur, sacra pœnitentia curat; & ad meliorẽ vitam accingit. Recepimus in Ecclesiam in hac vrbe octoginta, quos iam hæresis ad interitum designarat. In ijs fuit artifex inter suos non ignobilis, qui cum huc vitandæ contagionis causa Frãcofurto confugisset, ad Patrem de nostris talium rerum gnarum artem suam venditatum venit. Is vt hominis animum exploratum habuit, ostendere ei cœpit lucem Catholicæ veritatis, & periculum in quo ipse versaretur, nisi aliquandò eam aspiceret. Cum vno, alteroque cõgressu perfectum esset, vt stimulata hisce sermonibus conscientia, identidem quasi faces admoueret, ille scilicet eas comessationibus, ludis, alijs oblectamentis conabatur extinguere, cum id non procederet, domi se abdit, in suum opus incũbit impẽsius. Sed neque in eo acquiescebat animus, quando eum intemperiæ agitabant, vt vel adacto in viscera præacuto ferro, qualia illi sua ars præbebat, vel præcipitato corpore, mortem oppeteret. Dum hæc hominem solicitum habent, venit in mentem eorum quæ à Patre didicerat, plurimum prodesse, Diuam Virginem Matrem, aliosque Cœlites in auxilium vocare, iamque inducebat animum credere, posse tranquillitatem animi in Ecclesia Catholica reperiri. Non latuit communem humani generis hostem eius animi inclinatio; ergò nocte intempesta cubanti, & quod anxia mens somnum arcebat, hæc cum animo suo trahenti, perfrigido quodam vento lectum suum afflat, qui se tanto frigore perfudit, quantum ante nunquam sensisse meminerat. Ibi ille tacitus quando vocem edere non poterat, preces ad Deum concipit. Exoritur deindè in eum

iam

iam manifestior infernus prædo, tantaq; vi faucei homini opprimit, vt tantum non elideret. Ille Catholico ritu se cruce munit; hostis tanto cum fragore se proripit, vt cubiculũ euersurus videretur. Artifex hoc discrimine perfũctus, sibique redditus, spondet ad Sacerdotem nostrum se quamprimum confitendi causa accessurum. Pergit se Deo postea cõmendatum, tum iterũ surgere glacialis ille flatus, & siml exaudiri vox: Quid miser Deum fatigas, quicum nulla vnquam tibi gratia futura est? Vehemẽtei hoc altero insultu timefactus, contenta voce Iesum & Mariam inclamat. Domestici, quos discedẽtis iam ante dæmonis strepitus experrexerat, clamore excitiaduolant, reque cognita trepidãtem erigunt & solantur. Non tamen prius depulsæ sunt animo solicitudines, quàm patefactis Sacerdoti nostro totius vitæ erroribus ac noxis, in Dei gratiam & Catholicorum numerum restitutus est. Quid, quod tantus est Ecclesię Catholicæ splendor, vt hæretici & suis interdum sint auctores, eius expetendæ? ita iuuenis patria hæreticus, cũ hũc se cõtulisset, parèntis sui hæretici hominis non hortatu modo, sed & iussu Catholicus est factus. Confessionum etiam fructus constitit.

EXCVRSIONES AD DIVERSA loca.

OPpidulum fuit, cuius incolæ tam pertinaci animo Lutherum tueri, reluctarique decreto obstinarant, vt Parochus spem, curamque omnem salutis infeliciũ abijciẽdã rat⁹, ad duo milliaria nostris eò aduẽtantibus obuiã egressus, rogaret, nè tantos itine-

itineris docendiq; labores, frustra esse vellent, eam esse oppidanorum in dementia peruicaciam, nihil vtiam perfici possit. Non tamen hæc denunciatio, vel Satrapam, vel Sacerdotem nostrum detinuit, quin eodem die ad eos profecti, animos pertentarent. Primò congressu, quæ Dei in nos voluntas fuit, senex vel ob id magnæ apud oēs auctoritatis, quòd nemo illum suorum ciuium ætate vincebat, manus veritati dedit, Ecclesiæque reconciliatus est. Lætus tā præclaro successu Satrapa, apud cæteros quà hortando, quà minando instat: beneuolentia noster vnumquemque adoritur, & prensat. Quid quæris? abiecta omni cunctatione ad vnum omnes obsecuti, ad eamque mentem adducti, vt Catholici, saluique esse vellent. Ibi verò vterque gestire gaudio: suorum laborum fructu recreari ac refici, ad illos porrò percurandos animos intendere: operas inter se partiri: noster in templo multus esse: confitentium totius vitæ noxas expiare: Satrapa reliquos interea de elementis Catholicæ fidei erudire, & Catechistæ partes gnauiter agere. Itaque breui alia loci facies fuit. Fuerunt & alicubi, quos vel dies ipsa sanauit, vel cōtagionis metus fregit. Duo, quos olim emersos ex hæresi, eadem lerna absorbuerat, tandem nō sine illustribus pœnitentis animi documentis indidem iterum educti, in solido Ecclesiæ Catholicæ sunt collocati. In eadē vicinitate Hoffen oppidū est, cui item Elector Moguntinꝰ imperat, id à primordijs nouarū doctrinarū nefarijs erroribꝰ deprauatū, nostrorū adhuc curam respuebat. Proxima tandem Iubilæi denunciatione, duo sacerdotes ex hoc Collegio ad eos se contulerūt, alter confitentibus dedit

operam

operam cum parocho, & sunt auditi admodum cœtum; alter ad scholas se conuertit, pueroſq; omnes partim præceptis de ritu Catholicè confitendi instituit, partim confitentes culpis absoluit. Taceo hic passim cùm è templis, tùm ex hominum manibus libros & carmina hæreticorum eiecta, rituales Catholicos, alioſque ad pietatem appositos codices suffectos. Vestitum sacrum & apparatum SS. Sacramento cõseruando, procuratum, Koenigstainiano Satrapa singulas ædes sacras nobiscum obeunte, atque omnia in tabulas referente. Denique his expeditionibus omnes ad studium nostri audiendi sic excitati sunt, vt palam quoque auditæ sint voces profitentium, talibus Magistris non libenti solum, sed etiam iucundo se animo Catholicos futuros.

COLLEGIVM SPIRENSE.

MVlier quædam vt animi cruciatus leniret, cœlum mutarat. Sperabat enim (vt stolida sunt hominum in curandis animi vulneribus ingenia) loco mutato, animum quoq; mutatum iri. Frustra: tormentum conscientiæ sequitur, quo nunq; non, vt iniustè parta redhibeat, stimulatur: quin & ipsum cui fraudem fecerat, nõ raro sibi coram præsentem, ac velut iniuriarum agentem cernere videbatur. Hæc interacerbum lucis vsuram ducebat, iamque desperabunda salutem præcipitio quærere certum habebat, si prius alicui rationem facti sui dediſſet. Commodùm accidit, vt noster ad ea loca diuerteret, qui sauciam mentem confessionis antidoto sic tranquil-

tranquillauit, vt multa nunc in pace viuat. Altera 40. annis grauiter à Cacodæmone tentata vsq; eò fuerat, vt omnia prorsus arma spiritalia abijceret, confessionis atque Eucharistiæ remedia susq; deq; ferret, adducta ad nostrum, simul animum expiauit, concepit spem vincendi sæpius, pugnandique fortius. Sed præcipuam frugem dedit sanctissimi Domini nostri Pauli V. iubilæum; superauit numerum multitudo eorum, qui cœlestis doni participes sese nostrorum opera reddiderunt, cum 12. aut etiam 13. sacerdotes è Collegio extra Vrbem ita occuparentur, vt vnus eorũ in pago nõ magno, trium dierum interuallo, quingentis Sacramenta ministrârit. In ciuitatem vel oppidum ingressis prima cura fuit, scholas puerorum, & hospitalia pauperum, seu tuguria inuisere, indeq; elicere Dominicæ mensæ conuiuas. Cessit ea res in corporum æquè, atque animorum commodum, dum propalam cõspecta egenorum pietas, ditiorum in se dignitatem prouocauit. Numerus eorum qui cum Ecclesia in gratiã redierunt, capitum fuit 200. In quibus illustris fuit cuiusdam nobili loco nati è Caluini secta conuersio, quæ magno Catholicorum gaudio excepta est. Et apparuit multorum in fide solida constãtia, posteaquam sinceræ doctrinæ pabula, & Christianæ vitæ dulcedinem semel deguſtarunt. Sacramenta reuisunt frequentius, alios ad eadem pelliciunt, contumelias & opprobria religionis causa æquo animo tolerant. Pagus, cui Buer nomen est, vndeuiginti annos hæretico regnatus Domino fuerat, eum nostri hoc anno repurgandum susceperunt, restituti postliminio Catholici ritus;

sacris Calicibus altaribusque suus honor, & vitæ red ntegratus, populus ipse rudis ac prorsus in- cultus, ad veram pietatem magnis laboribus re- formatus. Horrenda fuit Magi cuiusdam à dæ- m ne vexatio. Sartor is fuerat opificio in Ober- grumbach pago Spirensis d.tionis. Deuouerat se se nefario hosti primò stipulata manu, quam mox sensit aduri, vt cum altera vice in tesseram porrigere iuberetur, baculum eius loco obiceret; sed restabat tertia, eaque perfectissima traditio, di- dendis nuptijs & portentoso naturæ dedecore ipso Parasceues die stabilienda, quo se præsto futurum recipiebat Auerni procus, nec fefellit. Hora aderat, sub crepusculum vespertinum im- mani statura, cultu vario, oculis horrendum in mo- dum scintillantibus, ore fumanti, manibus hirsutis, omni denique habitu suo dignoscendus. Et primo si quid vellet discipulus, quæsiuit. Cui ille, nihil se vt nunc res essent, velle respondit, tumultum ta- men & strepitum in loco designato ciere pollere. Nullumne, inquit Magister, lædam aut perimam? Nullum. Tum ille pone fornacem cortices volue- re, putamina nucum & raparum vibrare, lapides insuper, nec sine periculo, totiusque familiæ exa- nimatione, bene magnos in parietes iactare. Diffici- le videbatur valido hosti, & irato spolium extor- quere; Nullam infelix ille Ecclesiam inibat, de pec- catis nunquam confessus, nunquam Cruce frontem, aut pectus armare didicerat. Prima igitur cura nostris eò Reuerendissimi Principis voluntate ac- cersitis fuit, vt hominem sacra doctrina imbuerent, quam ille labore, & vigilantia inculcatâ libenter ad- misit.

misit. Ter malè fido fœderi, magno pietatis sensu renunciauit, tres in partes scipione, quem antea in fidei Symbolum porrexerat, confractum flammis vitro dedit; de peccatis denique confessus, denique Corpore Dominico se communiuit. Acerbe tulit aduersarius ereptam prædam, semelque & iterum terrorum simulacris hominem adortus, ad desperationem & restem adducere conatus est, sed Cruce & oratione repulsus, incassum suas machinas esse videt, & inuidet. Tristior cuiusdam Ministri exitus fuit. In oppido quodam Imperiali sacerdos noster ducentos S. Eucharistia refecerat, & postmodum honorifice lautitijs publico Senatus sumpto exceptus erat. Enimuero ea causa sic excanduit Thraso ille, vt diceret, se abeunti pro vino verbera propinaturum, sed fideli ciuium comitatu stipatus noster domum redijt, ille triduo pòst extinctus impiæ iactationis mercedem tulit. Claudat narrationem amicorum in nos beneuolentia in nos & liberalitas. Quidam 60. florenos legauit: ab alijs quinque vini plaustra dono venerunt, sacra supellex inaurato Calice aucta. Reuerendissimus Amalthæus Attilius Archiepiscopus Athenienſis, cum potestate Apostolici Legati hâc transiens, non aliud, quam nostrum hospitium delegit, exceptus à nobis vario carminum genere, à nobilibus Canonicis munifico sumptu honoratus, operatus palam sacris in nostro templo, Societatis nomini opinionem & authoritatem adiecit maleuolis inuidendam.

MISSIO VVORMATIENSIS.

ILlustrissimo præsuli VVormatiensi cum sacrarum commentationum iniecisset desiderium Collegij superior, misso deinde sacerdote, eũ se discipulum præbuit nobilis Asceta, vt nonnulla quę religioso illo secessu gesta sunt, silentio minime videantur prætereunda. Primo meditandi argumenta, detecto semper capite, magna cum animi submissione audiuit, ac ferè audiens interfleuit. Incredibile dictu, quantum in ijs ruminandis postea lachrymarum effuderit.

Hisce demum rebus effectum est, vt ardentiori voluntate pius Princeps in Societatem accensus sit, palamque dixerit, nec sibi, nec Episcopatui sine Patrum opera bonum esse posse. Igitur eius rogatu duo Sacerdotes VVormatiæ, quam superiore anno per interualla duntaxat lustraueramus, à secundo Maij continuo commorari cœperunt, & vt in ciuitate densis hæreseon vepribus obsita, haud parum profecerunt. Primariâ in Parochiâ noster demortui Pastoris munus, habendis ad Concionem sermonibus, obit, quæ in dies fit frequentior. Accedit pomeridiana Catechesis, ad quam subinde omnis ætatis, Ordinis, sexus homines, Orthodoxi, Lutherani, Caluinistæ confluunt: nonnullique etiam in pugillares audita referunt. Recreat inprimis auditores innocentis pueritiæ certatim in pugnam, & præmium assurgentis alacritas. Septem Ecclesiæ reconciliati sunt. Iubilæi tempore trecentis in S. Nicolai sacello, vbi nostri sacra peragunt, sacra communio data. Eluxit tum vel maxime Illustrissimi pietas, inusitato supra huius æui memoriã exemplo, sacrum

Domi-

Dominici Corporis ferculum in solenni suplicatione ipse tulit: ipse sacris operatus Angelorum panem distribuit, gratulatibus sibi de tali Episcopo Catholicis, hæreticis stupentibus, & magno silentio religiosam pompam spectantibus, è quibus doctiores dicere ausi, tales si semper ætas tulisset Episcopos, rem nunquam eò deuenturam fuisse. Mitto quæ ad emendationē Cleri cum laude Societatis gesta. Illud periculi nonnihil habuit, sed plus diuinę prouidentiæ, quod moribundo hæretica in ditione famulo præstitum est. Petebat is sacerdotem aliquem Catholicum, à quo supremis Sacramentis muniretur; sed nemo repertus est, qui, quòd omnia haberentur suspecta, in discrimē se dare vellet. Ergo venitur ad nostrum, qui mox habitu mutato, fidoq; ędituo comitatus ingreditur iter, adit ægrum, & dum alij adstant, familiari more solatur; tandem gratum fore ait ægroto, si omnes excedant cōclaui, quò liberius de rebus suis vltimam voluntatem aperiat. Succedit negotium, excubijs, ne arbiter profan⁹ interueniret, dispositis peragit confessionem æger, accensisque cereis Dominici Corporis viatico donatur. Interea odorati nescio quid domestici, rē Caluiniano Inspectori produnt (gratuis enim pœna cōstituta est, si quis eiusmodi aliquid tacitū habuerit) & iam proxime aberat periculo sacerdos: sed Deo curæ fuit; vix domo abierat, cum rabula ille Caluinianus irrumpit, intuetur clinicum, omnes angulos perlustrat, scrutaturque si quod rei gestæ signu deprehendat. Quid talpa cęcior videat? tandem mutus recedit; noster fortunante Deo per occulta viarum elapsus, ante prandium reuenit domum.

COLLEGIVM HERBIPOlense.

HErbipolitanum Collegium hoc anno septem Adolescētes Societatis tirocinio dedit, in quibus artium Magistri quatuor, quinque Carthusianis misit; alios alijs Religiosorum familijs. Exercitationibus B. P. N. complures partim genere & dignitatibus clari; partim religiosæ vitæ cultores, animam excoluerunt. Magi duo rescisso impio fœdere cum nefario hoste, Christo se reddidere. Ad Ecclesiam aggregati duo de quadraginta. In his Medicinæ Doctor patria Norimbergensis è clara familia, vir magno ingenio: Lutherum à pueritia cōplexus fuerat, neque tamen opinionibus suis sic adhærebat, quin falli se, aliosque meliora sentire arbitraretur. Ergò nè vel suis temerè crederet, vehementius auditos damnaret, omnia eo vsque exploratum cōstituit, dum certi quid comperisset. In Gallias profectus coëmptos vndique Caluini, cæterorumque eius sectæ doctorum libros lectitabat, excerpebat argumenta, conferebat, nec interea conciones vel nostrorum Patrum, vbi copia esset, vel aliorum Catholicorum negligebat.

Sepositis tandem cæteris omnibus venit Herbipolim, Ecclesiæ Romanæ primatum ex monumētis Gregorio magno antiquioribus ostendi sibi postulat; id si fiat, spondet Romanum se Catholicum fore; sin minus, aliud afflictæ, dubiæque mentis perfugium quæsturum. Acceptus est in Collegium humanissimè, nouem ipsos dies excutiendo bibliothecam & familiariter differendo consumpsit, ea victus

victus parsimonia, morumque modestia, vt omnibus fuerit admirationi & exemplo. Tandem vbi desideratam lucem adspexit, ante aram summam ex formula Pij quarti in Catholicam iurauit, solenniterque absolutus, & Sacrosancto Corporis CHRISTI die cœlesti recreatus epulo, mox supplicabundus in publicam processionem prodijt. Confirmationis deinde Sacramento nouus Christi miles roboratus, susceptorem agente Reuerendissimo Principe Iulio, Pragam iter intendit, vbi nunc magna cum dignitate viuit, Societatis, & acceptæ per nos Religionis sedulus defensor. Non minus fortasse virtutis etsi minus splendoris habuit adolescentis cuiusdam opificio sartoris conuersio. Is obstinatus primò in hæresi, cum familiari quadam sodalium violentia ad concionem nostri Sacerdotis abreptus esset, sic probauit dicta, vt non inuitus deinde verba salutis audiret, tandemque se penitus Catholicis addiceret; id postquam Lutheranus Minister intellexit, continuò inter pocula, in suggestis, in tribunalibus debacchari & furere eò vsque, vt Lutheri sui desertor adolescens, defuncte sororis hæreditate cum infamia deijceretur, quinimò semisse patrimonij iam ablato pergit agere furialis Mystes, vt omnibus porrò facultatibus innoxium exuat. Hic tum nõ modo conuitia, sed & rapinam bonorum suorum cum gaudio sustinet, adeòque dictitat, pro gemma fidei quã tanta Dei misericordia consecutus sit, libenter se omne terrenum matrimonium velle pacisci. Admirationi fuit voluntarium exilium matronæ ex Hassia huc profectæ; Cassellis hactenus inter Lutheranos, vtcun-

que vitam traxerat: nunc postquam Luthero pulso Caluinus illuc intrusus est, nec potuit mulier consistoriali violentiæ obsistere amplius, patria sibi cedendum duxit; idque eò magis, quod filioli quem vnicum habebat, simplicitati callidi serpentis gemina insidiabantur. Venit ergo huc omnium rerum egena, & quanquam prima nocte sub dio cum filiolo dormire coacta esset, non est fracta animo, perinde Cõfirmationis Sacramẽtum, & quidvis elegit ferre potius, quam habitare in tabernaculis peccatorum nostro tum consilio, & auxilio miseræ subuentum. Alterius fœminæ castitatẽ illustrauit. Infortunium domesticum. Ciuis honestus, qui æs alienum ad præstitutum diem non soluisset, in carcerem ducitur; vxor eius inter alios potentem quendam & pecuniosum solicitat, vt mutuum det. Promittit ille, sed non nisi infami pactione adulterij, ista hominem execrata domo se proripuit, fidem marito datam, pecunia potiorem ducens. Clarioremetiam Sacerdotem quendam sua paupertas fecit, quàm alios latifundia, & vndecunque conquisiti Sacerdotiorum tituli. Agebat hic è nostra olim disciplina in oppido finitimo sacellanum; iam eò redactus erat inopiæ, vt domi neque edulij, neque pecuniæ quicquam supereresset, præter vnicum nummulum & hoc candela erat emenda ad lucubrandum pro sequentis die concione; sed ecce dum mater vidua domus curatrix emptum ire parat, mendicus ecce emosynam petit. Iubet ille dari, vel vnicum concionis præsidium. Itaque incœnati ambo, filius cum matre in tenebris diuina luce pleni, & diuites sunt Christo sanctis colloquijs perfruuntur. Quid fiet? Adest

Adest mox à Præfecto loci nuntius, ad cœnam vocat: quod cum fieret die profesto, & serò, & ab eo quisciret altero die concionaturum, diuinam agnouit prouidentiam famulus Christi, & ad matrem: respexit, inquit, paupertatem nostram Deus. Ego ad cœnam vado, tu me post horam sequere, quasi domum reductura. Sic ad mensam tu quoque adhibebere, & candela dabitur abeũti. Porrò inter cœnandum familiariter exponit Præfecto, quid actum sit; Ille admiratione tantæ virtutis, & commiseratione paupertatis, lachrymas tenere non potest; et immissa in saccum manu, quantum nummorum complecti valuit, obtrudit inuito. Accipe, inquit, eme tibi candelam; recusat nihilominus Sacerdos, oritur iucundum certamen paupertatis, & liberalitatis, sed vicit hæc tandem. Coactus ille munus accipere, postridiè, vt argenteæ monetæ mistos aureos aduertit, redit, orat, saltem aurum per ignorantiam datum recipiat, Præfectus: At hoc, Deus, inquit, tibi dedit, non ego. Venio ad ægros, quorum non animis tantum; sed corporibus ét salutare nostrorum auxilium fuit. Ciuis per iram iræque comites blasphemias, ac iuramenta in grauem morbum amentiamque inciderat, huic Sacerdos noster rei medicæ gnarus primùm corporis, mox etiam animi medicinam fecit. Idemque alium genere & dignitate Ecclesiastica clarum, quem ob vehementissimã phrenesin vinculis ex perpetua custodia cohibere necesse erat, & furore liberauit, & á noxis expiatum ad sacram communionem perduxit. Iam verò excursiones in varia loca factæ multiplicem frugem retulerunt, Sub Natalem Domini Comburgum euoca-

tus noſter, ciuium, canonicorum, nobiliũ plurium excepit confeſsiones. Fuit in illis virgo nobilis, quæ vt falleret cognatos hæreticos, à quibus Halæ Sueuorum ſic obſeruabatur, vt nè in proximum quidem pagum eundi, ſacrorum cauſa poteſtas eſſet, per cauſam inuiſendi conſanguineos, iter extorſerat. Sereniſsimus item Archidux Auſtriæ Maximilianus, cum per ſanctioris hebdomadæ dies in Carthuſiam duobus tantum comitatus, ſeceſsiſſet, poſtulauit è Collegio ſpiritualium exercitationum Ducem, conſcientiæque arbitrum, de cuius manu & Sacroſanctam Euchariſtiam ſumere voluit. Sed latius patuit Catechiſmi fructus. Dominica Paſsionis ſeptem Catechiſtæ extra vrbem docere cœperunt magno concurſu, & approbatione etiam adultorum. De Agno Dei ſimilibusque ceremonijs cum eſſent edocti, mirus ardor perendum ſacra munuſcula fuit. Et auxerunt veneratio em ea, quæ diuina bonitas ſupra naturæ ordinem ad confirmandos ſimplicium animos dignata eſt operari. Inter omnes conſtabat, & puellam & adoleſcentem honeſti viri filium, à febribus aduerſus omnia remedia contumacibus, appenſa ſacra cera liberatos eſſe. Puerorum profectus vt in maiores natu redundet, hoc vno exemplo diſcere licet. Honorati ciuis filiolus cum domi parentem maledictis execrationibuſque perſtonantem audiret, memor eorum quæ in Catecheſi didicerat acceſsit, obnixeque rogauit, nè Deum offendere, animæque ſuæ exitium adferre velit. Pater intempeſtiuum monitorem alapis reiecit; verum hic, quàm zelo diuni amoris ſuccenſus,

tam

tam paternæ iniuriæ tolerans, ſupplex ad genua furentis accidit, eademque illa per Chriſti ſanguinem rogat. Attonitus virtutis conſtantia parens, non modo in præſens iram poſuit, verum etiam in poſterum & verbis in DEVM, Sanctoſque iniurioſis temperaturum filio, amiciſque præſentibus promiſit. Porro ſcholas, quæ ſupra mille capita numerarunt, præter indigenas nobiles, Cathedralium Eccleſiarum Canonicos, variorumque Ordinum Religioſos non parum illuſtrarunt dynaſtæ Poloni, & in primis Illuſtriſſimi Principes Nicolaus Chriſtophorus, & & Stanislaus Albertus Raziuillij, Olicæ, & Nieſibicij Duces; tum Stanislaus Saphieha magni Cancellarij Lituaniæ filius, qui modeſtia, pietate, ac litterarijs exercitationibus pulchrum cunctis præiuere exemplum. Pietatem cæterorumque diſcipulorum varijs ex rebus ſpectare licet. Ex ſolis mediæ Grammatices Auditoribus quinquaginta confeſsionem generalem peregerunt, ad eandem peragendam 30. Catholicos, octodecim hæreticos impulerunt: alij integras familias adduxerunt. Vidiſſes hic puerum parentes ſuos cum reliqua familia (nouem erant) gregatim ante ſe, ad vnum ſacerdotem præmittere. Nouiſsimus confitetur ipſe, ac deinde ſimili ordine ad ſacram menſam præeuntes, quaſi Paterfamilias ante annos curamque gerens, animumque virilem, inſequitur, & vt recte omnia, decenterque gerantur, adiugilat. Die feſto B. P. N. communicarunt 300. Quatuor adoleſcentuli conceptum Societatis in eundæ propoſitum, vt ſecundo Numine firmarent, in

oppidum

oppidum Dettelbach B. Virg. patrocinium implo-
ratum iuêre nudis pedibus, & velut Societatis expe-
rimentũ facturi, per viam mendicato vixêre, nunc
etiam frequẽter ad colloquia pia, & corporum fla-
gellationes conueniunt, vt religiosæ asperitati sen-
sim assuescant. Non est prætereundum studium
quo alius quidam puer Litaniarum vsum in fami-
liam induxit. Audierat è Catechista, quàm sancta sit
hæc consuetudo quotidie Diuos inuocandi, multis
precibus impetrat, vt Litaniarum libellus ematur,
tum omnium domesticorum animos pertentat,
hortatur, trahit etiam vt vna comprecentur. Ve-
rum dum alios vrget, alij diffugiunt. Ergo cum irri-
tos conatus sensit, studium vertit in iustam indi-
gnationem, &, Quænam est, inquit, hæc segnities,
nemone est, quem orare delectet? Ego vero solus
orabo & vos confundam omnes; ac tum quidem
orationis socios aliquot habuit, postea die moẽt pa-
trem, ait se non posse familiam ad orationem adige-
re, ipsum esse patrem familias, ipsius esse mandare,
quid fieri velit; & hæc omnia confirmat authorita-
te Cathechistæ. Parens ergò pueri consilio obsecu-
tus totam familiam orationi interesse iussit, atq; ita
sanctam consuetudinem domus vniuersa comple-
xa est. Partheniorum Sodalium pietatem quam
gratam Dei mater habeat, re quandoque declarat.
Ludimagister quidam ad Sodalitatem adscriptus,
difficili morbo conflictabatur, vouit Deiparæ præ-
sidi decem florenos ex sua tenui, si conualesceret;
mox conualuit, & voti reus Herbipolim veniens
promissum soluit. Amicorum in nos beneuolentia
testata est eleemosynis, quæ trecentos florenos fa-

cile

cile excedunt, & sacra supellex calice, duobus scyphis inauratis, & marmoreis statuis aucta est.

COLLEGIVM FVLDENSE.

FVldensium Sociorum studium singulare fuit in ijs quæ triennio parta, tuendis, & amplificandis. Et quoniam hæresis iam palam exclusa, quadraginta tamen ab errore reuocati; in cæteris subleuante iam nos lege, qua nemini ciuitas, aut tribus datur, qui non Catholicè viuere statuat. Cuius legis tanta quoque ratio nunc habetur, vt cum è Senatu primarij de exulum reditu aliquid inaudissent, se potius Magistratu abituros, quam daturos locum exulibus, professi sint. Vsus quoque Sacramentorum, tum anni præcipuis festis, tum Iubilæo nuper à Paulo Quinto Pontifice concesso præcipue viguit. Incidit in hunc annum, & huic Ecclesiæ luctuosus, & ditioni nimis immaturus, Reuerendissimi Balthasari Principis Fundatoris excessus. Is per tritam tot annis à se pietatis & Religionis semitã ingressus, templum assidue nostrum, & conciones frequentabat, hocque virtutis exemplo familiam & aulam trahebat, ciuiumque complures. Iam disciplinæ veteris commouebat prope sepulta fundamenta: iam gnarus breuis æui, memorque Ecclesiæ suæ, idoneum optabat successorem: Iam Iudæorum fraudes, & exitialia huic ciuitati fœnora oppressum ibat: iam denique ditionis suæ ablata pignora, iuraque reuocabat, quo validius resisteret ijs, qui Ecclesiam hanc à prauis, vel erroribus, vel moribus conualescere nollent. Hæc, inquam, omnia intentior, ac vigilantior

agebat,

agebat, cum mors acerba, iuxta ac inopinata cœptis interuenit. Octiduo ante, cum nuntium de Ioachimi Hersfeldensis Abbatis, & Principis obitu accepisset, mira æstuare cura visus est, vt Ecclesiam illam ex insidiantiũ, adeoq; iam imminentium hostium periculis eriperet. Literas itaq; ad Cæsaream Maiestatem, & Nuncium Apostolicum vtrumq; ue Pragam, Coloniamque dedit, omnique studio hoc excitauit, ad opitulandum periclitanti Abbatiæ. Aderat decimus quintus Martij præcidaneus S. Benedicti, cum horis Canonicis recitatis mane ad quotidanum sacrum audiendum, se parabat, paucos ante dies ritè expiatus ipse fecerat. Senfit illeo rheumate opplente venas eum rigorem artuum, vt pileum quadratum vix capiti imponeret. Sed res diuina negligenda non erat; cum igitur ad exitum vsque hinc intendit, subiit stupor, rigorque membrorum & apoplexiæ comes Lethargus, erant autem in manibus Vincentij Bruni meditationes, & locus vbi destiterat, Agon erat Christi certantis in horto. Tenuit morbus horas circiter quindecim, cum in aulæ totius corona magno mœrore, luctuque circumsistentium secunda vigilia noctis inter astantium crebros singultus & lachrymas, animam immortali memoria dignus Princeps efflauit. Affuêre de nostris quatuor, qui opera sedulo morienti nauata, composuêre quoque exanimem: non humandum tamen loco, quem elegerat sepulturæ. Vigesimo secundo Martij, quæ sanctioris hebdomadæ erat feria quarta, cooptatus in locum defuncti, successor Ioannes Fridericus à Svvalbach, Decanus principis Monasterij. Is ab adolescentia in

Socie-

Societatis disciplina partim Fuldæ, partim Dilingæ educatus, & Moguntiaci demum ex Rhetoricæ studijs, & nostrorum Conuictu ad presbyterij honore euectus. Moderandę successioni Archiepiscopus Moguntinus Elector tempestiuè legatum submiserat doctrinæ, generisq; præstantia virum egregium, qui in magna rerum fluctuatione dignitatem Catholici Principis præclare sustentauit, & orthodoxæ pietatis hic inusita documenta reliquit: nam feriis sacratioribus peraduenarum & hospitum accessum licentius agente aula, ipse nobilium agmine comitatus ad Collegiũ accessit; & quo paratior ad Paschalia Sacramẽta veniret, apud nos in otio sancto diem posuit, cæteros aulicorum ad idem inuitans studium. Cæterum Balthasari diulgata morte, res nouas spectare visi non vno loco subditi, nam è nobilibus fuit, qui actutum Prædicante reuocato, Catholicum sacerdotem templi foribus arcuit, & Hamelburgensiuum sentina veteris sectæ desiderio Pascha Catholicum auersabatur. Fecit ergo proinde nouus Antistes, vt illic expeditorum equitum misso globo Catholicũ restitueret; hic publico proposito edicto, quod ad totam ditionẽ manauit, Catholicam communionem iuberet: vtrimque Principis orthodoxi, & decessoris vestigijs inhærentis existimationem inferret. Hinc à superiore Collegij recẽs electus de honoris ingressu submisso compellatus, & de patrocinio non deserendo Societatis, benignè verbis promisit omnia, & prolixius re præstiturum affirmauit. Cuius animi hoc anno certè non obscura varijs in rebus experimenta tenemus. Enimuero altaris longe sumptuosissimi reliquas impensas lubens

lubens ſuſcepit, omniaq; ex aula erogari ſolita ſubſidia ad hoc temp⁹ benenolè præbuit. Ad hæc miſſitandis ferinis, & inuitatione crebra, alijſq; officijs eum ſe aduerſus Collegium exhibuit, vt animũ illi hunc manere perpetuum valde quidem optandum ſit.

Benignus Morellus ingenioſus & peritiſsimus ſcribẽdi Magiſter, varijs obitis Prouincijs, cũ in hac noſtra diuerſis in Collegijs adoleſcentũ ingenia ad accuratè ſcribendum ſua docta manu excitaſſet, artisq; mercedes in exẽplaria typis exprimenda, quę que alias vſui, conſumpſiſſet, inops, æger, & omniũ egẽs rerum Fuldam venit. Hic graui in morbo, per noſtros hoſpitio, & medico procurato, ſuſtentatus eſt, & cum ob fœditatem hydropis, peregrinũ hominem, reiq; paruę, refugerent oẽs, noſtri ad extremum miſello aſsiſtere, ſaluté eius regere, & pie defunctũ funere honeſto efferre, pium duxêre. Quin & orphanos ab eo relictos deſtinauerunt Bizontiũ in Sequanos, vnde ille oriund⁹ erat. Maior labor noſter fuit, in conſeruandis bonis nõnullis, qui à Principis morte, cuius gratia floruerant, incurrêre in æmulorum inuidiam, odiaquè. Horum nonnulli ex gladiorũ, & vitæ præſenti diſcrimine erepti, & cum primoribus vnde extrema illis imminebant, requiſita quoque in id Principis auctoritate, in gratiam reſtituti. Quo in genere virtus etiam ſpectata Vicecancellarij, qui cũ ex Vrbe reuerſus, impetrata confirmatione noui Prę ſulis, Sodalitatis Parthenię Prę fectus eſſet electus, duos à quibus ſacra iuriſdictio ferè dependebat, cum eo recõciliauit, cuius in Cleri tuẽda diſciplina, defunct⁹ Antiſtes opera fideli vſus

fuerat

fuerat. Magna Collegio existimatio accesit, cum Septemvirûm Legati Fuldam ad initium Autumni accersiti, præsentib. Cæsaris Legatis Truckcesio, & westernachio, hic diætam habuere. Venerunt ad nos perhumaniter, & sæpè tum Cæsaris Orator Truckcesius, tum Catholicorum Principum tres Cancellarij, & his adiuncti nobilitatis primores, seminarium & Conuictus disciplinam collaudarunt. Cancellarius quoque Saxonicus diligenter quæsiuit in disciplinam legesque scholarum: & Exemplar Regularum, & Elenchi librorum secum abstulit. Actũ & etiã impetratum à Principe nouo, vt quod fieri desierat, alumni parœchijs, & Ecclesijs olim præficiendi restituerentur, solitisque auxilijs subleuarentur. Itaque varijs ex Scholis nostro arbitratu adolescentes delecti, & nonnulli ad Sacerdotium promoti. Cœnobitæ Blasiani ab vsq; Hercynia huc olim ad studia missi, cum iam profectu haud mediocri auocarentur, curæ fuit, priusquam abirent, ex ijs maturiores quatuor exercitijs spiritualib. perpolire, spe redundaturi fructus in celeberrimum monasterium.

COLLEGIVM HEILIgenstadianum.

HEiligenstadij nostrorum opera domi, foriſque optatos manipulos tulit. E scholis duo adolescentes Rhetoricæ studiosi in Societatem transcripti, alij ad alias Religiosorum familias transiere. Ad Ecclesiam Catholicam qui vrgentibus Archiepiscopi mandatis, & nostrorum indefessis studijs

incitati, ac demum erroribus, & noxis expiati redierunt, non gentilismũ numerũ attingunt, in quibus Ciues minimum centum, plurimi senes ac decrepiti, quos diuina prouidentia in hunc diem salutis reseruasse videtur, non pauci quibus ad antiquam fidem hæc felicissima calcaria iam pridem in votis fuerant, plurimi etiam, qui mire hactenus obstinatos præbuerant sese, adeoque duces cæterorum in errore fuerant. Facile in his primas tenet nobilis fœmina Archisatrapæ nostri coniux, quæ post tot annorum certamina, cum ægerrime deprauatas opiniones abijceret, tandem cessit veritati. Credibile est eius in pauperes, & morbidos quoque egregiam beneficentiam Deo curæ fuisse. Ausim dicere neminem vnum hic locorum, vbi medicus nullus, nullus pharmacopola, maximum, minimum ægrotare, quem rogata non consilio, reque omni medica, quam ipsa habet & conficit, gratuitò iuuet, ac recreet.

Fuit alia in hoc genere ab infantia Lutherũ edocta. Hanc cum maritus laboraret Ecclesiæ adiungere, nihil magis obstabat, quam altè olim de Eucharistiæ mysterio scrupulus infixus, quem vt eximeret sibi mulier, (nec enim reluctari diutius tutum putabat) pro candore, & simplicitate ingenij precatur Deum, si Catholici rectè sentiant de sanctissimo Sacramento, id signo aliquo compertum faciat; Exauditas fuisse preces id pro argumento habet. Vbi confessione reiecit hæresin, & sacram in templo nostro mensam adit, ecce in manu Sacerdotis visa est videre coruscantem hostiam,

hostiam, ac velut rubescentem, mox etiam in ore viuo quodam motu se agitantem sentire. Idemque ab illo tempore, quoties diuinam Synaxim repetit, ait sibi euenire. Maritus re cognita peccatum aliquod vxoriæ leuitatis veritus, nostri Sacerdotis iudicium exquirit. Is etsi fœminæ preces damnare non audet, monet tamen in posterum, vt ceu confirmata iam fide, denuo precetur ostentum illud sibi tolli: nimium enim quam faciles dæmonum illusionibus muliebres animæ. Nec vero impunè tulere, quibus neophytorum pietas ludibrio fuit.

In Pago Oberfeld non longe Duderstadio, (quo nostri sub Paschatis ferias excurrerant, operamque confitentibus dabant) vt quinque puellas citatiore gradu ad templum pergere cernit, occlamat ludibundus sannio; Heus ferte gradum citius, ne indulgentiarum iacturam his nundinis faciatis miserlæ. Procedit deinde ad proximum pratum salices decapitaturus. Id dum agere incipit, amputat sibi miser digitum indicem stirpitus: medium vsque eò, vt extrema cute tantum hæreat, & postea vulnerarij iudicio resecandus fuerit, annularem denique sic conuulnerat, vt ægre curationem acceperit. Agnouit tum Dei vindictam, & inter Chirurgi manus: O vtinam, inquit, cum puellis, & ego templum petijssem: expiassem animum, & manum integram possiderem.

Porro Auxiliaris quoq; Mons Saluatoris, ex more nostrã est operam expertus. Adscribã quod inter

cœtera sacri illius loci miracula iure numeretur. Eglingenrada pagus est in agro Duderstadiano, huius incola Andreas Spilner, duob. tribulibus comitatus specum quendam ingreditur, margam terram fœcundandis agris eruturus. Dum instant operi, ruit supernè maxima terræ moles, hominemque penitus opprimit. Accurrunt socij, magnoque nisu ad alteram vsque horam, in amolienda terra desudant, tandem vt primũ cœpere caput hominis, sed sensu destitutum conspicere, reliquo adhuc merso corpore, mortuum rati, domũ properant, tristissimæ rei nuntij. Erat oppresso coniunx Margaretha nomine, quæ simulatque tristem casum accepit, in genua prouoluta votum vouet eiusmodi. Virum, inquit, meque ipsam sistam monti Saluatoris, si superstitem ipsum recipiam. Inde omnes pene è pago ad specum. Eruitur reliquum infossi corpus, deforme, attritum: os quatuor in partes fissum hiat; dentes anteriores faucibus ingesserat terra, dorsi, quam vocant, spina confracta, comminutæ spinæ, rupta vesica. Vnus adhuc animus leuiter spirabat inter dolores. Opem negat medicus, sed non negat Christus votis imploratus, cuius Numine factum est breui, vt collectas vires attritus persentisceret. Veruntamen vt illustrius sit Dei beneficium, malum malo excipitur. Pus enim, humorque multus in collo collectus, faucos intercludit spiranti, nec quicquam propius, quàm mors altera; quid faciat vxor? alterum votum concipit. Duas ex cera candelas vouet: alterum D. Virgini & S. Valentino Tutelaribus pagi; alteram Saluatori in monte, nec frustra,

damna-

damnatur voti; detumescit humor, pus abit. Instat peregrinationi sacer dies Pentecostes. Ibi tum duobus nixus fulcris Andreas, ad salutarem locum per quatuor bene magna milliaria arreptat, tam fœlici conatu, vt, quo propior abest, eo vires animūq; sentiat validiorem, quem vbi in monte confessione expiauit, rem omnem ex ordine vnà cum vxore Sacerdoti nostro pandit. Demum à sacra Communione ita sibi restituitur, vt scipionibus quibus innixus fuerat, pro anathemate suspensis, pedibus suis eadem die (cum vna hora ante meridiem monte descendisset) domum suam tanto locorum interuallo sanus, integerque reuerterit. Narrauit idé nō multò pòst Patri nostro, nihil animæ suæ fortunatius hoc infortunio accidere potuisse, quod quidem visus sit sibi illa ruina sempiternam mortem euasisse, qua etiam nunc dignissimus sit, nisi immortales Seruatori suo gratias habeat. Vnicã sibi sub terrea illa mole sepulto cogitationem hanc indidem recurrisse. O quò iam abis hominum miserrime Andrea?

Varias Diuorum Reliquias, quas Collegium nostrum iam ab annis viginti velut depositum in priuata custodia habuerat, nunc demum in publicum protulimus, & honestissimo loco circum altare summum in pictis, auratisque thecis collocatas, populo venerandas proposuimus. Erant eæ à Reuerendissimo D. Nicolao Elgardo quondam Suffraganeo Erfordiensi, viro optimo & nostri Ordinis amantissimo, diuersis ex locis hęresi potissimum infectis magno studio conquisitæ, & Societati testamento legatæ. Sed incertum adhuc fuerat, huic ne

Collegio manerent, an in spem erigendi olim Erfurti Collegij reseruarentur. Igitur existimauimus minimè cõmittendum, vt diutius honore publico carerent tam precioſa Diuorum pignora.

Reuerendiſsimus Princeps annuum vectigal auxit nobis viginti quinq; modijs frumenti. Erfordiani Canonici ſemitria vini plauſtra dederunt. Alij alijs muneribus ſuam in nos beneuolentiam teſtati ſunt. Canonicus quidam D. Martini templo noſtro 90. daleros moriens legauit.

COLLEGIVM MOLSheimenſe.

AD Eccleſiam ab hæreſi rediere 14. quorum vnus Saxo Latinè, Græceq; doctus, cum multas Germaniæ vrbes peragraſſet, paſsim cum varijs de fide diſceptando, aſsidueque legendo Bellarminum, tandem huc appulit, & octidui opera conuictus, hæreſim palam ex Formula Tridentini Concilij deteſtatus eſt, indeque cum multis lachrymis, ieiunijs, & aſsidua precatione ad diuinorum myſteriorum participationem acceſsit. In fide confirmati complures, & Sacramentis etiam præmuniti, præſertim opificiorum tirones, cum in hæreticorum ditiones peregrè abeundum fuit.

Multam dixere vicini hæretici 50. florenorum, ſi quis Catholicorum ſacris interſit: Sed impia decreta pijs maiores animos faciunt. Ad nos vſque frequentes audiendæ rei diuinæ, & Sacramentorum percipiendorum cauſa excurrunt. Nobilis matrona hanc ob rem ad magiſtratum delata, &

rogata

rogata cur edicto non paruisset? Deus meus, inquit, non est mihi 50. florenis venalis, nec si hos vobis pendam, fame sinet emori.

Alia sub verni Ieiunij finem huc euolauit clam marito. Minatur ille redituræ mortem, filiolum, quem patre inuito mater scholis nostris erudiendum tradiderat, miserè flagellauit, vt eliceret an mater apud nos Sacramenta adisset, sed vicit pueri generosa patientia immanem patris feritatem, idemque postea inter cognatos suos opulentos homines liberè professus est, summam nobis iniuriam fieri ab ijs, qui fidem & humanitatem nostram calumniãtur. Scholæ nostræ post ferias Paschales in nouum domicilium immigrarunt, excitatque discentium animos non modo loci splendor, & amplitudo, sed lumina quædam nobilitatis, & in his Barones quinque, quibus ipsis & toti gymnasio virtute sua, & eximia discendi alacritate prælucet Illustrissimus Princeps D. Ernestus à Croy &c. iam plures annos nostræ disciplinæ alumnus, & modo summum inter Rhetores principatum egregie sustinens.

Non obscuro diuinæ opis indicio cuidã ê discipulis nostris res accidit. Laborabat is dysenteria 10. quintum iam diem non sine acri dolore, & ingraueſcebat malum. Accersitus Præceptor imaginem B. P. N. Ignatij osculandam præbet ægro, simul hortans vt in eiusdem honorem rosarium recitet. Fecit adolescens, & postridie incolumis prorsus ad scholas redijt. Ad noui Gymnasij absolutionem, accessit alterum ædificium, quod mole quidem minus, at nostris vsibus per commodum

extruximus ; Vtraque in ſtructura magnam experti omniũ in nos Ordinum beneuolentiam. Illuſtriſsimus Cardinalis, ac Princeps noſter, duo millia contribuit, idemque cum æſtate pene media hanc ſuam Diœceſin luſtraret, humaniſsimè Collegium noſtrum & ſcholas inuiſit, exceptus à iuuentute vario carmine, mirificam oſtenditanimi ſui & vultus ſerenitatem, quæ & alibi paſsim relucens vniuerſam Alſatiam, adeoque & ipſos fidei hoſtes lætificauit.

COLLEGIVM CONfluentinum.

COnfluentiæ Pater Simon Lieb diem obijt extremum, quem diu in votis habuerat, accidit vt nimiopere vrgente vi morbi, abſoluta re diuina in templo, corporis ergaſtulo animam iam laxandam ſperaret, ſed retentante ipſa adhuc ſeſe, ſermone ad orantes conuerſo: parcat, inquit, vobis Deus. Illis ſciſcitantibus quidnam verbis illis ſignificare velit? Cur, inquit, non permiſiſtis me emigrare? Annos habebat 42. quorum viginti quatuor in Societate egerat, humaniores, ac Philoſophicas diſciplinas fuerat profeſſus, concionibus etiam latinis cum laude habitis ad germanicas, ſpem afferebat magnam, puritatis animi erat ſtudioſiſsimus, obedientiæ ſeruans etiam in ardenti morbo; amorem pariter ſpirabat in Deum, & in Socios, vt merito & Simonis, id eſt, obedientis nomen, & Lieb cognomen, quod amorem apud Germanos ſonat, ſibi vendicare potuerit. Miſsi ad

prima

prima Societatis tirocinia duo, ex officina sartoria adolescēs vnus, alter sutor. Grauiter ferebant parentes cuiusdam nouitij in Societatem ingressum, & multo grauius Auia; hæc quodam die mane inopinatò inuenta est mortua in lecto; irato an Numine, vt quidam arbitrabantur, an pacato, haud \anum.

Donauit senatus in Templi nostri structuram 100. daleros. Matrona nobilis in eandem rem 60. florenos largita est. Nobilis satrapa 200. florenos pro fœlici anni auspicio. Quædam pia Virgo, pro perenni lumine ante sanctissimum Sacramentum totidem. Clausit superiorem annum beneficium integerrimi viri ex Ordine Ecclesiastico 100. florenorum, vnde annua pensio Collegio cedere possit. Alius ex eadem Ecclesia Bibliothecæ 25. florenos moriens reliquit. Ecclesiæ ornatus alijs rebus, tum noua casula, & candelabro pensili, cuius pretium non infra 50. florenos, Itemque bifronte effigie pensili B. Virginis faberrime sculpta auctus. Summi etiā Pontificis Legati tres, dum hac transirent, magnam erga nos declararunt beneuolentiam, partim quòd Collegium visitarent, partim quòd nostros sibi in aula Principis adesse vellent, vbi ad commendationem nostram, plurima apud aulicos de Societatis opera, & industria deprædicarunt.

COLLEGIVM PADERBORNENSE.

ANnus vnus plures Collegio absumpsit, quàm omnes cæteri, quibus Paderbornæ degimus.

Nam domi sunt duo, foris verò in castris totidem extincti. Inter quos iure primus nominatur P. Iacobus Risvvick Nouiomagus; quatuor votorum professus, vir obseruantia erga superiores singulari, morum suauitate domi, foriſque carus: litterarum humaniorum peritia Græcè, Latineq; eximius, habendis concionibus, scribendis litteris, promouendis negotiis, ad stuporem vsque promptus. Animarum Christo adiungendarum ità cupidus, vt magni Canisii cognatum non tam sanguine, quàm solida virtute diceres. In aula generosorum Comitum Ritbergensiũ annos omnino quinque operam nauauit perutilem. Illi de conuersione serio consilium agitantes, cum à R. P. Prouinciali veritatis Ducem, & vitæ Magistrum hunc Patrem impetrassent, morum ille candor, & simplicitas, calliditate magis vacua, quàm prudentiæ expers, ita rapiebat, vt cuius virtute hortationeque perspicuos modestiæ, ac pietatis flores per aulam passim emicare cernerent, multis eum precibus sibi retinendum ducerent. Nec potuit tam feruens viri caritas angustis concludi finibus, foras exire gestiit, in vicinas arces & monasteria non sine fructu. Multi hoc authore Lutherum & Caluinum deserentes veritatem Catholicam respexerunt: multi vitiorum cœno emersi magno salutis bono, meliorem vitam aggressi sunt. Hic verò tam pręclarus proximo iuuandi ardor, cum semper habuit segetem & materiam; tum hoc anno in castris, quò generosum Comitem prosecutus est, inuenit singularem. Hic enim militi ob continuam cœli intemperiem morbis grauiter tentato, aut vrbium oppugnationibus attrito, corporalem

poralem iuxta & spiritualem opem liberalissimè impendit. Sed dum indefessus morbidorum quasi parentem agit, visum est Deo, vt in opere caritatis tam illustri, sibique grato, vitam poneret. Itaque Bercæ 15 Octobris maximo & nostro, & externorum dolore migrauit feliciter ex hac vita, anno ætatis 48. quàm venit ad Societatem 30. Non diu pòst, quem socium in castris habebat, P. Cornelius Arentz Bruxellensis in simili caritatis opere, vitam amisit temporalem, natus annos 53. quorum 24 in Societate consumpsit. Vir erat parsimoniæ, & paupertatis studio apprime deditus. Caritatis vero documenta, cum aliàs in contagiosa lue contactis forti animo adeundis, tum sub vitæ finem in miseria militũ subleuanda, dedit illustria. Isti foris vixerunt. Domi diẽ clausit extremum P. Franciscus Nonhemius, Coadiutor formatus, natus annos 46. ex quibus in Societate 23. Deo consecrauit. Præter comitatem qua gratus domesticis æque, ac externis erat, hæreseos passim extirpandæ studio flagrabat ingenti. Nihil illi optatius, quàm doctrinæ Catholicæ hostibus meliorem credendi viam ostendere, quem in vsum præsidia habebat parata. In vltimo tandem vitæ actu earum virtutum exempla præbuit, quæ tam excellenti vocationis beneficio, & huius Instituti alumnorum nomini sunt consentaneæ. Nam ex quo cœpit ob ingraueſcentis morbi vim affigi lecto, præter patientiæ exemplar, auidissime corporis dissolutionem expectabat. Deinde fractis & semimortuis verbis palam dictitabat, se eam caritatem Societatis non esse promeritum, sed dignum potius

potius qui proijciatur, & ab omnibus conculcetur, quæ suprema eius contestatio ad circumstantium animos & aures non sine motu accidit. Subsecutus est illum non diu post operis extremi adiutor Martinus Gilsdorff, quem maligna febris absumpsit. Vir erat miræ simplicitatis, obedientiæ, & toleratis per annos 26. in Societate laboribus Marthæ, insignis.

Errores improba sentientium exuere 16. Silentio præsis qui domi foriſque in Missione Ritbergensi cum proximi vtilitate gesta sunt. Nam etsi nó paruus esset numerus illorum, in quos emolumétum comportarant nostri, ne tamen ista ordine perscripta ad nos deferrentur, mors inuida prohibuit. Tantum libet apponere, quę diligentissimus Pater Iacobus Risvvick, paucis ante mortem diebus, ad R. P. Prouincialem properante calamo scripsit. Nobis, inquit, occupationum est affatim, apud Germanos, nauticosque, & multi ad cor redeunt, fidemque patrum, morbis, officijs, monitisque pijs subacti. Erat Brunscvvicensis legio recens ex intemperie intemperantiaque obnoxia præcipue castrensi morbo, quo tamẽ pauci exanimantur. Hęc dum transrhenanam in stationem migrabat, in mapalibus ægros humana ope destitutos reliquerat, vt fame, negłectuque curationis vel enecarentur, vel extabescerent. Factum casu, vt hi ipsi à vicinis inuenirentur Hispanis, qui admirabili caritate statim complexi miseros, quamuis hæreticos, optabant adesse nostros. Accurrit Patet Cornelius, in clinicos, inopesque perquam officiosus, & adiuuantibus liberali impensa Hispanis, ferme

me ad vitam mortuorum similes vmbras reuocauit, pollicitique sunt varij ad religionem, & Sacramenta percipienda. Qui autem exanimati in tuguriolis sunt reperti, adiuuantibus libenter Iberis, sunt consepulti. Ab his manauit in nostros quoq; milites languor, vt proinde iam potissimę occupationes meæ sint, totus ferme dies circuire mapalia, solari semianimes, præbere Sacramenta, esculentis, & pecunia infirmos recreare, perque eam occasionem excitare alios ad pietatem. Nec desunt hic satis bonę eleemosynæ leuandis decumbẽtium necessitatibus. Comes enim, vti est pius in afflictos, è culina cibum languentibus oportunum perlibenter suppeditat, ac minaciter cogit Centuriones, vt accurate infirmos curent. Euocamur quoque ad baptismum, funerationem ac similia, quæ Patres nostri passim hic obire solent. Et iam iamque naualem operam, Ein Bootgesell / pie instructum Sacramentis, prosequente longa stipendiariorum nauticorum linea, sepeliam. Vale in Christo mi Pater, memor nostri & piorum Comitum, Ad ripam in conspectu Pherckæ 20. Septembr.

E vicino oppidulo ciuis, nostræ quondam disciplinæ alumnus, in maritimum emporium Caluiniana fece oblitum negotiationis causa iter intenderat. Hic apud complures sermo incidit de Iesuitarum felicitate, industriaque iuuentutis formandæ: cuius rei fidem ipse faciebat hospiti præsertim, quod cum exiguum, vt palam fatebatur, temporis obijsset scholas nostras, Gymnasiarchæ tamẽ vrbis, qui tũ forte aderat, palmã latine loquẽdi præri-

di præripere videretur. Quid multa? Filium hospes licet Caluinianus Paderbornam adducit nostro arbitratu erudiendum. At filius in literas strenué incumbit, vt speremus eius exemplo plures, vt huc doctrinæ causa commigrent, aliquando commouendos. Alius quoq; qui Scholas adhuc obit, cum amicorum, vel inimicorum potius hortatu ad hæreticum gymnasium ablegaretur, intellecto fidei naufragium imminere, quo equo venerat, eodem postridie reuolat Paderbornam, præoptans salua fide, quasuis deuorare molestias domesticorum. Deo nostram incolumitatem curæ esse, vel hinc liquet. Sacellum est suburbanum à Roma indigitatum, quod natu maiores ferunt prodigijs olim cœlestibus claruisse, sed ex quo Lutheri fermentum his in locis inualuit, neglectu, situque cœpit squallescere, vt tantum non rueret. Ad illud igitur restaurandum adiecit animum Reuerendissimus, & restauratum Societatis esse voluit. Id liuidi non ferentes, quanto nisu possunt, falsis rumoribus Principis voluntatem mutare satagunt, quæ licet aliquandiu nutare videretur, postea tamen confirmata est, nobis non tantum sacelli possessione tradita, sed etiam vectigali, quantum vini ad sacrificandum sufficeret, in templo nostro attributo. Aliorum quoq; liberalitate supellex sacra cepit incrementum.

Collegium Monasteriense.

Matrona quædam pia, domo quidem nobilis, sed, vt est rerum humanarum inconstantia, ad eam redacta inopiam, vt corrogata stipe victitet, eum ex more templum itaret nostrum (vbi à pri-

primo pene sacro ad postremum vsq; perseuerat) fallente gressu prolapsa frangit crus, in cuius curatione dum eleemosynis adiuuatur, vetula, qua cum habitabat, pene centenaria, Luthero plena verbis blasphemis exagitat miseram, eoque progreditur os impurum, vt illam simulationis, priscamque religionem superstitionis arguat. Quid agat ore tam effreni? opponit beneficentiam iniuriæ, rationem amentiæ. Sed incassum menti conuitiandi morbo tabefactæ pharmaca adhibentur, quæq; salutem allatura putabantur, in pestilentius ea quasi venenum exeunt. Deus tandem Innocentiæ causam suscipit tuendam. Nocte quadam criminatrix illa protrahitur è lecto; protrahitur & altera nocte, 3. insuper è fenestra præcipitatur. Lapsum audiunt vicinæ mulieres, surgunt protinus, adeunt locum, nihil reperiunt, vident patere fenestram, suspicatæ quod res erat præcipitem cecidisse: excurrunt in plateam, offendunt mortuam, blasphema lingua ad dimidium vsque præcisa. In vicino oppidulo Præfectus arcis nostrorum hortatu priscos ritus, apostatæ cuiusdam improbitate grauiter afflictos excitauit. Nam Curione boni exempli viro, qui è nostra prodijt disciplina, substituto in locum lupi, hoc tandem effecit, vt breui tempore Christiana res faciem haberet lõge meliorem. Eodem loco accidit aliquid ad memoriam haud contemnendum. Vna è strigibus, quæ morte tetrum crimen luerunt, dæmonis impulsu sacram hostiam ex ore in linteolum repositam, asportans domum,

domum, porcis præbere molitur, sed illi altiore quadam vi moti, poplitibus sinuatis, quo possunt modo. Creatorem honorantes, escam appositam sumere exhorrescunt, donec triuenefica sanctum Domini tolleret. Hæc coram Iudicibus sic accidisse fassa est. Nobilis fœmina licet hæreseos caligo, quam à parentibus hauserat, mentem occuparet, graui tamen in morbo vulgi de nostro Instituto famæ tantum tribuit, vt si quid humanitus pateretur, 1000. daleros vellet Societati legatos, sed reddita corpori mentique valetudine, hanc fecit in pietate progressionem, vt austerissimum quemq; Ordinem cogitet amplecti.

Ab hæresi absoluimus amplius viginti, plurimos in orthodoxa fide nutantes ereximus, & confirmauimus, partim rudes sana disciplina imbuimus, nonuullos etiam sacris B.P.N. exercitationibus excoluimus. Mercator hæreticus cum scripturæ quendam locum pro sua Secta facere contendisset, sponsione facta cum altero mercatore Catholico, veniunt ad Collegium, loci germanum sensum exquirunt, ostenditur tam manifestis argumentis veritas, vt victus hæreticus præter ludibrium. 10. daleros pendere cogatur.

Multi qui dies noctesque insomnes trahebant, velut intemperijs, vel potius conscientiæ scrupis agitati, peccatorum confessione, & participatione Dominici corporis, suspensa etiam ex collo Agni benedicti plagula, tranquillati sunt.

Sparserat in vulgus fœmineum Impostor quidam, defunctorum animas auxilium spirituale postulantes, sibi nonnunquam apparere. Angelum

lum præterea Cœlo lapsum crebras secum miscere sermones, collectamq; à se pecuniam exigere ; ad summam , adeo composito sermonis pigmento impostura suam hanc adornabat, vt in fraudem deuotas mulierculas magno numero pellexerit, existimantes magnum se Deo obsequium præstare , si manium hunc inferorum nuncium eleemosynis, munusculisque recrearent. Sed nimirum nullum fictum diurnum, prodidit ad extremum versipellis nequitiam, dum sedulò apud singulas cauet, ne quid Confessarijs Iesuitis enuncient. Ea vox simul atque emanauit (vt fœminæ minimè sunt arcanorum tenaces,) effectum est ilicò vt visorum, oraculorumque fides nequam fabulatori abiudicaretur.

Obseruantiæ erga Sodalitatẽ illud est argumentũ, quod Iurisperitus litem , quam aduersus alterum Sodalem defendendam susceperat , simul à Patre & Præfecto Congregationis monitus fuit , remisit. Istud diuini zeli indicium. Decanus quidam Sodalitio adscriptus , nouitio Canonico noluit ante, quam vocant inuestituram dare , quam coram testibus & Notario sanctè promitteret, se concubinam nunquam superinducturum, & si fidem datam falleret, extemplò cessurum beneficio. Castimoniam alius fœminæ persuasit à Clerici impudica consuetudine diuulsæ.

Ciuis erat lethali correptus morbo , de tempestiua confessione monebat vxor, filij, amicique, sed vt in differenda pœnitentia procliues hominum animi, cunctabatur æger, negabatque passutum Deum vt ante lucem vita excederet : Illis

ergo conatu frustratis, accedit Sodalis conuictor, moribundum blande compellat, oratque saltem nunc velit, quod paulò post in omnẽ æternitatem non voluisse frustra pœniteat. Quid multa? obsequitur clinicus Parthenio, concubia nocte accersitur Confessarius, exhaurit conscientiam, percipitq; sacrum viaticum, nec longum fecit; antequam cœlum albesceret, placidè in Domino obdormiuit. Testatus est suâ in nos beneuolẽtiâ Serenissimus Elector Ernestus, cum præter vini plaustrum ducentos quinquaginta daleros, alis summæ aræ depingendis attribuit, & Canonicatu D. Lutgeri in victorem Emmerentianæ causæ collato effecit, vt pridem abiudicatum nobis in Romana Curia sacellum DD. Antonij & Magdalenæ Collegio nostro rediret. Ad hæc in vsum sacrarum Hostiarum quidam ciuis quinquaginta daleros donauit. Ad Instrumentum templi accessere quatuor argentea candelabra pretio 400 dalerorum; Ad Bibliothecam libri, qui ducentis facile æstimantur.

COLLEGIVM HILDESheimense.

HIldesii decessit P. Ioannes Hammerus anno ætatis 50. Societatis 31. cuius obitu nihil Catholicis ad dolorem acerbius accidere potuit. Fuit Coadiutor formatus, cum in studijs Theologiæ semper infirma, atque adeò perdita valetudine esset, missus est Halberstadium, vt patria sese recrearet aura, & scintillam religionis Catholicæ sicubi compareret, interim foueret, atque excitaret. Inde

de Hildesium ad Conciones euocatus, quibus populum ita deuinxit, vt Catholici de Collegio constituendo consilium statim susceperint, Hæretici aũt P. Hammerum, si fidem suam eiuraret, vnum è Iesuitis Superintendentem exoptarint. Præditus enim erat singulari facultate plane dicendi de quaquere; tum etiam facilitate quadam sermonis ad Saxonum animos accommodata. Multos ex hæreticis ad veram Catholicorum disciplinam traduxit; atque ipsos Catholicos, quorum ferè non constabat in religione sententia, pro virili confirmauit. Tandem inchoauit Collegium hoc rexitque in maxima sæpe tempestate, inter fulmina & tonitrua hæreticorum. Ab eius morte nonnulli male nobis ominari cœperunt. Sed Deus adhuc res nostras nihilominus promouit, & in dies ostendit non humano consilio niti. Sacræ conciones, catecheses, crebræque exercitationes Societatis pari concursu, & fructu domi procedunt. Vrbes quoque & cœnobia remotiora studijs, muneribusque nostris adiuta; aliquot pijs commentationibus exculti: ad religionem Catholicam deducti duo & 40.

Scholæ nulla re magis commendantur ab hæreticis, quam assiduitate & diligentia discipulorum: proponunt illos suis discipulis in exemplum, qui foris assiduè quid lectitent, domi ita libris adhæreant, vt ab ijs ægrè diuelli, aut distrahi se sinant.

At multo maior laus nobis videri debet, eos qui in tanta hæresum colluuione sunt alti, contra

hæreticos libros tanta concipere odia. Quot-quot enim huius generis nacti sunt libros, eos aut ad nos deferunt, aut ipsi ferè pessundant, lacerant, cremant. Vnus in his familiam ducit adolescens, animi, naturæque donis instructus, qui præterea imaginem Lutheri, vbi eam reperit libris impressam, cultris exscindit, eradit, euellit. Idcirco propinquos eius insanire penè & furere significant eorum literæ, quas ad illum dederunt plenas stomachi & querelarum. Postremis eum & hortantur, & orant cum lachrymis, vt resipiscat, aut in patriam veniat, & coram de religione mutata se suis excuset, alioquin futurum vt bonis exuatur. Rescripsit adolescens inuicto prorsus animo, se cum illis, qui desipiunt, resipiscere non posse, nec in patriam venire, clauas enim & fustes timere, quibus forte conuinceretur, non illorum argumentis, si bonis se exuant, vti minantur, æquo animo hanc iniuriam propter Christum laturum, dicturum cū D. Francisco; Pater noster qui &c. nomen igitur eius diris pridem deuouere. Tres Fritones postquā Lutheri perfidia perspecta, animum ad veritatem Catholicam appulerunt, libros Lutheri, & nonnullos alios hęresi infectos trunco impositos alternis ictibus in frusta dissecuêre, reliquos de quibus ipsi dubitabant, nostro iudicio subiecêre. Prædicantis cuiusdam filius conuerterat se ad Ecclesiam, quo audito parens grauiter exarsit, subitò accurrit, & filium vi abstraxit, sed vt primum patrium solum ingressus est, statim in morbum incidit, ac satis vehementer diuque ægrotauit. Vbi autem conualuit paululum, illicò ad nos repedauit inscio parente.

parente. Tum ipse furere, omnia minari & imprecari, nisi reuertatur, flocci pendere filius, se Christi patrimonium ait, in aliqua familia religiosa aditurũ, & nunquam ad patrem rediturum.

De Sacrificio Missæ in vicina Ciuitate propositæ fuerant à Rectore Gymnasij assertiones, & adolescens qui nobis dederat operam, iussus oppugnare Ille subitò ad nos confugit, & argumenta petiuit Neganti igitur Rectori Apostolos vnquam sacrificasse, adolescens obiecit locum ex Codice Actuũ ab Erasmo verso, quo ipsi vtuntur, sacrificantibus autem illis &c. ad quem Rector omnia secum versans, quod responderet, non inuenit. Derisus postea à discipulis, quod vnum è tot millibus hominũ, quos dicebat ante Lutherum idem docuisse, nominare non posset. Serenissimus Elector Coloniensis Ernestus Episcopus noster, nullam non amplectitur occasionem promouendi Collegium nostrũ, hinc bis mille aureos hoc anno attribuit. Alij centum & quinquaginta, in vsum domus contulere.

COLLEGIVM EMbricense.

ACcessit ad Collegij rationes Canonicatus Craneburgensis, in quo obtinendo cum Serenissimæ Principis, & Consiliariorum, tum maxime Nobilis Domini Ioannis à wachtendunck Camerarij beneuolentia adiuti sumus: Eius enim studio & auctoritate præcipue factum, vt Canonici bonis conditionibus beneficij eius fructus nobis permitterent, qui etiam nostros non solum ea causa Craneburgum profectos hospitio accepit;

verum etiam re confecta omnibus Canonicis liberale epulum præbuit. Noſtram quoque paupertatem idem liberali eleemoſyna ſubleuauit. Cum vero hactenus anguſtè, in Canonici vnius domo Embricæ habitaremus, hoc item anno per amicos, præter ſpem noſtram effectum, vt Moniales duæ Cœnobij nobis à Capitulo, vt primũ vacaret, promiſsi, in emigrationem conſentirent. Multisetiã eleemoſynis inopiæ noſtræ ſuccurſum, creuitque optimatum ac bonorum in nos mirificè propenſio. Exercitijs Spiritualibus informati quatuor. Scholæ ſupra 400. auditores habuerunt: qui numerus inter arma tota æſtate vndique circumſtrepentia non fuit contemnendus. Ex his Sacerdotes aliquot creati, tres ſe religioni addixerunt.

Non ſilendum quod in Iuuene honeſtiſsimo genere accidit; qui veneficio mentem amiſerat, in tantumque furebat, vt à decem viris ægrè cohiberetur. In re tam miſeranda auxilium à Collegio expetunt eius neceſſarii, miſſus igitur ad eum Sacerdos duorum milliariorum itinere, vix domum ingreſſus fuerat, cum ille modò ad loquendum prõptiſsimus, cum omnium ſtupore obmutuit, mox illum de ſtatu ſuo examinat Pater, & vnum alterumve exorciſmum rogatu ipſius ægri recitat. Ea prece ita veneni vis debilitata, vt ſibi redditus cuſtodia non indigeret, proximamque nocte ſomnum quem 5. diebus non viderat, caperet. Vulgata huius miraculi per oppidũ fama, cõplures ad videndã rẽ accurrere, Deoq; gratias agere, alii quò res euaderet, animo fluctuare, ſed Deo bene cœpta tinuante, æger ad ſanitatẽ rediit, gratumq; ac bene-

ficii

ficii memorem animū nō ſemel poſtea nos reuiſens declarauit. Per hanc occaſionē aliquot equitum iter obſidentibus, in arcē vicinā dcflectens, mulierē deſperatione agitatam Cōfeſsione & conſilio erexit.

Duo è Zelandia Anabaptiſtis parentibus nati, nec baptizati, ad baptiſmum ſunt præparati. Alterius parentes edicto ducis Parmenſis Flandria ob hæreſin in Zelandiam olim ceſſerant, ibique educatus in errore 8. deinde annis ſtipendia ſub Hollandis fecerat, cum interea morbo comitiali grauius afflictaretur, hoſpitiū Nautæ Catholici ſortitus eſt, qui hominem miſeratus, ſuadere ei cœpit votum D. Virgini vt nuncuparet, ſed ille à Catholicis moribus planè abhorrebat: ſuo tamen malo factus mitior, Salutationem angelicam & nonnulla alia didicit, votoque ſe etiam obſtrinxit, cuius ſoluendi cauſa è Zelandia clam profectus, ne tanquam deſertor militiæ comprehenderetur, per varios tandem caſus Embricam venit, & in noſtrum Sacerdotem in templo incidit, à quo inſtructus, tum peccata confeſſus, cum in Xenodochio ægrotaret, Euchariſtia etiam impertitus eſt, omnibus, baptizatum non non eſſe ignaris; ſed quia nocturnis terroribus infeſtabatur, cœpit meminiſse, quod à ſuis, aliiſque audiuerat, baptiſmo ſe non eſſe tinctum, data ergo opera vt ablueretur, Chriſtoque inſitus in eo deinceps virtutis augmentum conſequeretur.

Publicæ ſupplicationes ſiuè in Rogationibus, ſiue in anniuerſaria SS. Euchariſtiæ circumlatione, ſiue in Iubilæo ea frequentia & deuotione celebratæ, vt nihil hacten⁹ viſū ſimile. In vna SS. Sacramēti feriis inſtituta 80. albatorū paria nudis pedib.

proceſſere, quæ pietas proximam ſecundauit, nam cum ingens tum caderet pluuia, ne ſupplicantiũ feruor minueretur, inter ipſam ſupplicationem nubes pluuiam ſuſtinuerunt, quam ea peracta, largam rurſus effunderent. In Iubilæo autem nouo more ab vna Eccleſia in alteram nobili pompa agmen eſt ductum, tota ad cœleſte ferculum perſequendum effuſa ciuitate, quo die, licet hyeme media, multa paria nudis pedibus inceſſerunt, totoque ſacrificio hoc habitu durarunt, adeo non pleriſque frigentibus, vt etiam aliqui ſudarent.

COLLEGIVM AQUENSE.

AQuiſgrani gymnaſium, quod mediam fere Collegii habitationem occupat, in proximas ædes recens coëmptas translatum eſt, mediaque Grammatices ſchola à ſuprema, cum qua adhuc cohęſerat, ſeparata. Diſcipulorũ ob graſſantis luis pericula, infrequentiam, conſtantia & virtus compenſauit.

Anglus quidam miles, qui pluribus annis pro patria hæreſi, ac Reginæ ſuæ tyrannide contra Catholices terra marique pugnarat, Deo, vt credi par eſt duce, tandem huc venit, & poſt varias deliberationes, vt ipſe aiebat, oborta maiori veritatis luce, in Eccleſia B. Mariæ Virginis, veterem errorem non modo depoſuit, ſed in eius expiationem inſuper Capucinorum inſtitutum complecti ſtatuit. Puer itẽ tredecim annorum, matre natus Anabaptiſtica, per nos ſacro baptiſmatis fonte renatus

tus est. Repressæ ad hæc hæreticorum scholæ, quas illi partim in hac Ciuitate, partim in subiecto oppidulo dissimulanter habebant. Nec verò dum hæc cum sectarijs aguntur, inter Catholicos nihil est præstitum.

Visitati ægri, inopesque, & opportunis solatijs, eleemosyniisque releuati. Lustrati carceres, duoq; homicidiũ morte luituri, sic instructi, vt caritatem laudaret Ciuitas, præsertim cum etiam sacrosancta Eucharistia (quod aliquamdiu in hac ciuitate desitum) ad supremum illud discrimen reos communissemus. Reuocata item postliminio consuetudo (quæ iam annos 28. ob petulantes hæreticorum, inter ipsos sacros parietes nonnunquã sclopos explodentium, insultus, exularat) cantandi quotidie circa vesperinum crepusculum Laudes Deiparę, siue; Salue regina &c. in Basilica magnæ Matris à Carolo magno quondam extructa, quæ res cum pro Concione primum denunciata populo fuisset, tantum valuit, vt quouis die etiam profano complures comprecatores accesserint. E diuerso autem sublatus inconditus clamor, quo pueri, à Dominicis natalitijs, ad Purificatæ Virginis ferias vsque, diuina officia in æde maxima turbare consueuerant: siquidem eodem tempore ad Catechismum pellecti, quantum ante offenderant immodestia, tantum sedula modestia nunc placent.

RESIDENTIA ERFORDIENSIS.

QVi apud nostros Erfurti diuino epulo refecti sunt, millenarium excessere, plures omnino futuri, nisi & maleuolorum inuidentia, & se-

uera hæretici Magistratus edicta, multos à sacris nostris absterruissent. Interim nixi Deo minime nobis in Christi causa feriandum esse duximus. Libellis pijs multorum ignorantia sublata. Exercitijs spiritualibus exculti sex, solido cum fructu, quem non nemini inuidit inimicus, insano strepitu cubiculi quietem interturbans, dum ille diuina commentatur. Sed vt primum res Instructori patefacta, euanuerunt inania terriculamenta. Nec minus ægris domi, foriſque præstitum, in quibus fœmina desperabunda, quam frustra domestici, parochusque erigere tentarant, à nostro tandem Sacerdote suauiter animata, inter ipsum mortis luctam, quam triduum sustinuerat, confessionem de tota vita peregit. Fidem Catholicam respexere 14. quorum in numero adolescens fuit Hussita, & duæ nobiles fœminæ, quæ magna ambæ constantia, fidem multo nostrorum labore perceptam, aduersus parentum, propinquorum aliorumque iniurias, & obtrectationes egregiè defenderunt. Et fuit alteri mox oblatum diuinitus Constantiæ præmium. Erat Virgo iam nubilis, & parens audito eam Catholicam esse, in hæredis ac filiæ loco nolebat agnoscere. sed cœlesti nutu factum est, vt vir Nobilis & doctus, hæreticoque Principi à Consilijs, qui diu Catholicam quæsierat vxorem, vbi huius virtutem cognouit, sine dote eam sibi in Matrimonium desponderet.

RESI-

RESIDENTIA ALTENENSIS.

SVstinent pendentem adhuc Residentiam Altenensem Sacerdotes bini, cum fratre Coadiutore vno. Varijs modis tentatum, vt ea firma consisteret, annuente Comite à Religione nostra alieno, & comprimente furorem hæreticorum, qui eam omnibus machinis subruere studeant. Res ardua, in qua iam annis aliquot desudatum, etsi fructu huc vsque exiguo, quod sumptum immodicum exigat, cui parando impares simus. Occurrit tamen nuper occasio ab ipso Comite oblata, quæ eo efficiacior futura, quo Comitem magis tangit, si videat Catholicorum opera affinem in gratiam Regis Catholici repositum, suasque in arces, quas modo Batavi tenent. Tantum supplicando effectum, vt de successu bene speremus.

Ad Ecclesiæ Romanæ obedientiam reducti tres, qui ab ea nefariè ad Lutherum & Caluinum defecerant. Sacram Synaxim obiere centum nonaginta octo.

Energumenis aliquot aqua lustrali & Cera consecrata, mentis, corporisque tranquillitas restituta, non sine rubore Ministrorum Lutheranorum, affirmantium euanuisse cum Apostolis omnem potestatem pellendorum dæmonum è corporibus humanis, quibus illa sola concessa à Christo. Vnus ex eorum cætu clarus. Tanta pollebat is dicendi suauitate, vt ad conciones suas attraheret greges muliercularum, quæ & Conscientiarum suarum grauamina libentissime apud eum

eum deponebant, quo autem fine, euentus docuit. Vix menſis effluxerat ab obitu vxoris, cum noua nupta noua eum prole adauget. Varia de præcoce illo partu iudicia, fœminæ tribuebant ſanctitati viri, Prudentiores libidini barbati hirci, adulterumque vocitabant. Grauis inde in miniſterium macula, quam vt eluerent Eccleſiaſtæ, parabant certatim apologias. Producebant alij adulterio & homicidio inquinatum Dauidem, & tamen virum præ cæteris Deo carum: alij accuſabant naturam hominis protoplaſti vitio corruptam, adeo vt familiare illi in eiuſmodi ſordes præcipitem ruere, quas tamen protinus fide ſpeciali abſtergat. Quo magis purgare nitebantur nimis maculatum fratrem, eo magis maculabant miſerum, prodit proinde ipſemet cauſam ſuam acturus pro concione, ad quam coibant agmina mulierculorum, quibus ille adeo placebat, vt ſi penes ipſas iudicandi poteſtas fuiſſet, abſoluiſſent reum, atq; in integrum reſtituiſſent, maxime cum diceret ſe vrgeri à Spiritu Sancto, ne talentum euangelizandi ſibi creditum defoderet, adderet etiam, communem Ciuitatis cladem ſuæ exautorationi acceptam referendam, quam rectius Catholici, imò ipſi Hæretici, tribuebant inſolentiæ Hamburgenſium, qua nos inſectati fuerant anno ſuperiore, cum flammam fœdè vaſtantem Altenam, domus noſtra euaſiſſet. Ipſis feriis Pentecoſtes ſumma luce oritur incendium non procul ſumma æde B. Virginis, abſumit illud breui tempore domos multas, & par hominum enecat, quorum ambuſta cadauera cum poſtridie per pontem in cœmeterium deferre vellent, tanta in eum colle-

collecta est turba ciuium, quibus & Prædicantes aliquot mixti, vt is ruptus omnes in alueum excusserit, qui fortasse nonnullos absorpsisset, nisi ob defluxum maris humilior fuisset. Et in duas turres templorum ignem ventus detulit, experti aduersarii singula quæ nobis imprecati fuerant. Scholæ quamuis crebrò exagitatæ, & sæpius ab iis pueri abstracti, tum nimia Præconum Verbi dicacitate, tum lapidatione à discipulis ludi hæretici instituta, proficiunt tamen redeuntibus ad eas postliminio abstractis, & aliunde alijs confluentibus. Præter Latinam linguam & Græcam tradimus etiam vernaculam, cum rudi aliqua cognitione Arithmetices. Quantum in ijs proficiant, probant quandoque datis Dialogis, tanta satisfactione spectatorum, vt satis disciplinæ rationem extollere nequeant. Hæc propter, & propensius in nos populi studium experimur, qui etiam nonnunquam munusculis suã erga nos beneuolentiam testari incipit. Vtimur & toparcha clementiore, à quo ad Colloquium humanissimè inuitati, magna beneuolentiæ signa experti sumus, nouo sanè exemplo, cum ab antecessore grauissimè vexati, omnib. ludibrio fuerimus. Cum rerum hoc Spiritualium fructu, temporalium commoditas coniuncta fuit. Largis eleemosynis prospectum domui. Hortus coëmpta area satis magna dilatatus, sepimentum ad Albim columnis decem incumbens, pedes 44. extensum. Supellex templi instrumento sacro è Dania misso locupletata, altari mobili, duabus casulis, calice vno & Missali.

RESI-

RESIDENTIA HAGENOENSIS.

HAgenoæ læta Catholicorum incrementa, & augescens in dies frequentia, in concionibus, Catechismis sacris, supra spem opinionemque nostram fuit, & ipsorum quoque Hagenoensium. Vidit & sensit hunc fructum Reuerendissimus Suffraganeus Argentinēsis quando ad paucos dies hic commoratus, plusquam mille capitibus, sacrum Confirmationis mysterium impertijt, & in solenni Theophoria diuinam Hostiam gestauit. Iam ab annis 40. ex quo hæresis ciuitatem inquinarat, intra cœmiterij angustias sese continuerat anniuersaria Dominici Corporis processio, at nunc per plateas proximas circumducta est pompa, tanta omnium ordinum frequentia, apparatu & sensu pietatis, vt ipsimet aduersarii, qui alias terrori fuerant, mirabundi, ac veluti religione moti spectarent: piorum vero multorum oculi lachrymis diffluerent. Præcedebat Crucifixi effigies argentea cum vexillis, subsequebantur tædiferi variarum tribuum, discipuli Scholarum, pueri angelico ornatu salutaris mortis instrumenta præferentes, tum chorus Musicorum & Clerus cum Religiosis; denique Episcopus cum Sanctissimo Sacramento, claudente latus alterum Proprincipe Illustri Comite à Sultz, magistratibus vmbellam ferentibus. Prosequuntur Consiliarii Austriaci, Senatus, multitudo Ciuium.

Fœminę 4. inter grauissima partus pericula, inuocatione B. P. N. Ignatii, eiusdemq; effigie è rosario suspensa,

ſuſpenſa, leuamen ſenſere, vixque tot horis enixu laborarunt, quot aliàs diebus. Duæ ex his erant ſorores matronæ primariæ, de quarum felici partu cum intellexiſſet maritus tertiæ, ſimulque cauſam didiciſſet, venit obnixè rogatum à nobis ſimile remedium pro vxore, cui iam certum quaſi diſcrimen mortis imminere monuerat obſtetrix; Dedimus, & feliciter enixa eſt mulier, etſi partus paulò poſt, ſacro renatus lauacro in cœlum abiit. Finitimus quidam Comes amplæ ditioni imperitans, tametſi adhuc ipſe à ſacris Catholicis auerſus eſt, Coniux tamen eius, quam recens duxit Catholicam, ſubinde cum gynæceo ſuo huc diuertit, noſtrorum opera diuinis Sacramentis ſe communit, in omnem quoque lucrifaciendi Domini ſui occaſionem intenta. Cum Ludimagiſtro actum à nobis, vt Catholicam Iuuentutem quotidie ad rem diuinam adducat. Huic nihil concedunt pii parentes, qui & ipſi magno ſtudio liberos ſuos matutino ſacrificio ſiſtunt, germanamque pietatem illis vultu, ſermone, geſtibus, exemplo inſtillant. Monaſteriis item duobus extra vrbem, vt alias, ita & nunc opera vtiliter impenſa.

Quæ ſacræ ſupellectili acceſſerunt, ducentis facile florenis æſtimantur, habemuſque iam varia ornamenta pro cultu Sacerdotis, & Sanctarum Reliquiarum thecas affabre factas, quæ piorum oculis admirationem, ſimul & deuotionem pariant. Paupercula quædam æmula viduæ illius Euangelicæ, ſcyphum argenteum, aliaque nonnulla donauit, nec his conten-

contenta ſemiſſem quoque facultatulæ ſuæ legare nobis cupit.

Auget Ciuium erga nos obſeruantiam, tum ditionis pro Cæſare Præfectus, qui & creberrime nos inuiſit inuitatque, & quot menſib. ſacræ Confeſsionis & Euchariſtiæ myſteria obit, tum Principum legati, ſi quando ad hanc vrbem veniant, vt nuper ampliſsimi viri à Cæſarea Maieſtate, & Sereniſsimo Archiduce Maximiliano huc miſsi, qui familiariter propemodum nobis vſi fuere.

ANNVÆ

ANNVÆ LITTERÆ PROVINCIÆ AVSTRIÆ Anni 1606.

HÆc Prouincia isto anno ac priori, sedibus Hungariæ atque Transyluaniæ hæreticorum armis & potentia excluſa; 428 Socios circa finem anni 1606 aluit: inter quos fuerunt Sacerdotes 167. & in his Magiſtri 36. præter alios 38 Magiſtros non Sacerdotes. Rhetorices item ſtudioſi Fratres 6. Philoſophiæ 35. Theologiæ 46. Coadiutores 110. in quib⁹ 8. Nouitij 3 ſtudioſi alij Nouitij 29. præter 5. Tertianos, prioribus Sacerdotibus iam annumeratos. Viennæ fuerunt 35. Grætij 84. Pragæ 53. Olomutij 45. Crumlouiæ 19. Comotouiæ 19. Nouodomi 27. Labaci 15. Glacij 17. Clagenfurti 15. in Reſidentia Sancti Bernardi. 6 Milſtadienſi 7. Oberndorffenſi 4. Pletriacenſi 4. & Lincenſi 4. in Miſsione Transyluanica 4. Hungarica 2. Paſſauienſi 2. Cremſirienſi 2. Zagrabienſi 3. Mezerizienſi 2. In decem omnino Collegia diſtributi omnes, vnam Probationis Domum, quinque Reſidentias & 6. Miſsiones. Vita functi 13. in quorum locum totidem ad Societatem ſunt admiſsi.

COLLEGIVM VIENNENSE.

VIennæ ab initio huius anni Socij 40 circiter numerati ſunt: Presbyteri 18. Magiſtri ſcholarum nondum ſacris initiati 4. Theologiæ ſtudioſi 4. Philoſophiæ 3. reliqui rei domeſticæ curandæ addicti.

Ex hoc numero, immane quantum pestis teterrima, Mense Augusti, in nostrum irruens Collegium detraxit. Nouem fuêre Socij (quatuor Sacerdotes, quinque operum Adiutores domesticorum) quos exitiali sua cõtagione funestauit. Ex his duo tantum Fratres euasêre incolumes, reliqui diro eius veneno extincti sunt. Grauis & nimiũ acerbus Collegio casus fuit; tot personis, quarum opera omnium, multo adhuc tẽpore, fructuosissima poterat esse Societati, fato immaturo repentè abreptis, laboratum quidem strenuè, vt morbo depulso, in vita manerẽt; verùm nec Medicorum industria, nec Chirurgorum diligentia, nec nostrorum solicitudo quicquam ea in re promouit. Vt verò de singulis aliquid dicatur.

Primus è Sacerdotibus fuit, P. Paulus Christinus, Spiritalis Coadiutor formatus, ab annis 19 patria Olomucẽsis, annos natus 48. E quibus vnum, & triginta, in variis laboribus munijsque Societatis transmisit. Hoc anno, vt & superioribus, Viennæ Catechistæ, & Confessoris, in sacra æde nostra, ex instituto; Concionatoris autem sæpenumerò munus obiuit. Vir ob innatum animi candorem & simplicitatẽ nulli non gratus. Submissione animi, & sui contemptu insignis; & de quo vere illud Apostoli dici poterat; mundo illum, & sibi mundum fuisse crucifixum. Gloriæ Dei propagandæ studiosissimus; eiusque gratia quorumuis laborum patientissimus. Charitate in proximos admirabili: qui etiam inflammatus, proximorum causa vitam profudit. Recrudescente enim sub finem Iulij peste, Sociorum communione, cum altero è Coadiutoribus

ioribus Fratre seiunctus, curam eorum qui pestifera lue erant infecti (quod etiam anno superiore fecerat) susscepit, quam dum solicitè vrgeret, eiusdem veneni contage sublatus est. Morti iam proximus, totus in Christi Iesu è Cruce pendentis imagine contemplanda erat. Ita verò diem suum clausit extremum, vt, qui aderant præsentes externi, dicerent se nunquã vidisse tam piè quemquam è corpore migrantem.

Secundus fuis P. Ioannes VVernichæus Marchicus quatuor votorũ professus: annorũ circiter 40. quorum duo & viginti in Societate egerat, quo tempore varia exercuit nostri iuuituti munia, ad extremum concionibus dedit operam, in ijsque præclarè versatus annis II. naturæ tributum persoluit, relicta non ingrata sui memoria apud Serenissimum Archiducem; ad quem biennio ferè secunda & ipsius & aulæ totius voluntate, verba fecerat.

Tertius P. Stephanus Kelbelius Buduicẽsis Boẽmus; à morte P. Pauli Christini, ad iuuandos pestiferos designatus; à quibus etiam pernicialem morbum contraxit, & intra triduum enectus est, anno ætatis suæ 33. Societatis 15. Ad extremum cum venisset vitæ vsuram sibi tam citò eripi, seque nulla re insigni gesta rude donari doluit: & iamiam penè naturæ concessurus, Hem, inquit, iuueni tibi, vix dum labores aliquos in hac militia experto, iam abeundum est. Sic ille, submissè & de se & de suis laboribus sentiens, qui tamen non exigui fuere. Nam præter alia quæ gessit munia, etiam in hoc Collegio Mathematicam annis aliquot docuit, &

duabus congregationibus Beatæ Virginis summa cum laude præfuit. Hoc autem anno Confessiones in nostro templo excipiendi munus, ex professo, per moderatores suos sibi impositum, tanto animi ardore suscepit, vt totum se ei muneri probe obeundo, diuinæquæ gloriæ propagandæ impenderit.

Quartus Pater Martinus VVagnerus, Nissa Silesiorum oriundus, 4 votorum Professus, annos 37 natus: ætatis in Societate actæ 18. vir Theologicis & Philosophicis apprimè eruditus litteris, variaque eruditione excultus, & cum aliarum, tum Græcæ linguæ peritissimus. Ex scholarum exedris non ita pridem ad suggesta sacrarum ædium transierat. Postremo in æde summa Viennensi præclarum concionatorem egit. Sanè conciones eius lucernam (quod dicitur) olebant, tantumque illis ab eo datum studij & laboris, vt si quis hominem non nouisset, eruditionem illi nullam suppetere dixisset. Sed optimo Patri infixum erat animo illud Beati Patris Ignatij præceptum, qui Societatis hominibus verba facturis, ad populum de rebus diuinis, nequaquam in ore, sed in pectore gigni volebat sermonem. Orationis cum semper, tum periculi tempore, studiosissimus. Paulò antequam in morbum incidisset, totus in Diuina sapientia, prouidentia & bonitate commemorandâ erat; illud identidem è Psalmo vsurpans: Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine. quæ etiam tempore adeò diuini honoris zelo æstuabat; vt eius causa nullos non labores perferre esset paratus, diuinæ vtique bonitatis illius, de qua ei ser-

ei sermo non infrequens, singularem expertus fauorem: quæ illi eam mentem indidit; vt quò propius à meta abesset, neutiquam consisteret; sed ad anteriora, eorum quæ retrò sunt oblitus, sese imitatus Apostolum, extenderet. Timidiorem natura fecerat eum ad subeunda pericula eiusmodi. Victor tamen sui generosus exstitit; seq; ipsum, ad nostros inuisendos, qui ex peste iam decumbebant, suis moderatoribus obtulit, enixèque expetiit; vt si quid simile sibi etiam eueniret, statim è Collegio aliò mitteretur: maiorem enim se aliorum Sociorum salutis, quam suæ rationem ducere.

E Fratribus primus Blasius Suntheiner Sueuus natione, Coadiutor tẽporalis, sextum iam in Societate agens annum, è vita migrauit, anno ætatis suæ 36. Ab eo etiam mœroris initium Collegio. Primus enim venenum hausit, dum Vicariam in templo nostro Æditimo nauat operam. In ipso è Collegio ad suburbanum discessu, cum ad portam Collegij calculo nomen suum, vt moris est, notare debuisset, signum Sacrosanctæ Crucis super tabulam expressit; hac ratione & Socijs se valedicere, & ad mortem certissimam se ire commonefaciens. Pietatem ipsius erga diuina, nec summa febris pestilentis violentia deprimere potuit. Erupit illa in morbo cum sæpè alias, tum illa ipsa die, qua inter viuos esse desiit. Lectulo quippe affixus, cum Sacerdotem nostrum cœlestis viatici sibi conferendi gratia, rem inchoasse intellexisset diuinam, repentè collectis viribus prosiliens, & ante sacellum genua submittens, sacrum audire cœpit; donec à

Fratre noſtro ad locum fuerit reductus ſuum. In quo non multò pòſt, ſacro munitus viatico, ex hac luce deceſsit.

Secundus fuit Luacs Kanne Dantiſcanus, janitor Collegij, apud cuius portam, dum ſuo fungitur munere, perniciali morbo correptus; ſatiſque diu cum eo luctatus, cum iam euaſurus putaretur, tandem ſuccubuit, ſexto in Societate anno expleto, ætatis verò 30. Mira fuit eius hominis in officio ſuo probè obeundo induſtria, quam ad rem non parum illi profuit, aliquot nouiſſe nationum idiomata. Pauperum, qui ad ædes noſtras victum quot diè eleemoſynæ nomine præſto abantur, ſtudioſiſsimus, eiſque cibum vndequaque colligere ſolitus, otij hoſtis acerrimus: ſemperque ad portam (quamuis non adeò firma eſſet valetudine) bene occupatus. Antequam extremum cum morte iniret certamen, præſagiens ſi bi abeundum eſſe, à Rectore Collegij per litteras expetiit; vt cum ipſi fatalis neceſsitas vim ademiſſet errata ſua propalam omnibus deprædicandi, ipſe nomine eius omnia publicè recitari iuberet, veniamque ab omnibus et poſceret. Qua ex re colligere licet, quantum eam ſecreto cordis ſui confiteretur Deo, qui non vni Sacerdoti tantum, ſed omnibus etiam noſtris, ſi fieri potuiſſet, ea voluit eſſe manifeſta.

Tertius Ioannes Lahir Lotharingus, in ipſo ætatis flore, (annorum quippe viginti octo erat) hominem exuit. Dignus vita, ſi Diuinæ Maieſtati placuiſſet, longe diuturniore multis nominibus, maximè, quod ad omnia rei familiaris munia in Societate obeunda efficacius à natura videretur. De-

cennij

cennij eius quo in Societate vixit, hoc Collegium non exiguum percepit fructum. Quinquennium fermè in eius culina & penu curanda posuit, summa cum charitate, animique sui tranquillitate.

Congregatio Prouincialis mense Aprili apud nos celebrata est; plurimumque ex illa aucta nostrorum existimatio, quam ad rem plurimum contulit Serenissimi Matthiæ Archiducis Austriæ singularis beneuolentia: qua is pro suo erga Societatem fauore, Patres Congregationis humanissimè complexus, nihil non egit, vt toti mundo palam fieret, quem nostri apud suam Serenitatem locum obtinerent. Itaque ad Collegium sub aduentum Patrum carnem ferinam, vinum, pecuniam mitti curauit, nec id satis suæ Serenitati officij ad declarãdam suam in Societatem beneuolẽtiam visum est. Omnes Patres conuiuas in nostro suburbano habere voluit. Dies conuiuio dictus erat Dominicus: eo die mane cum tota sua aula ad hortum nostrum descendit, quo loci, postquam rei diuinæ (quæ non sine pompa solemni, & symphoniacorum aulicorum concentu transacta est) interfuisset, familiariter omnes excipiens, singulis manum porrexit; regalique planè epulo exceptos, lautissimè habuit: in q; eodem cœnaculo cum nostris (magna ciuitatis parte, festo tubarũ & timpanorũ sonitu, qui in eo præter solitũ loco reboabat, ad spectandũ excita) accubuit, officialibus aulicis dapes inferẽtibus, & nostris ministrãtibus. Demũ mẽsis remotis cũ è nostris vn⁹ suæ Serenitati, oratione tẽpori illi accõmodata gratias ageret, stãs sua Serenitas (fuerit licet illi sedes

posita) non sine multorum etiam aulicorum admiratione perorantem audiuit, quod in tanto Principe non potuit non esse maximæ beneuolentiæ signum.

Reuerendissimus quoque Præsul Viennensis, hoc eodem Congregationis tempore (vt alia omittam) propensam suam erga Societatem luculentis declarauit argumentis voluntatem, submissis Collegio florenis 10. Conuiuio in Domo Episcopali omnes Patres excepit, adhibitis ad mensam aliquot primarijs viris, qui nostros simul considentes videre expetierant. Quo ex conssessu Patrum tantam cepêre voluptatem; vt ex illis quidam, coram aliquot, ijsque præcipuis primariæ ædis S. Stephani Canonicis assereret, Angelicum eo tempore apud Reuerendissimum fuisse celebratum symposium, conuiuas fuisse viros Angelicos, temperantes, modestos: Societatem ob tantam temperantiam, merito efferendam. Taceo amplissimi Viennensis Senatus, & aliorum summorum virorum fauorem & liberalitatem, quam per id templus Collegio declararunt. Hactenus domestica: Iam ad ea, quæ per nostros foris acta sunt, decurrat oratio.

Præter conciones, quæ tribus in templis diuersis à nostris fiunt; alijs etiam in locis sæpissimè conciones à nostris habitæ sunt, etiam ex ipsis Religiosorum suggestis; quo die ipsi Parentis suæ Religionis egêre solennem diem. Facta præterea copia Reuerendissimis Hungariæ Antistitibus, Concionatoribus Hungarici idiomatis periti; quem pro eo tempore, quo de pace agebatur, expetierant. Omnes quidem rebus diuinis dicebant, quàm secunda auditorum suorum

suorum voluntate auditi fuerint, facile deprehendi potuisset; si ea omnia, quæ ex eorum concionibus secuta sunt bona, non simul etiam cum aliquibus, qui ea notarant, peste extinctis, intercidissent.

A schismate Græcorum, ad Ecclesiam Romanam Regulus quidam redijt, maleuolorum causa exulare coactus. Verè eum redijsse, fuit argumẽto, quòd sæpius nostro in templo, publice Sacramenta ritu Catholicorum, magna cum pietate frequentarit. Sectæ Mahometi teterrimæ iuxtaque spurcissimæ, quatuor cum renunciassent, & res fidei Christianæ bene percepissent, sacro Baptismi fonte sunt lustrati. His annumerari quintus poterat, qui cum ipsis cunis ferè in Turcicam abreptus seruitutem, post plures annos, inde diuino fauore adiutus, rediens, à nostris veram fidem edoctus est. Perfugæ quatuor, qui castra deseruerant Ecclesiæ, ad eadem nostris impellentibus sunt reuersi. Inter hos anus fuit, quæ ab hæreticis misere seducta, graui morbo cõrepta, non prius ab eo deserta, quam desertam ipsa religionem, nostro auctore iterum suscepisset. Duodeni ab hæresi expiati.

Iam illud ad noui Euangelij buccinatorum in dogmatibus concordiam scilicet. In Hungaria aliquot abhinc annis Chiliarchæ equitum, vt & hoc anno præsenti, functus munere, cum primis illustris vir, è primarijs Baronũ Austriacorum familijs, inter cæteros captiuos, puerulum, necdum formare verba doctum, Turcis parentibus orundum, acceperat, eumque quàm primum foret opportunum, Christianis (Lutheranam, in qua tunc erat, sectam intrẽdit) sacris initiãdum destinarat. Accidit autem,

vt cum iam puer aliquo tempore apud eum fuisset moratus, in grauem morbum incideret. Opportunum ille tempus ratus, quærit ex puero, num Christianus vellet fieri? Id verò se discupere puer respõdit. Protinus igitur Ministrum accersi, pueroque periclitanti de vita, Baptismum conferri curat. Negare hic & causam allegare, nondum matura ætate esse puerum; posse illum, vbi adoleuerit ad vomitum redire, & fidei signaculum profanare. Instare ille, periculum esse grauissimum; spem vitæ nullam: id ipsumq; cum eo alij duro & immiti homini inculcare, nihil minister moueri, interea perfertur nuncius puerum obijsse, omnes quotquot præsentes aderant, casum pueri acerbum dolere, vnum si demas Prædicantem: nullus tamen ausus condemnare factum, quoniam non pro indocto inter suos habebatur, magnique fiebat; illud solum in mentem veniebat, aliorum ea de causa Ministrorum exquirere iudicium. Sex ergo è præcipuis euocat, simulque viros aliquot clarissimos inuitat. Ministri postquam inter se de proposita quæstione capita contulissent, omnes, vno velut ore, male illum fecisse pronunciarunt. Non ingrata fuit eorum censura, sed quæ tamen opinionem de eius doctrina in eius animo insitam, nequaquam euelleret. Rem omnem idcirco V Vittebergẽsibus in Saxonia Pseudotheologis per litteras exponit. Rectè illi factum propugnant. Hæc verò sententia priori contraria, multo magis illum anxium, cum ijs, qui negotium probè norant, reddidit. Optimum igitur illis visum consilium, totius causæ progressum in Sueuiam ad Tubingenses perscribere, quidque ipsi censerent explo-

explorare: qui pro suo animi candore (si quis tamen in ijs est) male factum declararunt. Stupere illi tantam suorum pastorum in re clara discordiam; at Prædicantes rixari: dum quisque suam non desinit propugnare sententiam. Noster missis eorũ iurgijs, rem serio secum totã expẽdere, atq; erga Catholicã Religionem, à qua alienissimus ante fuit, non male cœpit affici: quominus tamen amplecteretur palam, quam occulte probabat, in causa fuit, quod hominum maiorem, quam suæ salutis duceret rationem. Dum verò de die in diem differt, tempus in Hungariam educendi equitem venerat. Suspenso igitur fidei negotio, Budam cum exercitu profectus, in eius oppugnatione graue ab hostibus in capite vulnus accepit. Ex quo decumbens, votis fidem Catholicã publicè profitendi, & ædẽ Lauretanam inuisendi, si sano & incolumi esse liceret, nuncupatis; tũ verò cõualuit, fidemq; suã post Catholicus factus exsoluit, spectata inter oẽs constantia.

Fuit insignis matrona, non ita pridem Catholicorum albo adscripta, quæ cum iam vicina partui esset, nostrorum sacrificijs sese plurimum commẽdauit, tribusque sacris impetratis, summa cum animi pietate illis adfuit. Adfuisse autem & Deum precibus illud argumento fuit, quod labores doloresque summos, primi fœtus vel maxime comites, solito leuiores sit experta; & infans illo ipso tempore, quo sacra illa audierat, incolumis lucem aspexit. Et hæc quidem prudenter periculum præuerterat, Numenque sibi diuinum conciliarat; non item alia prægnans mulier etiam honesto loco nata, quæ tamen summum periculum B. P. N. Ignatij patrocinio

nio implorato, incolumis euasit. Narremus rē ordine. Tertium iam diem & noctem summos pertulerat dolores, nec tamen quidquam spei affulgebat partus: fœtus enim iam pene matūrus, mortuus tamen, naturæ vi congenita in transuersum actus, nulla ratione educi poterat, sic affecta vltimo tandem ad id quod primum esse debebat, confugit remedium. Accessit nostrum Sacerdotem: cuius opera, Deo statim reconciliata (periculum enim erat in mora) sanctissimi Christi Corporis viaticum pie suscepit. Quibus peractis, noster in genua procumbens, suadet mulieri, ad Diuinę Maiestatis opem facilius impetrandam; B.P.N. Ignatio, cuius in similibus periculis, præsens multæ personæ expertæ essent auxilium, deprecatore vtatur, seseque illi seriò etiam atque etiam commendet. Zona præterea, quæ Diui Petri Apostoli Cathedram Romæ attigerat, eidem se præcingere mandat. Paret mulier, nostrique præformātis sibi preces breuissimas, magno cum animi affectu sui excipit. B.P.N. Ignatium inclamat, diuinum Numen sibi propitium reddat, præsensque periculum precibus suis depellat. Dictum, factum: liberata illico maximo periculo, fœtu iam graueolente edito, sed & dolores omnes, abscessêre: tamque bona valetudine postridie fuit vt nunquam se magis sospitem fuisse diceret. Haec B. P. nostro; illa glorioso Martyre Dei Sebastiano deprecatore sunt facta. Quinque morbo Epidemio prostrati, omni prorsus vitæ spe sibi adempta, Diui Martyris opem imploratunt: & potione consueta, in quam sagittæ è stanno, in modum Crucis decussatæ factæ, à tactu granij S. Sebastiani (quod in Monasterio

nasterio Ebrsdorffensi nostris Monachiẽsibus attributo asseruatur) consecratæ, fuêre coniectæ, hausta, salutem pristinum recuperarunt. Eodem remedio, ardentissimas febres alij duo repulerunt.

Testatum etiam reliquit Diuina Maiestas, quàm sibi gratæ eæ salutationes, quæ glorioſæ Virg. Deiparæ, pensi instar quotidiani persoluuntur. Honestus quidam opifex à puero Diuæ Virginis cultui addictissimus fuit. Præter cætera autem quæ solitus erat in honorem B. Virginis facere, certam quotidie ad eam fundebat precationem: persuasus adhuc in ætate tenera, vt qui eam recitaret diebus singulis, obitus sui diem B. Virg. illi reuelante, prænosceret. Nec falsa fuit precatio, dum enim domi suæ postridie, quàm cum sua coniuge apud nos esset confessus, orat attentius, seque ad Eucharistiam, die à Confessario præscripto, suscipiendam religiosè comparat, audit vocem admonentis, sese vt paret diligenter, vt cui propediem ex hac vita sit abeundum. Credit ille oraculo; & die insequenti, compositis rebus cum suis creditoribus, domum reuersus in febrim incidit. Accersitur noster; rem illi omnem exponit. Confitetur iteratò, sumitque viaticum, & decedit.

Ceræ benedictæ à summo Pontifice, aquæ item lustralis vis enituit singularis, hac enim infans aspersus, morbo releuatus est, illa militi cuidam, sub oppugnatione Turcicam arcis Strigoniensis in Hungaria, cuti erat instar semptemplicis. Sæpius enim quod ipsemet retulit, ferreis globis, sclopo displosis petitus, omnibus aliis commilitonibus circa se cadentibus, manſit illæsus.

Hæc

Hæc de nostris in alios officijs, iam horum vicissim in nos, aliqua referamus. Atque vt à Viennensibus, quibus cum viuimus, initium ducamus; summa multi ex ijs nostros cum alias, tum pestis tempore, sunt prosecuti beneuolentia. Nam præterquá quod quidam alexiteria varia, ad veneni vim à sanis arcendam; quidam diapasmata, cæteraque id genus odoramenta, fragantiæ causa conciliandæ donarũt; & antidota nõnulli & alexipharmaca maximi pretii ministrarunt, aliqui etiam incolumes nostros in Collegio in domos suas receptum habere voluerunt; aliqui verò infirmis, extra vrbem ædes suas assignarũt. Taceo multos, mortem nostrorum, non gemitu solum, sed lacrymis etiam prosecutos, mitto matres liberos, quomodo iam pro huius, iam pro illius Patris vita conseruanda Deo preces offerrent, instruxisse: nihil dico sacra exomologesi expiatos, copiosis perfusos lacrymis vix à suis Cõfessarijs euelli potuisse; silentio inuoluo, quibusdam nostrum Sacerdotem, foris iam ad mortem decumbentem, inuisere, vix persuaderi potuisse: eodemque cum se voto frustratos cernerent; eidem, morte ipsius intellecta, sacra mortualia, eo in templo vbi humatum audirent, procurasse, eidemque interfuisse: hoc breuissime dicam; multis vicem nostram, perinde ac si ipsismet obtigisset, doluisse, quin etiam reperta est persõa quædam; quam propter statas preces, quas sponte ad depellendum à nostris ædibus malum assumpserat: cum id nihilominus nostros vrgeret; charitate (non dubium) Christiana ad id eam inflamante, à Diuina Maiestate, vt id in caput suum verteretur, expetiit; multos

de

de suis nobis annos augeri exoptãs, quorum industria Ciuitati esset summopere necessaria.

Illustrissimus etiam Princeps ab Holstein, Serenissimo Daniæ Regi sanguine iunctus, ipso Paschatis die sacrosancto, à meridie ad nostrum Collegiũ venit, & concioni interfuit, bonamque Vesperarum partem audiit. Exhibitũ ei á nostris, quicquid poterat (ex improuiso enim venerat) officij.

Sacerdos quidam in Austria Decanus, quo animo in nos, dum viueret fuisset, in morte sua declarauit, magna enim ex parte Viennæ moriens, Collegio suum peculium reliquit.

Scholas nostras, tumultu Hungarico anno superiore exagitatas, hoc anno etiam pestis magis afflixit, vacarunt nonnullæ propterea vsque ad Quadragesimam: omnes vix ad initium mensis Septembris perductæ; splendoris præteriti, ac frequentiæ vix, ac ne vix quidem in ijs vllum vestigium. Nec tamen ideo quicquam ex nostrorum Præceptorum industria vel labore decessit. Duo ex discipulis Societati nostræ nomina dederunt.

Congregatio Diuæ Martyris Barbaræ, in conuictorum Collegio, in corporis afflictionibus, cæterisque pietatis actionibus antiquum obtinet. Nõnulli ex Fratribus ipsius experti Diuæ tutelaris suæ in maximis periculis præsidium. Res prout est gesta describetur. Decanus quidam in Austria, Frater olim & Rector eiusdem Congregationis, secundo Danubii flumine, cum multis aliis, inter quos patruelis ipsius erat, descendẽs, naui in scopulum sub aqua latente impacta, naufragium fecerat. Qui cum eo vehebantur, omnes, nauta vnico excepto, vor-

ticibus aquarum absorpti illico periêre. Ipse summo in periculo constitutus, Diuam Barbaram supplex precatur: ne se ex hac vita sine pœnitentiæ Sacramento, & salutari Corporis Dominici viatico decedere patiatur: huius rei causa se illi quondam in clientem deuouisse; hoc nomine se nomen suum in album illius Fratrum referri curasse. His intentus, cum paulò ante in mediis vndis pericitaretur, repentè se in ipso littore esse deprehendit; modi, quo id factum esset, prorsus ignarus. Ergo præsentissimo defunctus periculo, ita vt ex aquis emerserat, vuidis adhuc vestimentis, sine pileo & pallio (hæc enim vt cætera alia aquæ auexerant) recta ad Collegium conuictorum venit, & in præsentia Sodalium, gratiis Deo prius, & B. Martyri Barbaræ actis, rem eo quo narrata est modo exposuit.

Vndarum hic periculo Diuæ Barbaræ ope subtractus est, hostili alter. Præfectus militum erat in Hungaria, eandem in Cõgregationem olim adscriptus. Hic palam coram Fratribus aiebat, se sæpissime inter pugnandum cum Turcis, vitæ supremum aduisse discrimen; omnesque se nonnunquam socios circumcirca profligatos desiderasse; mortem tamen, qua sibi nihil iam præsentius videbatur, Diuæ Martyris patrocinio euasisse.

LINCENSIS RESIDENTIA.

PErnicioſa hæreticorum perduellio, haud parum animarum fructum impediuit hoc anno Lincij. Certam enim iam conceperunt ſpem, fore, vt occaſione

casione illius motus exitialis, plenam peruersæ suæ religionis consequerentur libertatem, quam ob causam minus frequentes quam olim concionibus interfuere. Sed nec defuere aliæ causæ, propter quas non parum aucta est nostris difficultas, homines prauis imbutos opinionibus, ad viam veritatis reducendi. Reducti tamen sunt Deo opitulante, ad Ecclesiæ Catholicæ castra viginti quinque circiter, omnes à nobis fidei vera mysteria edocti; & ab hæresi expiati, duo ex ijs fuêre viri primarii. Eorum alter, cum annis amplius triginta summum gradum & dignitatis, & gratiæ, in quodam loco teneret, magnoque impedimento esset, ne subiecti celeberrimi cuiusdam Monasterii imperio coloni, lucem veritatis fidei Catholicæ aspicerent; multis eorum suadendo; vt aut solum potius verterent, aut certè simulatè agerent: tandem à nobis non sine magno tamen labore, ad fidem Catholicam percipiendam perductus est. Enimverò coniunx ipsius pessima hæretica, vna cum amicis quibusdam nihil prætermisit curarum, vt eum à Sacerdotis nostri colloquiis abstraheret. Qua in re dum se operam ludere cerneret, furiis ex animi impotentia velut agitata, mortem Sacerdoti inprimis, tum Marito, sibi denique ipsi, nisi in perfidia maneret, minitata est. Nec his quieuit furiosa mulier, eò vsque vecordiæ progressa est, vt coniugem grauiter decumbentem, & corpore valde afflictum, non tantum diris deuoueret, sed etiam percuteret. Sed enim plus diuina gratia virium ægro, nostroque constantiæ tribuit, quàm mulier, malo dæmone agitata, ad eos à proposito auellen-

dos terriculamentorum exhibere potuit. Igitur superato insanæ mulierculæ conatu, superiorum annorum perfidiam execratus, fidem Catholicam magna cum animi lætitia, multorum in præsentia se amplecti professus est. Postmodum confessione de tota vita præmissa, sacram Synaxim ritu Catholico piè percepit. Etiam non cessat grates Deo, & Sacerdoti nostro agere, cuius operam salutarem in re sibi fuisse expertus est.

Vir quidam tenuioris fortunæ, cum spem iam nullam salutis medici illi supereſſe dicerent, ad animum tunc primum curandum sese conuertit: vocat igitur vnum è nostris. Animo expiato à noxis, reliqua item Christianæ Religionis mysteria piè suscipit, cumque iam penè in extremis esset, mortis horrore perculsus: Eia, inquit, Pater, si aliquod præsto tibi est auxilium; iam fac quæso participem. Noster aquã lustralẽ homini propinat; vim ei ad morbos pellendos, diuini numinis super eam inuocatione docet conferri: iubetque magna cum fiducia bibere. Hausit ille quantum satis visum, & se quieti tradidit. Nocte domũ noster reuertit; mortuũq; existimãs, pro illo Deo postera luce supplicat. Iamque duo circiter menses elapsi erant; cum fortuito in nostrum incidens, sanus & bene fortis gratias illi pro medicina adeò ad morbum pellendum efficaci ostensa egit: asserens, post illius potum subitò se melius habere cœpisse, & non multò pòst integram recepisse sanitatem.

Supplicationem sanctissimæ Eucharistiæ pompa soleni celebrari solitam, Germanici rythmi tempo-

ri &

ri & personis accommodati, quatuor in locis à pueris tecitati, augustiorem longe reddidêre, eam ad rem etiam hæretici parentes nobis suos liberos obtulerunt.

RESIDENTIA SANCTI BERNhardi.

APud S. Bernardum præter Socios hic habitare solitos, quatuor anni mensibus postremis, Viennẽsis etiam Collegij peste à suis laboribus pulsi aliquot Socij, nobiscum vnâ fuêre: quorum necessitatibus, quantum fieri potuit prospectum est; è consuetis nostrorum circa proximos functionibus, nihil prætermissum. Binę conciones, altera domi in Monasterio, foris altera vno abhinc milliario, more solito, à nostris habitæ, fructus ex ijs non tantum ad huius Monasterij subiectos, sed etiam ad alios è pagis vicinis manãit. Complures. n. cum circa ferias Paschatis, tum Iubilæi tempore cõscientiæ maculas pœnitentiæ sacramento eluerunt. Supplicationem ad B. Virginem hinc duobus milliarib⁹ nostri comirati, plurimas cõfessiones excepêre, quarum aliquæ quinquennes fuere, ab hæresi Lutherana ad gremium Catholicæ Ecclesiæ vnus redijt. Reliqua cum nil peculiare contineant, superfluum visum esse commemorare.

COLLEGIVM GRÆCENSE.

SOciorum numerus idem penè erat præsenti anno, qui prioribus. Sacerdotes ab initio tres supra

viginti, sed à ferijs Paschalibus, accessêre sex, qui tum primam Deo victimam immolarunt, Theologiæ nauabant operam triginta, ex quibus decem vt in vinea Domini laboraret, euocati sunt, Logicę seni, Physicæ quaterni, Metaphysicæ noueni incumbebant. Vndeni domesticæ rei satagebant.

In reducendis ad fidem hæreticis, tanto minus laboris fuit, quantò magis sentina Hæreseos prioribus annis exhausta est. Erant tamen sexaginta circiter, quorum aliqui animam iam iam agentes arrepta fidei tabula, salutis vt speramus naufragium euaserunt.

Instituta est hoc anno simul cum solenni supplicatione festiuitas S. Angeli Custodis, singulis annis 10. Maij cum Octaua, per omnes Sereniſsimi nostri Prouincias celebranda. Approbatum est officium & sacrum ad petitionẽ Sereniſsimorum, per Sedem Apostolicam, concessa insuper per tres priores annos tam ipsa die, quàm in Octaua, plena peccatorum venia: infra Octauam verò, & per septem sequentes annos, tam ipso die, quam per Octauam decem annorum, & totidem quadragenarum Indulgentia, omnibus qui præscripta in Breui Apostolico, quod ipsi officio præfixum est, præstitissent. Quæ pietas erga S. Angelum Custodem vt magis conseruaretur, monumentum obsequiorum quæ hominibus impẽdit, insigni artificio in picta tabula expressum, & publice in nostro templo collocatum est.

Libet duo addere, quæ miraculo similia Beati P. Ignatij, & B. Edmundi Campiani gloriam non parum illustrabũt. Fœmina nobilis quartum iam diem partus doloribus conficiebatur; nec tamen eniti poterat.

poterat. Cruciatibus igitur confecta, & impos etiam mentis reddita iacebat, omnibus non aliud quám certam mortem breui expectantibus. Vocatur sacerdos noster, accedit desperatam, inclamat penè exanimi, sed frustra. Admouet iconē B.P.N. Ignatij cum Rosario & Lipsanotheca, ingeminat Iesum & Mariam, nomen & auxilium B.P.N. inuocat, ecce subito ægra mulier ad se redire, & placida voce, vbi fui? vbi eram? profecto adfuit mihi B. Ignatius, cui me antea enixe commendaueram. Confitetur deinde, communicat, inungitur sacro oleo, & non multo post enititur. Proles quamuis non diu superuixerit, Baptismum tamen accepit. Hoc de B.P. Ignatio; quod sequitur, simile est, sed euentu prolis & matris fœliciore. Vir est primæ nobilitatis, B. P. Edmundi olim Pragæ discipulus, qui tum omnia digna laude de Præceptore suo cōmemorat, tum vero peculiari etiam veneratione illum prosequitur, & inter præcipuos Patronos quotidie precibus colit. Accidit vt coniugem pariendi tempus fefellerit. Itaque subito dolere ex partu cœpit, cum neque de obstetrice adhuc cogitasset, quòd longius abesse partum putauerat, neque intempesta nocte, ob clausam Vrbem euocari tam subitò obstetrix posset: expediuntur tamen famuli, vt importune admittantur in vrbem. Sed vero siue errore illorum, siue consilio diuino factum est, vt obstretrix diutissime abesset. Interea cum dolor augeretur, nec auxilium humanum adesset, maritus & de coniugis, & de prolis periculo solicitus, ad opem Diuinam conuertitur, recenset ex ordine sæpius Patronorum nomina, sed semper sibi vnum

ex numero deesse animaduertit, neq; tamen quisnam ille sit, recordari vllo modo potest. Tandem post diutinam meditationem, occurrit animo B. Edmundus Campianus, miratur ille, Sanctum quem alias in primis nominare soleret, tam pertinaci obliuione potuisse sepeliri! Itaque nõ dubium ratus, Diuinum aliquod omen esse: ô Beate, inquit, P. Edmunde Campiane, succure vxori meæ laboranti. Vix edixerat, & statim vxor facilimo enixu masculum peperit. Iam genuerat, & obstetrix adest, quæ matri & filio reliquam operam præstet. Maritus & filio & coniuge salua lætus, vt beneficio gratus esset, Edmundi nomen infanti imposuit.

Templi supellex sacerdoti veste argentea quadruplici, & binis, vt vocant, antipendijs, creuit. Ex his vestem vnam & antependium Serenissima Constantia Poloniæ Regina ex nuptiali toga paratum huc misit.

COLLEGIVM PRAGENSE.

PRagæ censi fuimus hoc anno plerumq; quatuor & quadraginta: sacerdotes viginti vnus; in his Professores quatuor: Auditores sacrarũ lectionum duo, non sacerdotes Magistri, quatuor: Auditor sacrarum lectionum vnus, Philosophiæ quinque, reliqui rei domesticæ administri, domi & prædijs vndecim. Omnes, Deo gratia, salui. Lues scholarum florentissimam & frequentissimam iuuentutem dissipauit; multos, & in his aliquot ex vno & viginti non multò antè prima Philosophiæ laurea donatis, è medio studiorum & vitæ cursu sustulit. Sed quasi reuerita sacrum attingere cærum, nouem

nouẽ ex Pontificio Alumnatu Theologos, qui meditationib⁹ B.P.N.Ignatij præculti, simul vna die, in ipsa iam contagionis flamma, prima Deo noui Sacerdotes sacrificia offerebant, immunes dimisit: ij, sicut magno desiderio propter Sacerdotum inopiam, multò antè expetiti fuerant; ita non minori studio excepti satisfaciunt, quantum scimus expectationi. Vnus quidem, qui cum latêre vellet, & Sacellanum aliquanti sperageret, subito & satis inuitus ad Præposituram Rauonicensem euectus; statim primis initijs tanta animi magnitudine simul & moderatione, in eo munere est versatus, vt non laudem tantum, sed & admirationem magnorum hominum, licet non sine quorundam malorum insigni odio, meruerit; præsertim in abroganda sicca, quam vocant, Missa; & quibusdam alijs Husiticis superstitionibus. Supra hos nouem, fuerunt & tres alij, qui in scholis nostris sufficienti doctrina exculti, sacris initiati sunt; quibus priusquam operarẽtur, exercitia quoque B. P.N Ignatii tradita, sicut & præterea alijs quatuor. Præter eos, qui Capucinorum, & alias Religiosorum familias adamarunt, ingressique sunt, qui Societatem nostram expeterent exeunte anno, numerati sunt triginta amplius: sed aditus duobus tãtum patuit. Ex varia hæresum colluuie, quibus Praga scatet, ad Ecclesiam reducti centum quinquaginta sex. Eorum vnus totos sex annos, quid crederet, dubius; omnia obibat templa & conuentus hæreticorum, sicubi veritatem cognoscere posset: sed quoquo veniebat, nusquam potuit animo cõquiescere:

scere; quin vt ipse dicere solitus est, semper ei vbique omnia fœtebant, tantummodo cum ad nostrum templum veniret, ibi nihil fœtebat: eamque sibi causam extitisse ait, vt in odorum sponsæ Christi Ecclesiæ fragrantiam, totis viribus curreret.

Nec tacenda hic est charitas & liberalitas illustrissimi Domini Gulielmi de S. Clemente, ad sacram Cæsaream Maiestatem Regis Catholici Oratoris; qui sub initium eiusdem pestis, aduocato ad se, eo quem modo diximus nostro sacerdote, liberaliter se obtulit, ad soluendum censum Domus, quæ pro eiusmodi ægris curandis conducenda erat; itemque ad omnem sumptum, in eorum victum, & medicinas faciendum. Est verò idem Illustrissimus Orator Societatis nostræ studiosissimus, sicut & Illustrissimus Nuncius Apostolicus Stephanus Ferrarius Episcopus Vercellensis, qui quotidianis documentis, non desinit suum erga nos amorem testari. Serenissimus item Transiluaniæ Princeps Sigismundus, in hac licet prope priuata fortuna, nihil de antiqua liberalitate & beneuolentia erga Societatem remittit. Empta est hoc anno tredecim ferè millibus talerorum pars vna latifundij Bernarticensis, cum domo, quæ aliquibus Collegialibus in hac lue præbuit perfugium.

COLLEGIVM OLOMVCENSE.

HAbet in præsentia Collegium 39. de Societate; præter quinque alios in Conuictu degentes: vniuerse 44. pauciores 6. reliquo anno numerati sunt; Sacerdotes modo sunt 18. Præceptores non Sacerdotes, 4. tantum; alij septem è Sacerdotibus:

Schola-

Scholastici partim Theologiæ Positiuæ, partim Philosophiæ Auditores 13. præter vnum infirmum continuè. Coauditores 8. in Societatem post Rhetorices studium recepti 4. Cursus Philosophiæ extra ordinem in autumnali renouatione inchoatus, quòd Viennæ & Pragæ grassante pestilentia, Scholæ in tempore resumi nequirent.

Hæresim reliquerunt centum triginta tres: suspectum sacri calicis vsum 29. Sacramenta frequentantium numerus quoque prioribus annis haud paulò maior. Illustrissimus Cardinalis aliquoties in templo nostro sacram Synaxin populo distribuit, magnopere delectatus multitudine epulantium & deuotione. Concionem habuit, & Pontificali cæremonia sacrum cantauit Festo die Circumcisionis, & Assumptæ Virginis Deiparæ. Sub id tempus promulgatum fuerat Iubilæum Sanctissimi Papæ Pauli Quinti: voluitque idem Illustrissimus Cardinalis vnam ex publicis supplicationibus, è nostro templo ad Cathedrale prodire, ipso gestante venerabile Sacramentum; quod & in alijs supplicationibus fecerat. Dies etiam duos dixit, quibus vellet ipse communionem præbere causa Iubilæi: altero quidem in templo Cathedrali; altero autem in nostro; qui dies cum esset Assumptionis B. Mariæ, geminata celebritas est.

Beneficio Sacramentorum, sacratique Agni gestatione, quidam curatus est; qui vi partim morbi, partim spectris sibi vndique obuersantibus, animi pene impos effectus fuerat. Quidam alius signifer, tota nocte à dœmone, quem nec ipse, nec sui videbant, tametsi lumine semper collucente; audiebāt

autem incedentem frementemque; solus autem miles verberantem sentiebat mire vexatus & colaphis pugnisque contusus, mane remedii causa ad Collegium venit: iussusque in vesperam comparare se ad cõfessionem, postridièque communicare; cereo etiam Agno appenso, importunum depulit vexatorem. Iudæus quidam in Collegio Catechesi instructus; dum alibi baptizatur, in præsentia virorum nobilium, inter exorcismos, ad illa verba, exorciſſo te diabole, tanquam fulmine ictus retroactus cadit; dumque baptismatis respergitur aqua, mire turbatur & tanquam energumenus agitatur. Deprædicarunt ipsi hæretici cæremoniarum Ecclesiæ vim, & multum hoc facto permoti sunt. In publicum etiam Religionis bonum, illud à Societate profectum. Agebant quidam (& peregissent) vt hæreticis indulgeretur facultas, domos in Ciuitate & fundos coëmendi, saltem ijs, qui ius antea Ciuitatis haberẽt; quod ipsis per annos iam quatuor, saluberrimo decreto fuerat inter alia denegatum: & periculum erat, ne ab hac indulgentia fieret ad alias gradus, magno Religionis damno. Celabatur nostros studiosè consilium istud: sed pari & maiori etiam silentio obuiam cuniculis itum; discussaq; res est, & imposterum prouisum.

COLLEGIVM CRVMLOVIENSE.

SOciorum Crumlouiensium hoc anno numerus fere intra vigesimum, quo etiam nunc manet, stetit Sacerdotes recẽsiti omnino 10. in quibus professor Poeseos vnus, Syntaxeos alter: Fratres Magistri Grammatices duo: valetudinis curãdæ studiosus vnus:

vnus: reliqui rei domesticæ adiutores. Duo quidem sanitati reparandæ, huc aliunde æstate accesserant, sed alter sanus effectus, suis est restitutus, alter intima tabe pene confectus, cum cæli salubritatem, Fratrisque nostri medendi peritiam vincerent, ad meliorem, vt speramus, vitam migrauit.

Solus vnus Sacerdos (mittantur alij) quadringentorum sexaginta duorum, supra ter mille conscientias, Absolutionis impenso beneficio expiauit; computatis ijs, quorum vitæ vniuersæ maculas eluit: horum enim centum quadranginta octo annotauit. Pari ratione quidam alius quadraginta generales Confessiones solo Iubilæi tempore excepit. Quod Iubilæum sane & solennius & fructuosius alijs retroactis accidit annis, cõcionib⁹ vtroq; idiomate Boemico & Germanico, indulgentijs adhibitis. Quinque supra septuaginta (in quibus duæ familiæ) calicem deseruere: & triginta duo, qui partim à Picarditarum, partim à Lutheranorum sectis, ad Catholicorum Castra transiuerunt. Quibus non immerito alios coniunxeris duos, quos Deus nouo quodã modo ad amplectendam fidẽ nostrã adduxit. Vescebãtur illi esuriali quadã feria, cibis prohibitis. Licentiam illicò grauis morbus corripit, cui repellendo, cum noster accerseretur, occasione patefactæ causæ, veritatem Ecclesiæ Romanæ, cuius lex violata mali tam repentini origo extiterat, breuiter aperit. Credunt illi differenti; exponunt culpas audienti, absoluuntur ab animæ morte, liberantur à corporis morbo. Ac ne eos vnquam tanti beneficij obliuio capiat: non modo à carnibus, sed etiam quibuscunque alijs lacticinijs, Ieiuniorum die-

bus

bus, abstinentiam perpetuo firmatam voto, Deo nuncuparunt. Senatus auctoritate, excursiones, ad vicini cuiusdam alterius Dominij Prædicantis putalitia Sacramenta, caro satis coemenda, impeditæ sunt; ac alia eius generis, quæ Religionem tueantur & augeant, plura salutariter constituta. Quibus tamen efficaciter licet Hydræ istius Lutheranæ amputatis capitibus, alia subinde noua excrescunt, & pullulant non parum molesta Catholicis, quorum virtus in patientia ornatur ac perficitur. Virgo fuit, quæ vbi absque scitu permissuque matris, ab vtraq; ad alteram speciem transiisset, graue odium eiusdem in se immeritæ, ac potus laude imitationeque dignæ, cõcitauerat: adeo vt materna ex domo multis imprecationibus diriſq; deuotam exturbauerit: exturbatamque pro filia in posterum nisi resipiscat, i. erret, non habituram edixerit. Quæ tantum abest, vt virginis emolluerint animũ, vt etiã magis in fide semel susceptа corroborata fuerit cõstantia; eligens prudenter præ illa Ecclesiã habere matrem, quo posset habere Deum Patrem. Alii ob desertum á se Lutherum, à suis cõtribulibus multum diuque vexati, iniuriis variis & nefariis maledictionibus affecti, egregia patientiæ constantiæque documenta præbuerunt. Sacramentorum vsus persuasus crebrior; quibusdam subtracti libri pestiferi; nonnullis in fide vacillãtibus exposita assertaque veritas: alijs Missæ sacrificium diebus sacris temerè negligentibus iniecta religio: alteris ieiuniorum leges facilè migrantibus earundem persuasa obseruantia: quãquam cuidam ex hoc genere aliunde salutaris plane terror iniectus est. Cum enim quarta Cinerum

feria

feria more suo, qui apud suos Luthericolas, è quibus non ita pridem emerserat, carnes ederet, tanta subitò nausea correptus, vt male sanum iam lubens relinquere cogeretur edulium

Ad hæc duobus aduersus egenos commota misericordiæ viscera: alteri quidem, vt morbidis lectuloque affixis tantum erogandam, liberalem stipem non facilè exhauriendam exhibuerit: alteri verò, vt quothebdomadis, centũ omnino panes mẽdicantibus distribuendos assignauerit. Eos, qui atroces inter se lites fouerant, adduximus; vt datis dextris, expiatisque simul confessione conscientiis, acceptisque sacræ Eucharistiæ symbolis, mutuam beneuolentiam susciperent. Duo coniugum paria, quorum alterum annis 13. paucioribus alterum, illegitime sese cognouerant, vt in tempus posterum legitimo matrimonio vtantur, curatum. Duo alii, matrimonio honesto iuncti; cum inter eos grauis à Zelotypia discordia nata esset, deque discidio iam cogitarent, nostri Sacerdotis hortatu in stabilem gratiam rediere

Quosdam è carcere liberos eduximus; ægrotis, necessariis ad feliciorem ex hac vita discessum, præsidijs adfuimus. Quorũ in numero, sacro Chrismate delibutos septem, inter homines adhuc diutius retinuimus, quos inter duo prouectæ ætatis senes, qui bis in omni vita se Sacramenta suscepisse tantũ recordari poterant, quasi sanitati idcirco restituti, reliquum vt vitæ sanctius præterita, transigerẽt. Duæ quoque vterum ferentes extremo perunctæ oleo, suam, suorumq; fœtuum vitam in vltimum discrimen adductam conseruarunt. Dici vix potest, quã-

tam

tam ante hac vix vsitati Sacramẽti, recepta eiusdem beneficio sanitas, cæteris, quibus res innotuit, existimationẽ pepererit. Lieet Auditores discipuli omnes, præcipuo cultu Virg. Deiparã prosequantur; in Diuam tamen quoq; Catharinam studiorum Præsidem miro quodam amore, secundum illam, feruntur, quem & ipsius honori festi sacrato die, itidem poëmatibus cõpluribus, ac Dialogo, breui illo quidem, sed venusto ac in exornanda ipsius Beatæ statua, declararunt: cui & annulos, frontalia, monilia, testes perpetuæ erga eam obseruantiæ, castitatisque ipsius imitandæ, parentum suorum transmissa liberalitate inseruerunt. Porrò ad fouendam in litterarum studia alacritatem prẽmia, sub Autumnalẽ eorundem renouationem, Reuerẽdissimi D. Abbatis Garstensis manu distributa plurimum cõtulerunt. Quo tempore in scenam dati, Pastor & Iustus Martyres Complutenses, egregio spectatorum gustu & fructu: vti & Theophilus pœnitens, diebus illis, quibus in anno debacchandi licentia à plerisque vsurpatur, præclare accommodatus.

Quinquaginta numerantur capita, quæ piorum hominum maxime eleemosynis sustentantur. Tres hoc anno (vt omittam ea, quę illis cum studiosis cæteris fuerunt cõmunia) inde creati sacerdotes: quatuor ad Pragensem summi Pontificis Alumnatum destinati: sex ad Cistercienses, totidem vno minus ad Augustinianos; tres ad Præmonstratẽses, duo ad Franciscanos animum adiecerũt: Quos postremos vnus ex ciuitate comitatus. Claudant tandem Annales, Peregrinantes Caiouienses. Quorum hoc anno tanta ex varijs locis, præsertim aureis, quos vocant,

vocant, Sabbatis, multitudo Caiouiam cõfluxerat; vt sacerdoti Germano verba facturo (nec Boëmo deerant sui) extra templum extraque cæmiterium, quæ alioqui ampla satis, in late patentem campum exedra fuerit transferenda. Ita licet furentibus & frementibus quamuis in medio nationis prauæ hæreticis, cultus erga B. Virginem, ipsius ope maioribus semper pietatis accessionibus cumulatur.

COLLEGIVM COMOTOVIENSE.

FVerunt hoc anno in supremo nostrorum numero, duo de triginta: decem videlicet sacerdotes, 4. Præceptores, operis externi Adiutores 6. Nouitij 8. Humanæ debitum naturæ persoluit P. Bernardus Ruff Coadiutor spiritualis formatus: vir vt imbecillo corpore, ita contra animo ac studio iuuandi proximos, laboribusq; impigre obeundis perquam fortis. Vixit in Societate annis 27. quorum plerosque decurrit habendis ad populum concionibus, & excipiendis domi foriſque confessionibus: donec diutuma Paralysi confectus, ea pietatis patientiæque signa dedit, quæ Religiosam disciplinam comitari, & lõga solet mortis expectatio afferre. Eius loco in Societatem cooptatus est vnus. Iam vero quæ de venditione Dominij, superiori anno diu multumq; agitata fuerant, huiº initio suum sortita sunt effectum: magno Religionis & Collegij nostri detrimẽto, quippe distractum & inter varios hæreticos diuenditum vna cum iure Patronatus, omnem fere spem promouendæ deinceps Catholicæ fidei nobis ademit. Ad hæc subtracti à Ianuario reddituº annui mille talerorum Domui Pauperum, quin-

quingẽtorum fabricæ, ac totidem ferè in pios vſus, ita vt ſi vllus ante, hic nobis fuerit annus maximè infelix ac infeſtus. Porro venditionis primꝰ is fuit fructus, vt Nobilis quidã Lutheranꝰ ipſo die Palmarũ, tres Parochos templis ſuis eiecerit, eademque ſecunda Paſchatis feria, conuocatis aliunde Prędicantibus, occuparit, vt nec in hodiernum diem cõſtet, an relictæ ibidem ſacræ ſpecies Euchariſtiæ, defecerint vetuſtate, an à Prædicantibus alijſue perierint profanatæ. Alter fructus fuit, quod Comotouienſes, qui ciuitatẽ cum pagis aliquot & ſyluis 97470. redemerunt, circa idem tempus renouato Senatu omnes Catholicos eiecerint, illis potiſsimũ ſubrogatis, quos ad promouendã hæreſim futuros exiſtimarent promptiores, quo factum eſt, vt ipſo die Paſchatis, cum ex templo Parochiali conſueto more ad hoſpitale inſtituta eſſet proceſsio, templi eius occluſerint, nec niſi in limine, reſurgẽti Chriſto ſtationem conceſſerint. Et quanquam pro iure patronatꝰ acriter fuerit decertatum, adeo vt quatuor omnino decreta, Cęſaris ſubſcripta manu, ad Nobilem illum pro omnimoda Parochorũ reſtitutione ſint tranſmiſſa: nihilo tñ nimis tergiuerſando hucuſq; tempus extraxit, nec ſe collaturarũ iuri ceſſurum profitetur, niſi publico fuerit iudicio conuictꝰ. His initijs vſq; adeo in ſua ſe ſententia confirmarũt aduerſarij, vt contempto Cæſaris decreto, quo ante biennĩ omni cultu ac veneratione proceſsionem Corporis Chriſti proſequi iubebãtur, nullus Senatorum in ea cõparuerit, imo occulte impediuerint, ne vel ante arcem, vel curiam ſolita altaria collocarentur; qua de re depoſitæ quidẽ apud ſacram Cæſaream

ſaream Maieſtatem querelæ, ſed indicto propter contagionem iuſtitio, nihil effectũ. Ab hæreſi ad Catholicæ gremium Eccleſiæ traducti 29. Inter quos præter alios adoleſcentes Nobiles, qui vberem ſuo tempore creduntur allaturi fructum; iure primas habet vnus ex magnatũ proſapia 18. circiter annorũ adoleſcens, qui partim Ario, partim Caluino à teneris imbutus, cum de Baptiſmo ſuo dubitaret, priuatim ſub conditione eſt baptizatus, iamq; Rhetoricis vacans ſtudijs, præclarum & pietatis & modeſtiæ præbet exemplum. Scholarum frequentia, tametſi ſubtractis redditibus ſuperiorum annorum multitudini nõ reſpondit; damni nihilominus reſarciẽdi ratio inita, inſtituto conuictu; in quo, qui honeſtius haberi volunt, triginta: qui cõmuni menſa viuunt, 20. taleros annuè pendunt. Quo factum eſt, vt nunquam tot Nobiles, alijq; honeſtorum ex Regijs ciuitatib⁹ filij ad nos cõfluxerint: qui licet pares ſemper extiterint in vtriuſque ſtudij conatibus; præcipuã tamen & pietatis & doctrinæ laudem ferunt Parthenij. D. Virgini Crupnenſi Magnificus Dominus Ioannes ab Haſenburg cum coniuge ſua, liberaliter obtulit donaria, hoc eſt, argenteum, ſed mero veſtitum auro calicem, aliaque non leuia ſacrę ſupellectilis ornamenta. Ij verò qui perluſtrarunt Collegium, nõ modo multi, ſed & magni fuêre nominis, perſonæq; primariæ: in quibus, omiſsis alijs, fuit illuſtriſsima Fundatrix Collegij Nouodomenſis cum Filia ac Genero Domino Slavvata, ſacrę Cęſareæ Maieſtatis ſupremo cubiculario: Illuſtriſsim⁹ item Comes Truxeſius Cæſaris in Imperiũ miſſus Legatus, qui carmine & concentu muſico in domo excepti, omne ſuum ſtudium in promouendis re-

bus nostris promiserũt, ipsisq; studiosis p̃clara beneuolẽtiæ signa reliquerũt: quæ si omnia in vnũ conferantur, centũ facile superabũt talerorũ summam.

Illustrissimus item designatus Archiepiscopus Carolus à Lamberg, cum ad D. festum Catharinæ suis è bonis huc excurrisset, dialogismum symphonicum, quo iucunda inter se artium liberalium concertatione Musica primas salutandi, nec non de susceptu dignitate gratulãdi partes tulit, adeo libenter audiuit, vt propter eum tam domui quam Collegio omne suũ studiũ, operam que nõ minus prolixe, quam amanter obtulerit. Et cum apud nos pernoctasset, templo arcis studiosos fere omnes, magna sui consolatione sacra Eucharistia refecit. Inde nobiscum prandens, vicissim dominij Parochis, auditis eorum afflictionibus, non se beneuolum modo, sed ad defendenda quoque singulorum iura longe promptissimum præbuit. Quare cum magnæ sit apud Cæsarem auctoritatis, in spem venimus fore, vt afflictæ res Ecclesiæ breui per eum consequantur statum meliorem.

Ad extremum nec temporalibus sua defuit accessio, nonnihil enim sacro Ornatui adiectum, præclaris voluminibus aucta bibilotheca, multi dono dati hæreticorum libri. Horto suburbano coempta magna pars agri & siluulæ, quæ vt loco recreationis proxima, sic oberrantibus subinde in ea externis, libertatem nostris adimebat. Alius item hortus, quẽ olim Collegii fundator suis abstractum bonis, nostræ inscripserat fundationi, iam tandem post multas difficultates Cæsaris beneplacito, nobis in possessionem datus. Denique & Domui pauperum hortum pratumque legauit prouecta ætate vidua

non

non Catholica, plus legatura, vel etiam Catholicam Religionem sub finem vitæ, vt ex certis indicijs coniici potuit, resumptura, nisi hæretici illam circũstantes imminentem eius mortem occultassent.

COLLEGIVM NOVODOMENSE.

NOuodomi habitarũt hoc anno 28. circiter: Sacerdotes 6. Præceptores 3. Rhetoricæ Auditores 6. Administri rei domesticæ 1. Adscripti in Societatem duo facultatis Oratoriæ studiosi. Transcriptus in cœlum, vt speramus, P. Georgius Cracouius rara Hebraicæ Græcæque linguæ peritia insignis, qui diutina tabe confectus (dum hinc aëris mutandi causa Crumlouium concessisset) paucis post diebus, ibidem religiosè pièq; obiit. Est quoq; diligenter nauata à nostris opera concionando Boemice & Germanice: Sacramenta administrando; ægros inuisendo, moribundos ac vinctos, qua licuit ope, iuuando. Ad vndecim, relictis Hussii aut Lutheri commentis, Religionem Catholicam susceperũt. Persuasum Baroni vicino, vt Hussitico Parocho amoto Catholicum substitueret. Iubilæum plerisque ansam præbuit, vt totius vitæ suæ maculas eluerent. Paschalibus ferijs in pago vicino, incolæ rationem peccata rite detegendi, non sine fructu edocti. Templa duo quæ vetustate ac incuria propemodũ collapsa erant, erogatis eleemosynis instaurata. Aræ sumptuosæ, tribus locis solenni peregrinatione celebrari consuetis erectæ. Hoc anno in nouum triclinium, quod Illustrissima Domina Fundatrix stannea supellectili donauit, migrauimus. Cœpta est etiam domus Pauperum à fundamentis extrui, & dimidiũ fabricæ perfectum pecunia, quam anno

superiore Reuerendus D. Martinus Pansorius Parochus moriturus legarat.

COLLEGIVM LABACENSE.

DEgerunt hoc anno Labaci plerunque 19. vndecim Sacerdotes, ex quibus quatuor in Scholis lectores, alij alijs occupati officijs. Reliqui Fratres : ac vnus quidem lector in principijs, alij rei domesticæ adiutores. Ægritudines aliàs huic loco superioribus annis frequẽtiores, hoc anno plurimũ remiserẽ. Vix enim quisquam periculosius aut grauius laborauit, præter vnicum P. Vrbanum Iunium Coadiutorem formatum, Collegij procuratorem, qui laboribus tum rei familiaris (octo enim annos hoc munus, vti prius Græcij, ita hic vtiliter obierat) tum audiendis confessionibus fractus, in cœna Domini ægrotare incipiens, 10. post die extremũ obijit vbi annos in Societate 16. religiosè egisset. Licet vero videatur sterilior hic annus, eò quod vix quicquam præter communia protulerit ; tñ in his ipsis non contemnendus extitit prouentus. Nã in Natalitijs Christi Domini ferijs, maximeque promulgatis in earum Octaua Societatis Indulgentijs, cõfitentium & communicantium longe maior, quam hactenus fuit numerus. Ad Paschalia etiam festa maior multò confluxit frequentia, & quidem ob confessariorum paucitatem, vltimam maioris hebdomadæ dierum multitudinem ac compressionem euitare cupientes, vtiliter & ex huius loci consuetudine, cõpluresillud tempus anteuerterũt. Ex tribus Slauonicæ linguæ Cõfessarijs, vnicus pro Paschate, vltra mille trecentas accepit cõfessiones. Ab alijs, eorumq; qui Germanicæ & Italiæ confite-

tur

tur, initus numerus non fuit. Vnus item 24. confessiones de tota vita excepit. Ab hæresi 12. circiter absoluti. Iubilæum à sanctissimo D. N. Paulo datum, longe maiorem habuit confitentium accursum ex plebeijs, quam superioribus annis. Magno iuuentutis bono, Catechismus paruus pro infima schola in Slauonicũ Carnioliæ idioma traslatº, hoc anno primum typis excusus est. Graue omnino scandalum, quod ex dissensione & litigio duarum personarum, Ecclesiastica in dignitate cõstitutarum imminebat, nostrorum interuentu est impeditum. Vis concionis nostri Patris in eo eluxit, quòd cum quidam hostili odio in aduersarios ferretur, vsuq; SS. Sacramentorum abstineret quartũ iam annum, illum ad dimittendam vindictæ cupiditatẽ, deponendamque simultatem, ineundam gratiam, ac denuo ad pristinum Sacramentorum vsum, permouerit.

Sub finem anni præteriti, Congregationi B. Virginis inter studiosos factũ fuit exordium. Hoc verò anno ita cultu in B. Virginẽ progressi, vt plures mẽses, imo annum integrũ ex præscripto Regularum Congregationis tyrones suos præcolerent; solenni etiam vsu candelarum ac symphoniæ, vario ac eleganti carmine & communione in templo pręcipua D. Virginis festa concelebrarent. Eo triduo quo Christi Domini sepulchrum colimus, Sodales horas diuinas ita inter se distribuerunt, vt singulis aliquot ex ijs per vices orarẽt: quibus rebus perfectum est, vt Congregationis desiderium Principes ẽt viri prę se ferrent. Nam Rmº. Labacensis in eam cooptari voluit, supellectilem Altaris D. Virgini obtulit, librum insuper non modico sumptu, in quem nomina Congregatorum inferrentur, procurauit. Atque vt

plus alijs tum animi ad dãdum nomina sua, tum ad colendam V. Matrẽ præberet, primº esse voluit, qui sua se manu inscriberet. Dynasta etiam vnus nõ vulgari artificio pictam tabellã & 40. florenos: matronæ nobiles, lineã pro Altari supellectilem magni valoris obtulêre. Eadem Sodalium laude admodũ R. Pater N. permotus huic nouello cætui legitimæ Congregationis nomen impertijt, priuilegijs decorauit, & Romanę associauit. Acceptis verò litteris R. P. N. eas maxima qua possent animi veneratione, & publica celebritate proponere libuit: omnes. n. prę missis generalibus Exomologesibus, sacratissimam Christi Dñi Corporis Synaxim die destinata obiêre, orationẽ vnus tempori locoq; accõmodatissimam, superiori loco pronunciauit: qua tum Deo & Virgini Matri, tum admodum R. P. N. & Congregationi Romanæ, omnium nomine gratię actæ. Inde subsecuta fidei professione, ex sacrosancti Concilij Tridentini formula, B. Virg. denuo sese deuouêre oẽs; ac demum cõfirmatæ Congregationi suæ, inlectissima tam religiosa, quã sæcularium hominũ corona Præfectum elegêre. Quę omnia exquisitus Musicorum cõcentus ita ornauit, vt non mediocrem festæ diei splendorem addiderit. Ex quibus incrementa Congregationis in posterum maiora speramus.

Perrexit suam in Societatẽ animi beneuolẽtiam Rmº. Labacensis declarare. Nam præter impensas in præmia, nec non auxilium non contemnendum pro excudendo typis Catechismo, etiã centum florenos in fabricã pro arena cõtulit. Ex Serenissimi Fundatoris veteri munere, ducẽti quinquaginta floreni accessêre. Seminario quoque pauperum studiosorum, huius Collegij scholarũ præsidio singulari

lari, acceſsêre non exigua incrementa, aptatum capacius triclinium, pro quo centum floreni oblati. Mercator Venetus ducentos quinquaginta, ex lite quã cum ciue Labacenſi geſsit, liberaliter donauit. Eccleſiaſtici ſuos ét Religioſos ac Alumnos; alij opulentioris conditionis viri, filios in id ob diſciplinam & literas ſuſcipi voluerũt. Vixêre aũt in eo hoc anno fere 60. ea diligentia, vt in ſtudiorum inſtauratione pleraq; præmia eius Alumnis obtingerent. Ex hoc vtiles in vinea Carniolæ operarij producentur ſuo tempore, tantoque plures, quanto maior per Dei bonitatem fundatio eius acceſſerit.

COLLEGIVM GLACENSE.

IN Collegio Glacenſi numerati ſunt hoc anno Socii 18. Quod ad externos attinet, primum ſibi meritò locum vendicant quatuor ex Præmonſtratenſi familia, ex S. Vincẽtij Martyris, VVratislauia miſsi, qui ſpiritualibus exercitijs animum apud nos excoluerunt. Confeſsiones ſunt auditæ 600. circiter; è quibus 14. aut plures de tota vita fuerunt. Crimina lethalia prius occulta, poſtea malo rubore depoſito, manifeſtata ſunt. Sacram Chriſti menſam Paſchæ diebus, adierunt 567. alias totius anni decurſu non defuerũt frequentiores ſolito diuinis epulis cõuiuę.

In concionibus non pœnitendus conſtitit operæ fructus; iactatæ ab Hæreticis contra fidẽ calumniæ dilutæ; Catholicorum mentes egregiè confirmatæ ſunt; Prima Dominica poſt Paſcha tres rabulæ, tribus diuerſis cõcionibus pro ſuggeſto proclamauerunt, Mechanicum quendam in Euangelii luce & natum & educatum fuiſſe; cui Ieſuitæ quã primum eos incautus acceſsiſſet, tãtas errorum tenebras offudiſsẽt, vt á veritatis ſemita deflectere, peccata ſua

ta sua Papistarum more detegere, atque sub vna panis specie Eucharistiam sumere non dubitarit; quæ vbi omnia confeciſſet, extemplò ſcelerum vindice Nemeſi, & capitis vertigine correptum, moxetiam à dæmone occupatum fuiſſe. Hoc commentum noſter concionator publicè pro concione detexit, artificemq; illum, Catholicam veritatem, cum ipſo materno lacte ſuxiſſe; & longe antequam Sacramẽta apud nos percepiſſet, cummorbo & delirio; nũquam vero cum dæmone cõflictatum eſſe, adeo luculenter, locupletiſsimis fultus teſtimonijs demõſtrauit, vt palã omnibus Auditoribus factum fuerit, quã nulla doctrina, ſola mentiẽdi libidine, miſeram plebeculam, in diaboli adigere prædicantes ſoleant poteſtatem. Eundẽ concionatorem cum quidã de patrũfamilias cura diſſerentem audiuiſſet, quam ij adhibere debent, vt familia diuinis ne deſit officijs, ita dicta probauit, vt vir domum reuerſus, cõfeſtim eam familiæ partem quæ ex hæreticis operis conflicta erat, numerato ſtipendio dimiſerit; hac vnica de cauſa, quod Hæreticas vitare, Catholicas viſitare conciones abnuerẽt. A caulis Hæreticorum, ad Eccleſiæ ſepſa tranſierunt 21. In quorum numero reponenda eſt Nobilis ſponſa; cui connubij pariter & veræ fidei ſponſus auctor extitit. Is fuit Iuriſconſultus, tantum amore Catholicæ Religionis accenſus, vt pactam Virginem, niſi hæreſeos virus expueret, deſerturum ſe ſe cõſtanter matri eius minitaretur. Iamque neceſſaria diſceſſui apparauerat, & in craſtinum nuptijs valere iuſsis, abiturus erat, niſi demum mater filiam tori ſimul & fidei ſociam ei adiungere voluiſſet: nunc vterq; vitã in coniugio Catholicam, ſanecq; piam degunt. Huc referẽdus eſt Pagan⁹ille, quem

quem lecto affixum, quia Lutheranus minister extremi causa officij inuisere recusauit: suasu alterius rustici perfectũ est, noster vt accederet, ægrotantiq; sanitatem animæ, & Ecclesię Sacraméta impertiret, obstupescentibus ijs, qui prę sentes adfuerant, quod prolongi defatigatione itineris, mercedem neq; requireret, neq, oblatã admitteret. Hi recẽs ad fidem adducti; alij in eadem nutantes & labascentes confirmati. Ex quibus est persona, quã ad oblatum salutis portum cursu contendenté, ad errorũ scopulos hæretici impulissent, nisi vacillanti animæ noster opem tulisset, spiritusque tam uiuidos addidisset, vt fidem & ipsa retinere statuerit, & aberranti sorori persuaserit. Fuit alia rure fœmina, quæ depositam filiolam suam lacrymabunda lugebat, lugenté quædam venefica adijt, grauiterq; transfugij à Luthero iam inde à biennio commissi accusauit, eam solam causam esse, cur Deus filiolã suam sibi eripuerit, neque hic eius vindictã cessaturam, nisi ad frugẽ Lutheranam continuo sese recipiat. His veneficæ anus verbis, venefici illi, qui venena errorum miscere solét animis mortaliũ Prædicãtes, pharmaca sua adiecerũt, quibus icta ac victa infelix mulier diẽ calici sumendo acceptauit. Sed interim cum Catholica vicina, quæ puerperium exegerat, cæteris comitibus fœminis templũ nostrũ adijt, & cõcionatori de personatis prophetis dicenti, aures nõ sine lacrymarum profluuio præbuit, cuius partim oratione, partim & præcipue industria mariti, qui illi oẽm omni diligentia aditũ ad hæreticorum consuetudinẽ intercludebat, effectum est, vt altero tertioue mense, non solum ad pristinam sed meliorem ẽt mentem aucto religionis Orthodoxæ zelo sit reuocata. Ma-

ioris sane constantiæ specimen dederunt eæ Virgines, quæ ab hæreticis sponsis postulatæ, ea tñ lege, nuntium veritati remitterent: hæreticis se potius thalamis, quam Christo, cui per fidem desponsæ fuerant, abdicare voluerunt. Iam Catholicæ Religionis exercitia, prout in ista perfidorum rabie fieri potest, constanter retinentur & promouentur. Sexennium circiter est, ex quo Corporis Christi processio instaurata, & ex sacra æde nostra, per Arcem non minus splendide, quam pacifice deduci solita est. Verum quia hoc anno impedimẽtum quoddam obiectum erat, quo minus vsitatũ viam tenere possemus, alia per ciuitatis forũ ad Franciscanorũ Monasterium extra mœnia positũ, ne Eucharistiæ veneration quidquã defuisset, sequenda fuit. Ordine igitur procedentes Glacenses, certatim in forũ confluunt cuncis stipatis viam obsident, è Virginum quarundam capitibus serta detrahunt, Catholicos risui, sacratissimum Sacramentum ludibrio habẽt, & nisi Senatus auctoritate coerciti fuissent, vix dubium, quin aliquid grauius attentaturi fuissent: imò etiam lapis in sacram Hostiam directus erat; quem tamen, proiicientis error, an Dei placitum, ab Eucharistia, ad nobilem virum, qui velum ferebat, deriuauit. Furor hic tumultuantis populi, nobis hic inopinatus accidit, nec prius deprehensus, quam in forum vẽtum fuisset. Nihilominus ordine bene instructo, per medium effusæ debacchantisque multitudinis, si minus tuto, tamen intrepide itum reditumque est. Non ita multò pòst fert rumor, conspirationem in nos & cæteros Glacenses Catholicos, (vere an fictè) cõpositam esse, diemq; tumultus ciendo magna auiditate expectari; quod tñ, vt per nostros

ſtros ad Senatũ eſſet delatũ, facile & rumor cõticuit, & tumultus, ſi quis impendebat, in nihilum abiuit. Defenſant.n. nos Magiſtratus, ſi nõ virtutis amore, ſaltem formidine pœnæ, quia nondum cædis ante biennium perpetratæ pœnas, quas in ſingulas horas animis & timore ſuſpenſi expectant, perſoluerunt.

Scholas aduerſariorum odio metuq́; minus habemus frequentes, quã vellemus. Aduertunt.n. homines prauis opiniobus imbuti, noſtram oẽm operam eo ſpectare, vt iuuentute inſtituẽda, nouorum dogmatũ auctoritas prematur, veritas corroboretur. Non tñ omnino desũt nobis ex vicinis oppidis Catholicorum filij, qui Gymnaſij paucitatem, & & raritatem, acri tum litterarum tum virtutũ ſtudio compenſant. Ex illis complures totum Quadrageſimæ tempus viliori cibo ſannisq́; contenti, inter hæreticos exegerũt. Nonnulli impetrata pro interdictis menſis licentia, ſponte ſua ſe abdicarunt, poſtquam abſtinentiã ad maiorem laudẽ & virtutẽ pertinere intellexiſſent. Tres pedib⁹ ægre affectis apud V Varthenſem Dei Matrem, quæ hinc vno medioq́; milliari viſitur, præſentiſsimam opem repererunt.

Amicorum ẽt quorundam erga nos affectum, & animũ liberalem non minimũ experti ſumus. Nam Illuſtriſsimus Epiſcopus V Vratislauiẽſis ipſo ſtatim anni ingreſſu, ducẽtos taleros, & vas vini, q. 80. poſſit æſtimari, Collegio liberaliter donauit; quib⁹ mẽſe Nouẽbri ſequenti ducẽtos alios addidit. Reuer. item Abbas S. Vincẽtij & Suffraganeus V Vratislauienſis ſimiliter ducentis neceſsitates Collegij ſubleuauit. Quorũ omnium ſubſidio magnos licuiſſet in fabrica Collegij progreſſus facere, niſi debita ſuperioribus annis contracta, neceſſario ſoluenda, & molen-

molendinum nostrum collapsum, à fundamentis è lapide erigendum fuisset.

COLLEGIVM CLAGENFVRTENSE

IN Collegio Clagenfurtensi hoc anno, 10. & 8. vt plurimum versati sunt, aliquanto tẽpore viginti Sacerdotes 10. reliqui partim p̃ceptores, partim laboris domestici administri. Ex his in Residentia Ebrndorfensi cõmorãtur Sacerdotes 2. quorũ vnus Collegij procurator: Coadiutores totidẽ. In scholis p̃ter iuuenẽ externũ, qui infimę pręest; pręceptores è nostris 4. è quibus duo Sacerdotes. Ex horum numero vnus Christophorus Fielich operę domesticę Adiutor hac patria oriũdus, ipso Assumptionis sanctissimæ Matris peruigilio, è vita decessit. Exegerat is 4. in Societate annos, cum documento Religiosæ simplicitatis, industrię ac pietatis nõ vulgari: vt non sine singulari Dei nutu ac dispositione factũ credam⁹, q, pręter alia sacramẽta sub obitũ adhiberi solita, immensi illius, qui ex Iubilæo extitit, thesauri particeps factus (illa enim hebdomade apud nos sum mi Christi Vicarij concessu Iubilęũ promulgatur) diem supremũ clauserit. In agro Carinthiaco excolendo, etiam hoc anno nostrorũ non segnis fuit industria: eaq; tum alijs in rebus, tum maximè in hominibus ad Ecclesiæ Catholicæ gremium reuocandis, consumpta est. A varijs. n. hæresibus 40. circiter absoluti sunt: plures in fide nutantes, firmati. Munificentia Illustris Dñi Georgij Comitis A Nagaroll, hoc rursum anno, in templũ nostrũ exstitit sanè egregia; obtulit. n. casulas sex, antipendia 4. valoris non exigui & elegantiæ. Binas item Christi è Cruce pendẽtis effigies, auro collucentes, Missale, & quędam alia ad rem Diuinam faciendam necessaria. Itum est hoc

anno

anno magna deuotione ſupplicãtium ad templum D. Georgio ſacrum à ciuitate quadrantem milliaris diſsitũ, quod à triginta amplius annis à ciuibus non adibatur. Viſebatur ſupra principẽ ciuitatis portam nuda ac fœda à fœdis quondã hęreticis poſita fortunę ſtatua, magno caſtorũ oculorũ offendiculo. Eam Numini inuiſam, fulmẽ teſtatũ fecit, quo dextrum eius crus tactũ & cõfractũ erat. Cõtra hanc noſtri de ſuperiori loco & familiaribus congreſsibus nõ raro egerant, illam omnino ſublatam cupiẽtes. Ergo vehemens eam turbo in meridie præcipitem, multis ſtupeſcentibus, & minime dubium irati Numinis argumentum affirmantibus, agit & proſternit.

Scholę noſtrę in dies adoleſcunt, & florẽt magis. Iuuentus. n. non numero & nobilitate ſolũ; verum etiam eruditione, pietate, atq; in fide conſtantia nõ parũ creſcit. Tanto Religionis Zelo pleriq; incenſi ſunt, vt cum hæreticis de rebus Religionis congredi, ac rem Catholicam acriter propugnare non dubitent. Quin ſubinde, dum hæreticis quod reſpondeant non ſuppetit, reſponſi loco colaphos ferunt; quod ipſi in Chriſti gratiam æquo tolerant animo. Hortantur eoſdem Sanctorum feſta vt celebrent, à laboribus tum abſtineant, cibis vetitis ne veſcãtur. Ad eſum carnium nulla ſe vi impelli ſinunt, ſatius ducentes hoſpiti nuncium remittere, quã vel latum vnguem à præcepto de ciborum delectu diſcedere. Per illos ſunt quã plurimi pernicioſi libri à ciuibus & ſimilibus adempti, & ad nos flammis abſumendi allati. Viri nobiles hæretici ſatis multi, intelligentes teneram ætatem & morib⁹ homine liberali dignis, & honeſtarum artium diſciplinis à noſtris probe informari, liberos ſuos noſtra diſciplina inſtituendos

omnes tradunt

tradunt. Qui quidem sensim ad fidem nostra mori facilitate & hortationibus adducti propendẽt. Catholicorũ rebus delectantur plurimũ: vt sunt sphærulæ precariæ, imagines, cõsecrati agni, & alia id genus: quæ etiam multis precibus à nostris flagitant. Ipsis instantibus à parentibus, licet hæreticis angelico & pereleganti habitu ornantur, vt supplicatione illa solenni SS. Eucharistiam venerabundi prosequantur. Sunt non pauci, qui, nî metus nimius parentũ obstaret; mox ad Catholicorum cœtum aggregarent sese. Emptus est anno currenti hortus Collegio percommodus, vario arborũ genere consitus, ita ciuitati vicinus; vt tamen extra turbas & frequentiam hominum sit. Tametsi maxima ciuitatis pars nostri Ordinis sit amans ac reuerens; nõ desunt tamen, ijq; fere è populi fece, quorũ auersa à nobis sunt voluntates: Quod Collegij fenestræ etiam hoc anno lapidibus impetitæ planum faciunt. Nec mirum; siquidem & ipsi Prouinciales hoc rursum anno, templum cum adiuncto ædificio 1604 anno Societati per Magistratum ciuitatis & Archiducales Commissarios ritè traditum, in Prouinciali suo conuentu, à Serenissimo Principe, ciuitati restituendum flagitarunt, sed postulatis illorum hucvsq; locus datus non est.

DOMVS PROBATIONIS BRVNENSIS.

EOrum, quos ab ineunte anno, ad finem vsque, Domus Probationis Brunensis aluit, fuerunt plures quinquaginta. Qui numerus videri non debet exiguus, post deforme superioris anni vulnus; quod in communi illo Hungariæ turbatæ furore, rei nostræ familiaris inopiam non parum afflixit. Ex eo numero censi veterani sunt 16. Sacerdotes sex:

sex: præter alios quatuor, qui tertium Probationis annum exegerũt; Scholarum Professores quinque; reliqui rei domesticæ Adiutores. Ex Schola tyrocinii, ad maturiores labores in varia diuisi Collegia tredecim: totidem ad nos naufrago mundi pelago enatantes, appulerunt. Quæ verò Dei in nos beneficẽtia singularis fuit & præcipua; nemo ex omnibus, toto hoc tempore, amisit vitam: neminem grauior valetudinis deiecit imbecillitas, res satis mira; si arma circumuicina, & armatorum crudeliter efferatam in Clericos audaciam, si diram pestiferæ cõtagionis luem, quę nos medios habuit, cõsideres.

Tenebat ciuem tam arctè ante sibi obstrictum, hæresis, vt bene multos annos à nefario illo cõplexu nullis doctissimorum ẽt virorum precibus, rationibus, cõsilio potuerit auelli. Sed ne sibi placeret malitia in fortitudine sua, elegit Deus abiecta mũdi, vt confunderet fortia. A puero tanta debuit impietas vinci. Iacebat ex morbo ciuis ille lectulo affixus: & iam morti vicinus, nec mouere membra cõmode, nec poterat loqui. Ingreditur cubile adolescẽs (erat is è nostris scholis, de cœtu Virginis Deiparæ Sodalis, qui tum forte pædagogum inibi agebat) reperit Dominum ipsa media cum morte luctantem, & incondito fletu miscentẽ omnia. Hic pius adolescens pauca pro tempore, de salute, de Dei misericordia, de vera fide commemorans, recitat nonnulla, quæ didicerat in schola, doctrinæ Christianæ rudimẽta, tãto animi ardore, vt lapideum illud cor derepente verteret in carneũ. Nã recepta vtcunq; voce: Quis, inquit æger ille, mihi crastinum promittat? festina puer, voca Sacerdotem, qui curet animam, quando corpori medicina nulla superest. Intelligo parũ temporis

poris intercedere inter misericordem Deũ, & eundem Iudicem iratum. Accelera, vt misericordẽ habeam, priusq̃ iratum experiar. Gessit morẽ vt debuit, studiosus impiger, & ille, Dei beneficio, peccatorum virus omne cum hæresi proiecit. Sed quid non inuideat pijs conatibus improbitas? vxor cuius illius, fœmina multũ atrox, maritum suum à fide alienum factum iniquissime ferens, pręacuta forfice studiosi cerebrum configere adorta: cum fefellisset ictus, maledictis pessime acceptũ, Iuuenem optimum & domo & hospitio expulit, isto pietas soluta fuit pretio. Inter eos porro, qui hæresim deposuerunt, quinq; fuerãt milites, hoc ipso multum felices, quod in carceribus veram fidei libertatẽ acceperunt, paulo ante, quam supplicio plecterentur. Quatuor ex illis (nam vnus sub ipso gladio vita donatus est, ob ætatẽ vix annorum 17.) magno animo, magna pietatis laude ceruices porrexerũt. Quatuor in eo comitatu fuerunt Sacerdotes nostri, insigni tum ciuium, tum aduenarum, qui ad spectaculum confluxerant, ædificatione simul & cõmendatione.

Accepta est confessio hominis moribũdi. Abierat iam ferme hebdomas; quo toto tempore, fine vlla refectione cibi potusue, tanquam animatum cadauer iacuerat. Is ergo à Confessione melius habere, & vsu aquæ benedictæ, cuius potus ei fuerat commendatus, ita cœpit conualescere, vt breui integer à morbo rediens, se à mortis ianua velut reuocatum miraretur. Sub idem omnino tẽpus, eiusdem hominis mater, & senio & diuturna febri confecta, vicinam mortem operiebatur. Sed eodem aquæ lustralis potu, atque dum febribus arderet, aspersione, repentè penitus conualuit. Quidam ex

subur-

suburbanis agris comederat nescio quid ex terrestribus nucibus, ita fructum ille vocabat, à pessimo dæmone an homine inductus, incertũ. Inter edendum, cruentus illi hostis apparens & maxillam perforat, & auditum grauiter lædit. Eo tempore infestabatur à diabolo, annos plus minus viginti, seque ei teterrima illa bellua, canis nigri effigie, videndam sæpissimè exhibebat. Verum æquè salutari ac fortunato euentu, incidit miser ille in nostrum sacerdotem: facta igitur confessione (cum nunquam antea rem cuipiam, quæ ei cum dæmone intercesserat aperuisset) efficaciter adiutus, miserię finem accepit.

Placet hic attexêre B. P. N. Ignatij beneficium. Cum in partu periculosè admodum laboraret Illustrissimi Domini coniunx horas pene viginti quatuor, desperabant omnes de vita & infantis & parentis: omnia tãtũ lachrymis & eiulatu cõplebãtur, occurrit forte in tantũ discrimine memoria B. P. N. Ignatij, & quã multis in periculo simili opem tulerit, hortatur proinde Sacerdos noster D. Maritum, nuncupet vxoris nomine votum aliquod S. Patri. Facit ille: voto facto, Coniunx eadem hora, admirabili gaudio & facilitate multum expetitũ & expectatum parit filium: Et hæc quidem Mezericij. Ioslauicium (quæ sedes eidem paret Illustrissimo) eiusdem summa voluntate ac precibus excurrit Noster, eo consilio; vt occulte serpentem nascentis Hæreseos flammam, in ipsis primis cineribus præfocatã extingueret. Hic solũ id effectum est, vt dominij prætor, damnata Hæresi, cum vera fide rediret in gratiam. Cęteri quos pertinacior errorũ teneret improbitas, grauissime sunt admoniti.

ANNVÆ LITERÆ TRANSYLVANIÆ AB ANno 1604. ad 1606. vsque exeuntem.

DE nostris in Transyluania Viceprouincia Austrię, Socij primum vndeviginti, post verò duodecim, tum Claudiopoli, tum Albæ Iuliæ commorari solitis, Sacerdotes 12. Scholarum professores tres, rei domesticæ adiutores 4. fuerũt numerati. Mortui sunt quatuor, vnus per latrociniũ à militib. vita exutus.

ANNVS SEXCENTESIMVS quartus supra millesimum.

POstquam in Autumno anni supra millesimum sexcentesimum tertij, Claudiopolitana Ciuitas, quæ Collegium nostrum cum templo ab ipsis euerterat fundamentis nobis Parochiale templum, ædes scholasque iubentibus Cæsareanis Commissarijs attribuit, solius Catholicæ Religionis exercitia obiri cœpta sunt. Ministri enim Ariani fuga sibi consuluerant; vtpote qui direptioni, ac calamitatibus innocenti Societati illatis, non modo interfuissent, verum etiam præfuissent.

Itaque festa Natalitia non mediocri cõfitentium, communicantiumque frequentia, & magno ad conciones quà Hungaricas, quà Saxonicas concursu nostris celebrantibus; sub Idus Ianuarias P. Prouincialis Austriæ, Claudiopolim duobus comitatus Sacerdotibus peruenit: quo Collegium de more visitante P. quoque Ioannes Argentus ex Polonia

Polonia præsto adfuit. Cæterum quia is tum in discessu è Transyluania, per Moldauiam; tum in reditu per Hungariam, multa sibi Socijsque memoratu digna consignauit, hic qua fieri poterit breuitate, intexenda censuimus. Neque enim hactenus per continuos Transyluaniæ motus perscribi potuere. Cũ nostri mẽse Iunio proximè superioris anni, à Claudiopolitanis exturbati, in varijs certisque versarentur periculis; decreuerũt Patres, vt eorum pars maneret, pars in Poloniam iret, hac enim ratione Societas nec Prouinciam deserebat, nec homines amittebat: vtpote quorum tam multorum opera Transyluaniæ non esset necessaria, & vero inibi fœlicioribus temporibus, in animarum salute procuranda, DEO deseruire cum fructu olim posset.

Pater itaque Argentus, cum Sociis septẽm iter ingressus est; quod fuit longum, difficile & periculosum. Longum quidem, quia vt pericula vitarent, magnos circuitus fecerunt. Nam cum propositum haberent Occasum; ad Ortum recta perrexerunt, & cum duodecima Iulij discessissent, duodecima Augusti Cracouiam peruenerunt. Difficile vero: quia cum rebus necessariis minimè abundarent, interdum pluribus diebus & noctibus continuis, fuerunt in montibus altissimis & densissimis syluis, quæ etsi vndique Transyluaniam cingunt, ex ea tamen parte, magnæ in primis & horridę cẽsentur. Et licet in Siculia equos à rusticis VValachis, qui eò triticum detulerant, in Moldauiã vsq; conduxissent; magna tamen itineris pars, ob difficultatem viarum, arduosq; ac difficillimos ascẽsus

pedibus conficienda fuit. Periculosum denique, vt indicabant plura hominum capita, & cadauera, quæ recens in illis Syluarum saltibus, miserabiliter vel à latronibus mactata, vel à feris discerpta conspiciebantur. Passus etiam, quibus transeundum erat, adhuc à latronibus obsideri dicebantur. In Siculia porro, in eo pago, vbi triduum posuerunt plures quotidie peste confecti efferebantur. Sed illi populi, sicut & reliqui tam Hungari quã Transyluani, non solum pestis contagionẽ non fugiunt, sed etiam pro magno scelere habẽt, si quis timore pestis, vel solum vertat, vel hominum ea luc correptorum familiaritatẽ deuitet. Aiunt enim pestem esse pœnam à Deo inflictam: quare qui illam fugiat, Deum ipsum, cum Iona, fugere velle videatur.

Hinc conijci potest cur interdum tam multi ex Nostris perierint in Transyluania. Etenim patriæ morem secuti; ne hæreticis ansam darent eoque relæ, quod veluti illegitimi Pastores, oues in periculo desererent; nullam grassante peste salutis suæ curam habuerunt. Sed vt ad itineris pericula redeamus; ductores ipsi viarum Barbari, quibus parum credi possit, quod quidem satis declarat praeclara fides eorum qui in hoc itinere per sylvas illas maiores, duces fuerunt: vt enim pecunias è Patrum manibus extorquerent, sæpius minas intentarunt, parumque abfuit, quin nocte quadam in mediis syluis eos desererent. Deus tamen, qui bonus est sperantibus in eum, illos ita custodiuit; vt sine vllo detrimento Transyluaniæ finibus superatis, Moldauiã ingrederentur. Iam ciuitatem Nemiz dictam attige-

attigerant: vbi eorum ductor accusatur, quod ex regionibus propter bella suspectis homines prorsus ignotos in regnum introducat. Respondet ille, se duxisse Sacerdotes Romanos, in quibus nihil mali aduertisset. Ciuitatis Gubernator ad se Patrē Rectorem accersit: ex eoque multa sciscitatus; quis sit, vnde veniat, quo tendat inquirit. Ad hęc ille, Italum esse & Religiosum, ex Transyluania, ad Vaiuodam proficisci. Opportunè accidit vt Gubernator filium haberet, qui biduo ante domum ex Italia redierat, & Venetijs cum Patre Possevino, alijsque Patribus familiariter egerat. Hic fuit interpres parentis, qui Italicè quidem intelligebat, sed non loquebatur. Is cum alia quædam rogasset, honestis verbis Patrem dimisit: cui paulò pòst nūciauit, vt quam primum inde discederet ad Vaiuodam, vti se facturum dixerat, quò cum sibi quoque proficiscendum esset, operam ibi suam & auxilium promittebat. Hoc autem eo faciebat, vt Pater discessum maturaret, vno tamen die manendum fuit, ob aduersàm vnius è Socijs valetudinē, qui propter incommoda, quæ in syluis, vbi aliquando nec aqua suppetebat, perpessus fuerat, ex stomacho grauiter laborabat. Hoc eodē in loco fuit commoditas celebrādi: erat enim Sacerdos Catholicus, qui duorum curam habebat templorum. Catholici tamen pauci erant, ijque natione Germani.

Nam etsi Prouincia tota, cum suo Principe, à schismate Græco occupatur; non excludit tamen fidem Romanam, imò habet Catholicum Episcopum, qui huic Prouinciæ & Valeriæ præsidet. Ex hoc loco Sossauam, in qua Ciuitate erat tunc

Vaiuoda Hieremias, sese Patres contulerunt: qui cum ad publicam audientiam, magno totius nobilitatis concursu Patres admisisset; illi per interpretem P. Rector exposuit, cum Societati, in Collegio suo Claudiopolitano per Arrianos, in reliqua vero Transyluania, per armorum strepitus, in tanto quem erat numero, esse non liceret, se coactum fuisse, relictis in Transyluania nonnullis, alios discere in Poloniam, vbi Societas, sub tutissimo Religiosissimi Regis patrocinio, ministeria sua, ad Dei optimi maximi gloriam libere exercere potest: Iter autem per Prouinciã ipsius suscepisse, non ea solum ratione, quia tutius, sed multo magis quia sperauerant in ipsius ditione sibi non defuturum præsidium illud, quod à Christiano Principe suo quasi iure expectare possunt viri Religiosi, Christi obsequio mancipati, nullo autem modo præterire voluisse, quin illum debita cum reuerentia salutarẽt, eaque obsequia offerrẽt, quæ in Dei honorẽ, & ipsius commodum proficisci possent à seruis Christi, qui & patria, & domibus proprijs relictis, in illas partes, nulla alia de causa veniissent, quàm vt ad æternam salutem consequendam, iuuarent animas, Christi Sanguine pretiosissimo redemptas.

Hic primum Vaiuoda gratias humaniter agere, quod illum Patres inuisissent, tum eorum casum multis commiserari, demum patrocinium suum amplissimis verbis polliceri: addidit Arrianorum peccatum omnem malitiæ mensuram excessisse, neque Turcas ipsos vnquam tam impios futuros, vt templa Deo dicata labefactarent. Idcirco Patres bono

bono animo esse debere, quia de hostibus cito Deus vindictam sumpturus, eosque in pristinum restitutur⁹ esset. Etsi Moyses (nomine hoc vtebatur quidã Transyluanus) delicti particeps fuisset, fore vt propediem debitas pœnas lueret. Nescio, inquit, vnde tanta tempestas originem habeat. At, dato etiam vestra culpa ortam esse, vobis quidem æquo animo pœnitentia de manu Dei accipienda est: attamen scelus adeo graue est, vt quodcunque peccatum, quod à vobis committi potuerit, superet, & diuinam iustitiam excitet, vt quam citissimè acerbissimas quidem, sed iustissimas de illius auctoribus pœnas sumat. Tum P. Rector, ad ea quæ de Moyse dicebantur, respondit, se nihil posse affirmare, cum ex vna parte mali impediendi potestas penes illum fuisset: ex altera vero, Societatem in suis castris protexisset. Quod vero spectabat ad causam quæ Arrianos ad facinus impulisset, aliam non posse ferri, quam illam eandem, quam ipsi attulissent: nimirum venerationem Sanctissimæ Eucharistiæ, & Sanctorum sacrarumque imaginum cultum; quas, inquit, Deo sit laus & gloria, video tam frequentes in tuo regno. Narrauit hic quæ ipsomet oculato teste fecerant Arriani in templo, in contemptum sanctissimi Corporis Domini, eius Matris glorioſissimæ, cæterorumque Sanctorum; propter quorum venerationem, Patres idololatras appellare, eijcere & crudelissimè persequi consueuissent. Quod ad vindictam autem, quæ à Deo expectanda esset, affirmauit, se & Socios, vtpote Christianos & Religiosos, orare DEVM pro suis persecutoribus;

semperque data facultate, fore paratos redire, vt vitam etiam pro eorum salute profunderent. Vix audierat Hieremias quæ acciderant circa venerabile Sacramentum; & imagines Sanctorum, cum subitò totus commoueri, & lachrymis intumescere eius cœperunt oculi: Cum Principe tota Aula infremuit indignabunda. Est enim hæc Natio valde ad venerationem imaginum inclinata: apud quam præcipuum illius ciuitatis templum, intus foriſque, omni parte, Sanctorum imaginibus depictum est atque ornatum. Supra caput etiam Vaiuodæ duæ paruæ imagines auratæ, de more pendebant affixæ. Ad illud de oratione pro persecutoribus, animique præparatione, ad eorum commoda procurãda: Hæc, inquit, est perfecta charitas, Religiosis hominibus digna, verum credite mihi, cito videbitis Dei vindictam. Et ad hoc propositũ retulit recens exemplum quorundam, qui obrerum diuinarum contemptum, seueriſsime à Deo castigati fuerãt. Multa deinde sciſcitatus de itinere, alijsq; de rebus, Nostros dimisit, cũ prius illi gratias egisset Pater, non solum nomine suo, & Sociorum qui aderant; sed etiam Societatis vniuersæ, quæ toto terrarum orbe sparsa, pro illo ad Deum preces oblatura esset, cum eius erga nos charitatem cognouisset. Dimisis iam Patribus, interrogauit secretarium Hungarum Petrum Napoli, virum bonum & Catholicum, qui Patres introduxerat & fuerat interpes: Quare illi essent in vestitu tam tenui? cui cum respondisset, eos Claudiopoli eiectos esse seminudos; statim pannum emi, & omnibus vestes parari iussit. Sed pro maiori Patrum merito, pannus

nus niger in tota ciuitate non est inuentus, licet multi adessent mercatores, nam apud illos populos color niger in usu nõ est. Iussit prẽterea illis dari sũptus, dum ibi morarentur, & viaticum pro itinere, & comites, qui cum curribus per totam ditionem suam eos deducerent. Est Princeps ille fide Græca imbutus; cæterum natura ad pietatem propensus, quotidie diuinis officijs interest in templo; domi prolixe orat; est mitis; solaque Romana communio illi deesse videtur; neque à Catholicis abhorret: eorum enim templa nonnunquam adit, & in altero eorum, pulcherrimum altare cum egregijs picturis, & ornamentis extruxit. Sunt enim in Sossauana Ciuitate duo Catholicorum templa, & Sacerdos vnus. Catholici autem ferè nulli, exceptis mercatorib. Polonis. Schismatici porrò plura templa, pluresque Monachos & Sacerdotes habent. Hic dum moram per triduum trahunt Patres; ex Transyluania venerunt nuncij certissimi, qui vniuersum Moysis exercitum ab Radulio Valachiæ Vaivoda profligatum, ipsumque Moysen, cum tota ferè nobilitate trucidatũ esse retulerũt. Fuit cõmunis sensus in Aula, hanc fuissem pœnã à Deo Moysi inflictã, propter scelus admissum in Societatem. Nullus enim ipsum sacrilegij illius vel authorem vel participem fuisse non credebat. Principis ergo Hieremiæ liberalitate, ac Nobilis Poloni, Prætorianæ cohortis militibus præfecti, aliorum item Polonorum mercatorum benigna largitate, Sossaua digressi, Kamenetium triduo peruenerunt. Est ea ciuitas prima Regis Poloniæ & Metropolis Podoliæ, vna Leuca à finibus Moldauiæ, arcemque habet

bet celebrem natura, & manu valde munitam. Ibi inuenerunt eiusdem Ciuitatis Episcopum summa pietate virum, & Societatis amantissimum ; qui sicuti Patrum Religionisque Catholicæ vicem doluit; sic illos tanquam Parens filios, incredibili amoris significatione complexus est. Postridie eos ad quandam Arcem suam duxit ; & inde cum & pecuniam & alia quibus egebant, humanissimus Pastor illis dedisset, dedit etiam currus, & equos, & viæ ducem, ac comitem nobilem affinē suum, qui eiusdem Præsulis sumptibus, eos Leopolim vsque, vbi Societas domicilium habet, deduceret. Illuc peruenerunt die quarto : atque in ciuitate quæ Archiepiscopalis est, & Russiæ prima, à Socijs qui ibi degebant, accepti sunt ea prorsus charitate, quæ Societatis propria est. Inde post integri diei quietem, quodam è Socijs qui in itinere grauiter ægrotare cœperat, cum Sacerdote relicto, Faroslauiã, vbi est Collegium Societatis, ac tandem Cracouiam attigerunt, vbi Beati Stanislai regni patroni, templum piè visitarunt, eiusdemque venerandum caput, sacratissimum clauum, quo Christus Cruci affixus est, aliasque multas & insignes reliquias, quæ in Episcopalis templi Sacristia, nobilissimis, ijsdemque argento, auro, & gemmis pretiosissimis thecis asseruantur, rite sunt venerati. Rex autem cum aduentus eorum causam cognouisset, sibi à lacrymis non potuit temperare. Est enim summæ pietatis Princeps; & cum Religionis Catholicæ, tum Societatis patronus & propugnator acerrimus. Die Beatissimæ Virgini Assumptæ sacro, P. Rectorem ad suum conspe-

conſpectum admiſit, facti narratione audiuit, indoluit, tutelam ſuam humaniſsimè promiſit. Pecuniam etiã pro itinere eorũ quib. in Germaniã eundũ erat, miſit. A Patre Rege; ad Principẽ filiũ ſalutãdũ ductꝰ eſt Pater, erat puer 8. annos natus, aſpectu nobiliſsimus, Generoſus, prorſuſq; Regiæ indolis proles. Interea dum P. Argentus Cracouiæ à Nũcio Apoſtolico rogatus, cõciones cũ ſumma ipſius approbatione, & frequentia, quà Italorũ, quà aliorum linguæ Italicæ peritorũ habet; monetur à R. P. Generali, vt in Tranſyluaniã redeat. Itaq; Legato licet inuito, per Hungariam, Claudiopolim rediens, à P. Prouinciali ibidẽ adhuc cõmorante, & Vice prouincialis Tranſyluaniæ, & Rector Collegij pro P. Maiorio cõſtituitur, cũ quib. alijſq; Collegij Patrib. P. Prouincialis multa ad ſtatũ Societatis in hac Prouincia pertinentia vbi deliberauit, diſceſſurus P. Maioriũ cũ vno Sacerdote alioq; Fratre ſecũ abduxit. Qui quidẽ P. Maiorius Caſſouienſis Miſsionis tũc inſtitui cœptæ Superior factus, tertio poſt mẽſe, dierũ & operũ vere bonorũ plenus, vltimum diem ſanctè pieq; obiit. Vir fuit Religioſæ diſciplinæ amantiſsimus: quippe qui à teneris vſq; annis, in Societatẽ, à B. N. P. Ignatio admiſſus, in ea ſemper laudabiliter vixit: & in Gallia, vbi multos ãnos moratꝰ eſt, multa quoq; difficillimis tẽporib. perpeſſus eſt.

Manſuetudo in eo ac patiẽtia eluxit ſingularis: cuius vel illud è multis argumento eſt: cum enim in direptione Collegij Claudiopolitani luculentũ in capite vulnus accepiſſet; nunquam tamen illius auctorẽ, licet probè cognitũ, manifeſtare voluit. Sub idẽ tempus, quo Caſſouiæ mortuus eſt P. Maiorius,

Claudio-

Claudiopoli obijt P. Baltazar Girochi, qui ex Nostris in Transyluania antiquissimus erat. Fuit enim tum ex illis, qui primum Societatem in Prouincia fundarunt: tũ ex alijs, qui in eiusdem Societatis reuocatione, ibidem eam instaurarunt. Vir simplex fuit & rectus; & magna cũ domesticorũ, externorumq; ædificatione, & fructu, religiosa ministeria semper exercuit. Sigismundum etiã Principẽ, dũ adhuc puer esset bonis litterarum disciplinis instituit. Cũ vero in laborib. cõsenuisset, diuturno hydropis morbo laborauit, quo toto tempore magnum & patientiæ & pietatis exemplum omnibus præbuit. Et tandem morbo confectus, & sanctissimis Sacramentis munitus, ex hac ad meliorem vitam, vt speramus, emigrauit.

Hoc anno quadraginta circiter in ciuitate, ad veritatem reducti. Omnium fere primus fuit ciuis honestus ex numero Centurionũ, qui posteaquã de religione serio cum Sacerdote egisset, grauiter ægrotare cœpit. Quare illum eundem Sacerdotem, vt Ecclesiæ reconciliaretur, peccataque sua confiteretur, vocari iussit. Verum quando Pater accessit, infirmus iam animam agere videbatur, vixque verba formare poterat : cum vero se Catholicum esse, Catholiceque mori velle profiteretur, Confessionemque eo quo poterat modo institueret: extemplo vox facilior reddita, pectusque multa egesta materia, releuatum. Ille ergo diuinum beneficium agnoscens exclamauit: Deus bone, ecce etiam corpore iam melius habeo : absoluta Confessione, magna cum animi lætitia, alijs præsentibus,

bus, conscientiam suam antea plurimum æstuasse, modo quietissimam esse testatus est. Hic in suscepta veritate tamdiu mansit, quamdiu vixit; vixit autem duos circiter menses, quibus è lecto nunquam surrexit. Eo autem tempore nihil libentius, quam pios sermones audiebat; & Patres quotiescunque ad illum veniissent, gratissimo animo excipiebat, atque cum illis de rebus diuinis conferebat. Quare cum infirmitatem æquo animo ferret; eiusque voluntas cum diuina consentiret: & Deo pro erratis satisfecit, & omnibus qui illum inuiserent, bonus semper odor fuit. Cum vltimus vitæ dies instaret, sacro viatico, sacraque vnctione munitus, ad Patremfamilias quasi vnus ex illis, qui vndecima hora vocati sunt, mercedem suam recepturus abiuit.

Neque uiri solum, fœminę etiam suam in suscepta religione constantiam declararunt: quarum vna, cum post agnitam veritatem cuidam Nobili nupsisset, qui eam quod Catholica esset, argueret, vtque à templo nostro abstineret, importunius solicitaret: ne me, inquit illa, in religione turbes: te enim accepi, vt Coniunx mihi esses, non Deus.

Templo nostro, vt de illo dicamus aliquid, noua facies à nobis inducta. Olim fuit templum summum. Hæretici illud nefariò inuadentes, more suo totum deformarant; Altaria solo ęquarant: loco Aræ Principis extexerant sepulchrum è terra eminens; Petrouicio cuidam, qui ex eodem templo Sacerdotes iam olim eiecerat, & in reliqua Prouincia verum fidei lumen extinxerat: supra illud

magnis

magnis aureorũ characterũ encomiis ornatũ vexillũ collocarãt. Noſtri ſicuti ſacrilego deſtructo ſepulchro, ſacrũ Altare ex lapide magnifice inſtaurauere: ſic deiecto profano vexillo, victriciatriũphãtis Chriſti Crucifixi inſignia à perito pictore expreſſa eidem Aræ, gaudẽtib. Catholicis, dolentib. Hæreticis impoſuêre. Aliud Altare ciuis quidã ex lapide, in honorem B. Virginis, & Sanctorũ Hungariæ Regũ, opere egregio extruxit. Pauimenti pars illa, quæ ante ſummũ Altare ſita eſt, decorè ſtrata: Sacriſtiæ fornix ruinoſus refectus; & tectum tẽpli pluuiis vbiq; peruium, reparatum. Agnouerunt rudes etiã indoctique homines, quãtum Catholici ab Hæreticis differant; quanta in templis ædificandis ornandiſque ſit Hæreticorum negligentia. Neque cætero cultui defuit optima cũ vocum tum inſtrumentorũ Muſica, qua diebus feſtis magno cum decoro, diuina cõdiebantur officia, nam prẽter ſtudioſos adoleſcentes, quos Societas alebat, ipſius Generalis Symphoniaci, aliique Iuuenes Germani, libenter æquè ac diligenter operam ſuam præſtabant.

In ſolennitate Corporis Domini inſtituta eſt ſolennis ſupplicatio, iam ante annos fermè quinquaginta intermiſſa. Erecta 4. Altaria in celebrioribus ciuitatis locis, vbi de more quatuor Euangelia ſunt decantata. Præcedebant diſcipuli noſtri pluſquam ducenti, pulchro ordine diſpoſiti, quorum pars magna, more Angelorum induta erat. Parentes enim etiam Hæretici filios ſuos certatim ornauerãt. Hi autẽ roſis, aliisq; florũ generib⁹, quos toto itinere ante ſanctiſsimum Sacramẽtum ſpargerent, erãt onuſti. Vmbellam ſemper ferre voluit comes

Thomas

Thomas Capreolus, qui absentis Generalis Vicarius Prouinciam gubernabat. Tum iuuerũt nobilissimi viri Transyluani, iique sacræ Cæsareæ Maiestatis in Transyluania Consiliarii, magno totius ciuitatis concursu: populus enim, cum pietate, tum rei nouitate permotus, vndique confluebat. Nam quamuis nostri, Collegio adhuc incolumi, has easdem cæremoniis anniuersario ritu peragerent, nũquam tamen Collegii & Seminarii fines excedebant. Quare Catholici soli, & videre, & interesse consueuerant. Non defuerunt vtriusque sexus senes, qui in ipsamet supplicatione, se antea huiusmodi Cæremoniam, in eadẽ ciuitate vidisse aliis narrabant, illudque addebant, cum hæc fierent, neque Transyluaniam à Turcis infestatam fuisse, neque Transyluanos fame sicuti modo periisse. Cum ad castra comes Capreolus, ea loco Bastæ recturus, in Septembri proficisceretur, firmissimis prius sacræ Confessionis & Communionis armis se muniuit, atque vexillum Imperiale Prætorianæ cohortis, ritè benedictũ de manu Sacerdotis accepit. Hoc anno multi, inter quos fœminæ aliquot Nobiles, adultique adolescentes, virgines ẽt nonnullæ, sub parentum Arrianorum potestate constitutæ, iuuantibus vel fratribus, vel aliis cognatis Catholicis, sacro lauacro sunt ablutæ. Quod idem factum est cum pueris quibusdã, quorum parentes filios leprosos potius, quàm mundos volebant habere.

Iam vero vt ex templo in forum prodeamus, vix credi potest quam sæpe ciuitas ad Patres, opẽ petitura, & charitatis officia cõfugeret. Quotidie ferè Senatus ad Patrem Viceprouincialẽ certos ablegare homines, illum vnicum suarũ calamitatũ refugium

appel-

appellare ; patriæque parentem amantiſsimum propalam profiteri. Quod ipſum præſtiterunt prolixè ciues, captiui maxime, qui & multi & præcipui erant : ipſi ad noſtrum ſuperiorem miſerunt rogatum, vt eorum patrocinium ſuſciperet apud Generalem.

Quod quidem Pater eò libẽtius ſe facturũ promiſit; quia pro certo habebat, eorum nonnullos iniuſtè detineri, licet quidã magni criminis, Collegij ſcilicet deſtructi, rei eſſent. Egit Pater eũ Baſta diligenter pro omnibus, multiſque precibus obtinuit omnes; illum etiam, qui Fratrem noſtrum interfecerat : cum enim facinus negare non poſſet (ſiquidem de eo ſæpius gloriatus fuerat) & propterea in extremo vitæ periculo verſaretur; à Patribus tamen defenſus fuit; & à Generali impetratum, ne illi moleſtia vlla inferretur.

Eadẽ ac multo maior Noſtrorum fuit induſtria in amicis à periculo, quod propter proditionis ſuſpitionem adierant, liberãdis. Erant illi Gregorius Bornomozza, Melchior Bogathi, Stephanus kendius, Sigiſmundus Sarmaſaghius, magni viri omnes, omnes Societatis noſtræ ſtudioſiſsimi, pro quibus Societas ita laborauit, vt non alienam, ſed propriam cauſſam agere videretur. Res tota, opitulante Deo, ex animi ſententia ceſsit. Cum enim Baſta natura clemens ſit, atq; Societatis obſeruantiſsimus: libentiſsime, quicquid Noſtri, quibus cum quotidie agebat, illi dixiſſent, audiebat: & multa ab ijs monitus, ſiue Charitate, ſiue Iuſtitia poſtulante, præſtabat. Laboratum eſt etiam cum vltimo ſupplicio afficiendis. Iuuenis Lutheranus

ranus hæresi abiurata confessione expiatus, cũ ad locum supplicii iret ; & magno animi sensu Deo se commendabat, & summa pietatis significatione, Christum in Cruce pendentem exosculabatur. Cuius aliam effigiem nactus, eam in sinum, itineris comitem habiturus pie collocauit; illud in morte ipsius insolitum accidit, vt præeunte Sacerdote, vniuersa spectantium multitudo , in ipso Ciuitatis foro, genibus humi fixis, orationem Dominicam, Angelicamque salutationem pro rei salute recitaret. Insolitum dixi; quia Ministri hæretici eos, qui ciuili sententia plectendi sunt, Dei quoque sententia damnatos esse asserunt. Septẽ etiam Valachos, Græca fide imbutos, pridiè Sacerdos Noster adijt, & vt Romanæ fidei adhærentes, Catholicè morerentur, persuasit.

Hoc item anno tanta rerum omnium penuria fuit, tantaque frigoris acerbitas ad reliquas miserias accessit ; vt tam acerbæ hyemis ne senes quidem meminisset: iam pauperes passim fame & frigore confecti, emoriebantur. Cum autem nostri omnibus succurrere non possent, ex omnibus suis pagis vtriusq; sexus orphanis, alijsque ex locis vndique collectis; toto eo tempore , quo fames vrsit eos, numero fere centum aluerunt, in alios pauperes distributis Eleemosynis, prout vires ferebant. Familia interim indies augebatur ; quia indies occurrebant pueri, at omnibus destituti, quibus omnibus alendis liberalitas Generalis eximia plurimum attulit adiumenti , cum in summa annonæ difficultate, tantũ tritici Collegio de suo attribuit, quantum Pater ipse Viceprouincialis censuisset. Quanta porro rerum omnium penuria fuerit, bre-

uiter cõmemorabimus. Enimuero tãtopere in pl
rosq; desœuijt; vt fœminæ lingere sanguinẽ seu po
ti⁹ putredinẽ mortuorũ fœtidorũq; equorũ; & dẽ
tib. ipsis, carnes, siue natura siue putrefactione tene
riores auellere, visæ absq; horrore fuerint. Pueri aũt
& puellæ, vt voraci fami facerent satis, more canũ,
in eorundẽ cadauerum ventres sese abscondebant.
Plerique, proprijs parentibus relictis, spõte ad Tar-
taros cõfugiebãt, seq; in miserrimã seruitutẽ redi-
gebãt. Hinc cõquerentib. Transyluanis apud Tar-
taros, quòd cum eos tanquam fratres, & amicos
auxilium vocassent; iam in Captiuitate suorum ho-
stes experientur, illud responsum à Tartaris, quod
retulerũt, se coactos nullos, spõtaneos omnes habe-
re Captiuos. Enyedini (oppidũ est) illud accidit mi-
rũ. Homo omni humanitate, famis atrocitate spo-
liatus, propriã sororẽ in agrũ duxit, eamq; (Cainum
imitatus) mactauit, & vel Caino peior, carnib. eius
coctis immanẽ famem satiauit: quod reliquum fuit
tulit in forum, & vendidit. Scelus inauditum em-
ptores ex mẽbris deprehẽdentes reum detulerunt:
qui captus statim confessus est, & propterea in par-
tes dissectus, in celebriorib. locis appensus fuit te-
stis certissimus tãti tamq; scelerati fratricidii. Cui
non absimile fuit illud, quod cõmisit voracissima
quędã in humana figura bellua. Cum enim in pago
quidã duos vel tres nepotes haberet; nihil autẽ sup-
peteret, quo vel propriã, vel paruulorũ famẽ exple-
ret; tandẽ ferina quadã crudelitate victus, vt ventrẽ
impleret, Nepotes vnũ post alterũ mactatos vora-
uit. Sed facinus non latuit. Itaq; accusatus & captus
tam diu viuus seruabatur, donec statueretur, quo
supplicii genere afficiendum esset tam inauditum

tamque

tamque execrandum parricidium. Sigismundus Sarmasaghius, vir nobilissimus, omnique fide dignus, narrauit; se, cum iter faceret, puerum annos octo vel nouem circiter natum, in pago quodam deserti inuenisse sedentem prope cadauer humanum, cuius caput, pedes, & manus erant integræ, reliquum corpus exossatum erat & consumptum. Interrogatus puer, cuius caput illud fuisset? matris, inquit, meæ. Rursus, quis eam deuorasset? cum ipsa, inquit, fame consumpta obijsset, canes & ego vorauimus illam, nam ipse quoque fame conficior. Puerum Nobilis domum suam deduxit, optimeque tractauit, & tamen vix per aliquot menses figuram aliquam humanam recepit. Denigrata enim erat super carbones facies eius, atque ita oculis & reliquo aspectu deformis factus, vt phantasma potius, quam verum corpus videretur. Res eo deuenerat, vt si quando latro, vel reus aliquis alicubi suspenderetur, vultures prꝛuenirentur à pauperibus, qui cadauer depositum, interque se quasi prædam aliquam diuisum, auidissime deuorabant. Canes & equi in summis deliciis erant. Milites ipsos vidimus aliquando se se, vt aliquid raperent, manifestissimo vitæ periculo exposuisse. Quin etiam belluas ipsas in homines hæc fames efferauit. Etenim cũ Claudiopoli, ante portam ciuitatis casas quasdã sibi pauperes ædificassent, sæpius noctu venerunt lupi, qui filios ex ipso parentũ sinu rapuerũt voraruntq;, ipsorumq; virorũ facies carnib. ibidem à lupis auulsis vidimus deprauatas. In pago nostro Monostorienſi domos ingressi sunt, & ex lecto, vbi cum Parentibus dormiebant, pueros abstulerunt.

Intra ciuitatis Medienſis mœnia, inuentus est lupus, qui per loca quædam diruta, ciuitatem ingres-

sus, victū quærebat. Quib. igitur cumq; fame pressis licuit subuenimus, ordine Charitatis obseruato.

Sed iam à Charitatis ad litterarum studia transeamus. Tres ab initio Classes apertæ, studiosi sexaginta supra ducentos numerati. Pauci quidē, si numerus spectetur, multi vero, si Ciuitatis, & Prouincię varijs cladib. afflictę ratio habeatur. Magistrianten etsi literariis exercitationibus instabant; præcipua tamen eorum cura in eo posita erat, vt puer primis Christianæ religionis rudimentis, ritu Catholico imbuerentur. Illi ergo sacris deuoti interesse, iisque certatim ministrare; salutare Crucis signum crebrius efformare; inter surgendum orare vesperi orationes repetere; mensæ ipso Crucis signo alioqui Parentibus inuiso benedicere; sacras Christi ac diuorum imagines diligenter conquirere, & magno sibi pretio diuendere; aliaque cōpluria pietatis argumenta propalam quoq; præseferre, illis vt vsitatissimum, ita iucundissimum erat. Et cum in templo Altare construeretur, tanta ædificandorum Altarium in puerorum animis excitata est cupiditas, vt ille beatior videretur, qui pulchrius erigere posset. Neq; hoc solum minores, sed natu grandiores etiam factitabant, si qui vesperi, vel in meridie, dum Salutationis Angelicæ signum daberetur, in plateis fuissent; genibus fixis, gloriosissimā Virginem de more salutabant, inspectantibus scilicet & irridentibus Arrianis. Cum aliquando inter condiscipulos contubernales sermo de rebus Catechisticis illis nuper à Præceptore explicatis fieret, Catholici iuuenē quendā Arrianorū acriter oppugnatum, non ratione duce, sed obstinatione perditionis

tionis viã terere oſtenderunt: ille, vt ab hac ſe moleſtia liberaret, aliorumq; ora clauo, vt aiunt, trabali obſtrueret; conuerſus ad aliũ eiuſdẽ farinæ ſociũ, eidẽ manũ porrexit, & mutua fide, inquit, inuicem obligemur, nunquã fore, vt noſtrũ vllus Catholicã religionem amplectatur. Dilapſis paulò poſt ad ſua ſingulis, aduertit ille cubiculi ſui caminũ ignẽ concepiſſe. Quare cũ & alios, vt auxilio eſſent, monuiſſet, & ipſe accepto vaſe ſuperiorem domus partem conſcendiſſet, vt inde erumpentẽ flammã aqua iniecta compeſceret; dum incautius ambulat, fallente pede, ex altiſsimo pariete in terram præceps ruit, ſopitiſque omnibus ſenſibus, à Sociis ad cubiculum defertur, vbi & anno ætatis ſuæ circiter vigeſimo, adeò miſerè expirauit, vt nec implorandæ diuinæ miſericordiæ poteſtas vlla ei facta fuerit. Sociorũ nullus fuit, qui miſerandum hunc caſum diuinæ iuſtitiæ non attribuerit. Arriana enim mania percitus, & contra Eccleſiaſticam legem cibos vetitos illa ipſa die vorauerat, & pertinaci errore probè factũ aſſerere conat⁹ fuerat. Ille vero, qui ad perfidã obdurationis impietatẽ fuerat inuitatus, ita animo cõſternatus eſt, vt non ante quieſcere potuerit, quam Catholicã Religionẽ ſuſceperit, & Arrianiſmi ſordes ſacra confeſsione eluerit, eam nimirum manifeſtam Dei punitionem fuiſſe cognouit.

In Autumno huius anni (ſic Deo propter peccata noſtra permittẽte) nouæ turbæ in regno excitatæ. Nouis quoque Societas agitari cœpta procellis. Nam cum in Hungaria calamitoſæ illæ defectiones, inſurrectiones, perſecutiones, hominumque trucidationes, accidiſſent, rumor vbique ſparſus eſt, ea omnia propter religionem fieri, & Catholicos Sa-

cerdotes vsque ad vnum, tam in Hungaria, quam in Transyluania gladio sublatum iri, ita vt iã triumphum canerent Hæretici, bellumque Catholicis indicerent atrocissimum. Sub initium harum calamitatum, Claudiopoli mortuus est P. Samuel Banyai, qui ineunte anno in Prouinciam venerat, & operam suam optimè collocarat. Non solum enim in Marthæ ministerijs obeundis solicitus erat, sed etiã in audiendis confessionibus, animisque ad pietatem promouendis, miram dexteritatem habebat: nec vero inter concionatores vltimum locum tenebat. Obijt die 8. Octob. 1604. Sed pergamus in instituto. In his tumultib. tota ciuitas Claudiopolitana, quæ antea Societatem tãta vt dictũ est obseruantia prosequebatur: cœpit alio idiomate loqui, & mala omnia minitari: ita vt non deessent amici, qui Patres vt rebus suis tempore prospicerent, serio monerent. Aiebant enim Claudiopolitanos nihilo meliores factos, quid in posterum facturi essent, ostendisse. Neque vero deerant Nobiles, qui nostros ad suas Arces inuitarent, operamque suam in omnibus offerrent. Sed Socii, vltima expectanda rati, suis munijs constanter insistendo, multa terriculamenta solo contemptu vana reddiderunt: quantumuis res semper in deterius ruerent (vnde & ipsimet duo Cæsarei cõmissarii, Carolus im Hoff Germanus, & Georgius Hoffmannus Hungarus, qui in Transyluania reliqui erant, maioris securitatis gratia Claudiopoli Cibinium cũ Cãcellariæ Secretario sese receperãt) & iã quo ciuitas inclinaret, manifestius appareret. Missi è nostris tres ad Arcem Gerendiensem, vt ibi apud Sigismũdum Sarmatiæ magnum, magnum Societatis amicum tuti

tuti manerent. Vnus fuit Sacerdos, alter Magister ægrotus, tertius Coadiutor. Hi otiosi non fuerunt, Nam & Domini familiam & Pagum concionibus, & familiaribus colloquijs in spiritualibus iuuerunt. Et cum ibi nidũ habuisset Arrianismus, vt Christus quod suum erat, recuperaret, effecerũt. Ferè enim oẽs sunt conuersi; & Magister breui optime cõualuit. Domus vero nostræ liberalitate, tres in Cãcellaria Cæsareana scripturã facientes iuuenes, cum famulo menses amplius octo adiuti sunt. Vestibus quoque Hungarico more instructi, ne de vita vel in ipsa ciuitate periclitarentur. Passim namque tota Prouincia Germanus ad cædẽ quærebatur. Cœlesti hanc munificentiam nostram Numini gratã extitisse, illud argumento est, quod in summa annonæ caritate, Societati nihil defuerit vnquam domi. Armenta enim boum cum Botskaiani tota Prouincia impune vagantes, omniaque diripientes abducerent, nostris vel maximas struebant insidias: at Deo nos Nostrosque protegente, nihil minus incõmodorum, quã nobis inferre potuerunt. Interim exeunte anno, Claudiopoli, in domo quadã priuata, conciones Arriani habere cœperunt. Verũ cum ciuis ille (erat iudex Regius) qui id curauerat, in senatu vehementius obiurgaretur, quod priuata autoritate, rẽ maximi momenti aggredi ausus fuisset; vt ab incepto desisteret, illi iniunctum fuit. Aliã tamen communis implendi desiderij rationem inierunt. Nam cum à Botskai de deditione sollicitarentur; ipsi⁹ litteras, in quib. omnem illis libertatẽ promittebat, Cibiniũ ad Cęsareos cõmissarios, per legatos suos miserũt, & per eosdẽ, vt Arrianos Cõcionatores habere liceret, neruos oẽs cõtẽderũt. Annue-

runt Commissarii necessitati cedendũ rati: & vere in suo ad oblatũ supplicẽ libellũ rescripto, hæc verba addiderunt: Ita tamen, vt Patres Societatis Iesu in negotio templi, & exercitio sui ministerii, nullo modo impediantur.

ANNVS 1605.

SVb initiũ anni à Claudiopoliranis publicè in domo quadã conciones & Scholæ Arrianæ haberi cœptę sũt. Fuit hic Lapis Lydi⁹, qui aurũ verũ ab adulterino discriminauit. Nam ex iis, qui nostras vel scholas, vel conciones frequentabãt, multi nos deserentes, ad Arrianos confluxerunt. Et fiebat non raro, vt Hæreticorũ discipuli, discipulos nostros, & verbis iniuriosis, & alijs varijs modis exagitarent. Monuit P. Viceprouincialis Iudicẽ ciuitatis, vt pro sua prudentia consideraret, vtrum huic nascenti morbo occurrendum esset. Esse enim periculũ, ne à pueris inter se religionis causa dissidentibus, aliquid grauius inter parentes ipsos oriretur. Pro admonitione gratias egit Iudex, & per Decuriones ostiatim ciuibus omnibus edixit, ne sub pœna Senatus arbitrio constituenda, vllus vlli quicquam ad religionẽ spectans obijceret; nêue ea in re, verbo factoúe alter alterum lęderet. Sed dicamus aliquid de concionatoribus Arrianis. Interrogauit aliquando Hæreticum Catholicus, quid illi de Concionatoribus Arrianis videretur? Cui ille, aliud, inquit, respondere non possum, quã me aliquando Aurigã habuisse, qui melior Latinus, quam noster iste concionator, esset. Delatus est propter hæc verba; & à Senatu quadraginta florenis multatus: licet immeritò; quia qui vtrumque, Aurigã scilicet & Prędicatorem nouerant, vera ipsum locutũ asserebant. Illa iá

Iesuis

leuis Hęretici Ministri calumnia fuit. Primo die Dominico Quadragesimę cõtra ieiuniũ & abstinentiã à carnibus, acriter inuectꝰ pro cõcione Arrianus. Qui vt ieiuniũ non obseruandũ rudi populo probaret, illud Romani Pontificis inuentum fuisse hac ratione docuit. Cum Piscatores, inquit, semel ingentẽ piscium copiam cepissent, ac diuendere nequirent, Romanum Episcopum adierunt; eique tum milliũ aureorum summam, vt abstinentiã à carnib. Christianis imperaret, obtulerunt. Ille igitur vt sibi & Piscatoribus prospiceret, pecunia accepta, Quadragesimale ieiunium indixit. Et ne hæc à me excogitata existimetis, ait, supplementum historiarũ legatis, & quicquid ego dixi, verũ esse inuenietis. Quib. alijsq; fabulis perfectum est, vt non deessent multi qui ad vomitũ redeuntes, se vel simulãtes, vel inconstantes Catholicos ostenderent. Nec tamẽ defuit Deꝰ Ecclesię suæ, quin noua quotidie fere prole illam recrearet. Atq; vt cæteros ad fidẽ conuersos trãseamus: feria quinta sanctioris hebdomadę (quo tempore, propter varios nuncios, qui de felicibus Botskai successibus quotidie audiebantur, maximè exultabant Hæretici) duo honesti insigneśq; viri, natione Germani, quorũ vnus Cæsarianꝰ Magister annonæ erat, alter eidẽ Cæsari in cancellaria seruiebat, ipsomet, quo diximus die publice in tẽplo, ante Arã maximã, præteritas hæreses detestati, & fidẽ Catholicã ex Tridentino professi, pane cœlesti, cũ reliquo populo refecti fuerunt. Quod sicut in hac Prouincia fuit omnino nouum, ita & magnũ pietatis exemplum; eo maximè tempore, quo & religio Catholica opprimenda videbatur; & ipsis, vtpote Cæsarianis, propter hoc factum, pericula au-

gebantur. Insignis fuit pueri in fide constantia. Cũ Hæretici Ministri, singulis cõcionibus, eos anathemate percuterent, qui filios suos sub disciplina nostra reliquissent, vidua quędam duos filios, quos in nostris scholis habebat, à nobis auocare constituit. Maior natu, matri obsecũdãs, statim defecit; minor vero annos 13. circiter nat⁹, maiore cõstantior fuit. Cum illi, vt fratrẽ seniorẽ sequeretur, mater imperaret; ille verò se facturum negaret; mandauit illa, vt frater grandior, adhibitis secum alijs socijs, minorẽ post sacrũ, è templo exeuntem caperet, & vi ad Hęreticas scholas pertraheret. Fecit ille, sed hic eorum manus euadẽs mox fugit, & maternis ædibus valedixit. Illum Parens ad se adduci curauit, Ministrosq; vocauit, qui cum illo agerent & quod ipsa volebat, persuaderent. Sed surdo fabulã. Hinc mater furore acta, à malis verbis, ad peiora verbera progressa, illum acerbè verberauit, & biduo catena ligatum tenuit. Sed nihil ipse de Constantia remisit. Tandem cum Mater omnia tentaret, & ideo se illum, nec filii loco habiturã, nec vestes daturã affirmaret; soror aũt, iis ét quib. vestit⁹ erat, illũ spoliatũ iri addidisset, ipse statĩ superiorẽ vestẽ sibi detrahens, eam in sororis manus proiecit, & ad Nostros adijt; asserens se cũ matre habitare nõ posse, q, eũ in religione turbaret, Puerum Parocho commendarunt Patres: mater ipsa ad Parochum venit, & grauiter, ac non sine lacrymis, de filii inobedientia conquesta fuit. Parochus illam acriter, vti par erat, reprehendit, illique diuinam & humanam vindictam, nisi ab incepto desisteret proposuit, promisit ipsa se inposterum nullã molestiam filio illaturam. Ita puer sua constantia adeò matrem, fratres, & sorores defatigauit;

gauit; vt illum & scholas, & templum frequentare, Catholiceque viuere permitterent. Percrebuerat iam vbique rumor, bellum pro religione susceptũ, omnesque Catholicos Pastores (Iesuitas imprimis) de medio tollendos. Propterea Siculi Sacerdotes & de se, & de aliis soliciti, ex suo cætu vnum Michaelem Azkosi, Claudiopolim destinarunt, qui rerum statum à Patrib. cognosceret (Episcopo enim carẽtes, Societatis superiorem, superioris loco agnoscunt Transyluani Sacerdotes) ille igitur rustica veste indutus, Patres adijt. Ad suos reuertenti, Patèr Viceprouincialis, siculicos Sacordotes litteras officii sui, tempore tam calamitoso, grauiter obeundi commonefecit. Sacerdos aũt cum iam Siculiæ fines esset ingressus, in nobilem quendam incidit; à quo qui esset, interrogatus, primum acriter verberatus; deinde literis & pecunia exutus, deducitur ad Pagum proximum, vbi tanquam explorator accusatur. Ad Iudicẽ ergo vt causa cognosceretur, euocati ex pago primarii, vocatus & Prædicans, vt litteras interpretaretur. Quod cum fideliter feciſſet, innocens declaratus, libertate donatus fuit.

Dum hæc fiunt, ecce tibi post celebratam Christi Domini resurrectionem, Claudiopoli adsunt noui ex *S*omlyo legati, qui Sacerdotem à Patre summis precibũs contendunt. Est *S*omlyo antiquę illius lineæ Bathoreæ sedes, ex qua & Stephanus Rex & Sigismundus Princeps originem trahunt. Cum ergo hi Bathorei omnes Catholici fuerint, Catholicã religionem Somlyenses semper coluerunt; solique in tota Transyluania (Siculos excipio) templum suum, ad hoc viq; tempus ab hęresi inuiolatũ conseruarunt. Tam pię Somlyensiũ petitioni vt annuere[nt]

nueret Viceprouincialis, Sacerdotẽ illis licet ægrè, quod eius opera Claudiopoli esset necessaria, misit tamen, propterea quod sperareturfore, vt fructus, quẽ ex Somlyẽsibus esset percepturus, Claudiopolitanũ defectũ abũde cõpensaret. Sed nescio quatẽporũ iniquitate Sacerdos exturbat⁹, & in eius locũ Hæreticus Ministersuffectus fuit. Nõ potuit tamẽ àSomlyensib. impetrari, vt ex oppido vniuerso, vel vnicus aut Hæreticas cõciones audiret, aut minimum à rectoCatholicæ religionis tramite deflecteret. Omnes mori potius, quam à religione discedere parati.

Interea in Hũgaria factio Botskaiana magnos progres⁹ faciebat, seseq; in Trãsyluaniã (vt itadicã) reflectẽs, maiores indies vires acquirebat. Misit Botskai Claudiopolim Cõmissariũ Ioannẽ Inirefi, vtcũ illa ciuitatede deditione ageret, q ex itinere Patrẽ Viceprouincialẽ salutans, affirmauit sibi non posse nõ esse cordi Societatẽ, cũ Botskai illi præ omnib. Societatẽ cõmendasset: simul rogauit, ne se Pater in negotio illo misceret, vel impedimẽto illi esset. Sed bonus Cõmissari⁹ petitionis sue immemor, cũ difficiles nonnihil Claudiopolitanos ad deditionẽ reperisset, per Nobilẽ quendã Patrẽ rogauit iterũ, vt suas ipse partes cũ ciuib. interponeret. Cui bene respõdit Pater, se hoc præstare non posse, tũ quia hæc politicaad ipsũ nos spectabãt, tũ ẽt quia ab ipsomet, vt ab huiusmodi negotijs abstineret, paulò ante monitus erat. Quod tamẽ responsum eiusmodi rationib. tẽperatum fuit, vt nõ solum Inirefi offensus nõ fuerit, sed ẽt cũ ad Botskai redijsset, apud eũ Patrẽ nouis laudib. extulerit. Claudiopolitana igitur Ciuitas ad defectionẽ sæpi⁹ solicitata, tandẽ illa deditionis

tionis cõditiones, per Centumviros (hi ciuitatẽ vniuersam repręsentãt, & ad eos grauiora quæq; negotia spectant) Legatis dandas confecit. Primus articulus fuit, vt sola Arriana Confessio in ciuitate permitteretur. Quod quidẽ futurũ præuiderant ciues Catholici, idẽoq; suũ ipsi quoq; supplicẽ libellum Cẽtumuiris obtulerunt: quo, ne Catholicæ religionis libertas violaretur, petierunt. Petitionis æquitatẽ fortissimis rationib. probauit Trausnerus: qui vbi perorauit, ũc quodã primario ciue Catholico, è Senatu exiuit. Est n. mos, vt dum de re aliqua disceptatur, illi quorum ea interest, exeãt; ne in sentẽtiis dicendis, præsentia sua dissensionum causam præbeãt. Illos cõtinuo secuti sunt 4. alii Catholici: é quib. vn⁹, hic nõ de amicitia ciuili agitur, inqt, sed de cõsciẽtia, & ali⁹, Christũ meũ, ait, nõ deserã in æternũ, alii nulli in vniuerso illo cœtu fuerũt Catholici. Quidã verò Lutherana peste infecti, cũ se quoq; vi articuli dãnari intelligerẽt; licet in ciuitate exercitiũ nullũ haberẽt, ne tamẽ suã sectã dãnare, & Arrianã probare viderentur, exire voluerunt. Sed qa nõ contra illos, sed tãtũ agi contra Catholicos illis dictum fuit, acquieuerũt. Secũd⁹ articul⁹, quẽ determinarũt, is fuit; vt nõ solũ religionis Catholicæ patrociniũ apud Principẽ non susciperet Senatus, sed grauissima pœna mulctaretur, quicũq; hac de re vel cum ipso Principe agere præsumpsisset. Hæc cum Trausnerus intellexisset, postridie in Senatum venit, & vehementer conquestus est, Senatũ vniuersum accerrime perstringens, quod iniquissimos articulos cõstituisset. Ac inter cætera cum mea, inqt, causa iustissima sit, quis prohibeat, vt in Hungariã proficiscens, tibi (ad pręcipuũ Legatorũ cõuersus) causam

causã tuã peroranti corã Principẽ assistã, atq; in facie resistã? quæ si præstitero, quo iure, qua pœna me mulctabitis? Princeps est Pater, duo ſum⁹ filii q̃ petim⁹ panẽ: vni ipse dabit, alteri negabit, vel ne petat alter, ab altero impedietur? Quis vnq̃ talia vidit? quę Respublica similẽ vnq̃ legẽ tulit? Hæc cũ sũmo Zelo dixisset Trausnerus, Bornomizza senator omniũ antiquissimus, oĩa verissima & iustissima esse grauissimis verbis testatus est. Reliqui obmutuêre oés; nec tamẽ ꝓpterea pessima consilia sua mutauêre. A senatu ad Patrẽ Viceprouincialẽ venit Trausnerus; &, in meis, inqt, rebus, lente ꝓcedere solitus sum, sed hac in re nõ possũ nõ accelerare. Video n. finẽ dierũ meorũ, & quotidie oro. Nunc dimittis seruũ tuũ domine, &c. Nõ ignoro me ab his odio haberi; sed nihil curo. Rogarũt interim Patres Iudicẽ Primariũ (erat is Emericus Gelienus Saxo, cũ Collega Andrea Oĩues Iudice regio; q ãbo cũ aliis ante duos annos Societatis eiectionẽ; Collegiiq; demolitionẽ machinati fuerant) Iudicẽ, inq̃, rogarunt Patres, vt bonã voluntatẽ, quã verbis sæpius significauerat, ĩa re ipsa ostenderet; & in Senatu efficeret, vt ciuitas Societati patrociniũ susciperet, ne in illa Principis mutatione mali aliquid eueniret. Primũ ille se factũ promisit, postea varias sẽper, vt est vir fictus, prætexens excusationes rẽ distulit; nec eã nũq̃ senatui proposuit. Hoc igitur tẽpore in magno timoris & spei quasi Euripo, iactabantur nostri. Ex vna parte spẽ erigebant nobiles multi; q venientes à Principe, affirmabãt eũ in Transyluania, quoad religionem, nihil innouare velle, quoad Societatẽ verò, nõ semel eã se in omnib. saluã & incolumẽ conseruaturum in gratiã eorum, qui eã cõmendabant, iureiurando confir-

confirmasse. Ex altera vero parte timorẽ incutientes, spẽ deprimebãt alij, qui Principẽ audierant cõquerentẽ de Patrib. q, nimirũ illius in Transyluania progressus retardarẽt, & quo minus ciuitas Claudiopolitana, multò antè se dederet impediuissent. Vnde amici nonnulli Patrẽ Viceprouincialẽ hortabantur, vt vel literis se purgaret, vel ẽt hominem mitteret, qui pro Societate agens, ne ipsa vel in bonis, vel in personis quicquam pateretur, impetraret, ipse tamen ne illegitimũ Principẽ hunc approbare, seq; ei subiicere videretur, id nequaq̃ expedire, sed meliorẽ occasionem expectandã iudicauit.

Itaq; cũ legatis Claudiopolitanis in Hũgariã ꝓfectis, missꝰ occultè est à Catholicis vnꝰ, q̃ ad Baltasarẽ Syluasiũ, magnę vt erat opinio apud Botskaiũ auctoritatis, quẽ sibi Patronũ adoptauerãt, literas ferret, eũq; vt Catholicorũ partes, ꝓ virili tueretur, cõmuiõiũ nomine obsecraret. Sed res aliter cecidit. Cũ n. Botskai Syluasiũ vinculis cõstrictũ teneret, Catholicorũ legatꝰ, literas oẽs ad Syluasiũ datas, opportunè sanè discerpsit. Nã paulò post à Principis senatu accersitur; & an vllas Claudiopolitanorũ, Patrũúe literas habeat; & ã quoue, & qua de causã à Societate mittatur, diligẽtissimè examinatur. Ipse ne maiorẽ suspicionẽ incurrat; reliquas literas, quas seruarat tradit: inter eas erãt nõnullæ à Patre Viceprouiciali ad R. P. Generalẽ, aliosq; Patres exaratæ: q̃ qa nihil q, Botskaiũ offenderet, cõtinebãt; ꝑsente ipsomet latore laceratæ fuêre. Porrò Claudiopolitani legati reb. ex animi sentẽtia gestis demũ rediêre, A quorũ reditu, die 16. Iulii Añi Domini A 505. mane, 4. Senatores nomine ciuitatis, Patrẽ Viceprouincialẽ salutãtes eidẽ Principis Botskai literas exhibuerunt: ad quas vt antequã ciuiũ conuentus dimitteretur re-

sponde-

sponderet, petierunt. Pater lectis literis, & re Deo per sacrificium precesq; cõmendata, domũ Senatoriam, assumpto socio, qui & idẽ interpres esset, adiuit, loco inter primos Senatores sibi assignato cum veniisset, consedit. Responsum igitur quod expectabãt daturus, primũ ipsis annuentib. Principis literas quæ sequuntur voce clara legit.

STEPHANVS DEI GRATIA HVNgariæ Transyluaniæque Princeps & Siculorum Comes, &c.

REuerẽdi & honorabiles domini, grate nobis dilecti, salutẽ & fauorẽ. Requisiti sumus ab vniuersitate fidelium nostrorũ inhabitatorũ ciuitatis nostræ Colosuariensis humillimè nobis supplicantiũ, occupata esse superiorib. temporib. ab ipsis quæda bona & hæreditates, quorũ quarũuis in pacifico dominio se maioresque suos à memoria hominum eo vsque perstitisse clarũ est. Porro cũ iustis ipsorũ iurib. diutius defraudari iniurioſum arbitrentur, & vniuersalis iustitia, quo amicabilis inter homines cõcordia vegetiore modo conseruetur, suum cuique reddi iubeat. Ideo dominationes vestras amanter rogandas duximus, vt erepta qualiacunque ipsorũ bona & hęreditates spõtaneè ac beneuolè restituere velint; atq; eo pacto pacis, cõcordiæq; amãtiores reperti, ansam diſsidii, & mutuæ æmulationis penitus tollere cõtendãt. Qua quidẽ in re, si quid nostri ẽt ob respectũ fecerint, rẽ nobis gratissimã præstabũt. Et cũ his easdẽ bene valere cupimus. Datũ in libera ciuitate nostra Cassouiẽsi, die 7. Mẽsis Iul. 1605.

Quib. lectis, quid petat Princeps (inquit Pater) audiuistis, quid respõdeatur iã intelligatis. Res omninò duas Princeps suis literis cõprehendisse videtur,

Primum

Primum enim Senatũ apud eum conqueſtum eſſe; noſque tanquam ſuorum bonorum ereptores, & iniuſtos detentores accuſaſſe docet, deinde vt huiuſmodi bona, pacis & concordiæ cõſeruandæ gratia vobis reſtituamus, clementer hortatur. Verum quod ad primum attinet, ignoro prorſus, me aut vllum ex pdeceſſoribus meis, quidpiã vel à ciuitate, vel à ciue; aut vi eripuiſſe aliquando, aut iniuſtè detinere. Equidem de me illud affirmare poſſum; me eo ſemper animo fuiſſe, vt amittere mea, quã aliena rapere mallem. Vos igitur obſecro; vt quænam illa ſint bona, de quibus conquerimini, declaretis, ſiquidem hac de re Princeps in ſuis literis nihil omnino ſignificauit. Quod ad alterum literarum caput ſpectat: oro vos & obteſtor; vt quam pacem & concordiam Princeps optare ſe demonſtrat, illã mecum & habere & tueri velitis. Hic à Senatu Patri dictum, vt domum ſe reciperet; eò enim Senatus per ſuos miſſurum reſponſum, renuit Pater, ne mittendis vltro citroque legatis, difficultates augerentur. Quare ſe foris tãtiſper expectaturum, quoad Senatus more ſuo aliquid deliberaſſet. Placuit Senatui. Pater igitur in inferiori conclaui, tres ferè quadrantes expectauit: deinde vocato Senatus in hæc verba reſpondit. Bona, quæ nobis erepta dicimus, ſunt templum, Domus Parochialis, Scholæ, mola, & Domus reliqua, quibus gaudent Reuerendæ Paternitates Veſtræ. Pro his Principem requiſiuimus, hæc nobis hodie reſtitui petimus & volumus. Ad quæ Pater: hæc quidem à Principe Senatum poſtulaſſe me non latuit, verum cum in litteris non exprimeretur, quænam illa eſſet, non im-

meritò dubitaui. Atqui satis constat, Principem viris nobilissimis etiam iuratò promisisse, se in hoc grauissimo negotio nihil immutaturum, nec vt alii immutet, permissurum; quoad ipsemet in generalibus Regni comitiis illud cognoscat, & partes vtraque audita, cuius bona illa esse debeant, de iure decernat. Porrò non video, qua ratione hæc bona a vobis vi erepta dicere possitis, cum illa nobis, vobis consentientibus, à legitimo Principis illius temporis Magistratu, vt iustitiæ satisfieret, legitime fuerint tradita. Iustitiæ enim ratio postulat, vt quis rem alienam iniuste adimit; vt illi fiat satis, suam ipse iuste amittat. Cum igitur templum nobis, Scholas, ædes alia ademeritis; optimo iure templum pro templo, Scholas pro Scholis, ædes pro ædibus, adiudicata fuere nobis. Alia via supereſt nulla; quam vt res vel de iure, vel de facto decernatur, de iure nunc fieri non potest absente iudice: vt de facto fiat, æquitas non permittit. Quocirca per ipsa misericordiæ Dei viscera, ne in re tanti momenti præcipitetis, vos rogo; quæ cum sit coniuncta cum causa Dei & Religionis, ego vobis cedere non possum. Hæc Pater. Senatus deliberationem instituit nouam. Sed Transilnerus rei indignitate motus, multis Iudicum iniquitatem prosecutus, à Senatu cum septé aliis Catholicis discedit. Reliqui Senatores post deliberationem satis longam reuocant Patrem: commemorant bona, de quibus agitur, sibi non à Patribus, sed alijs per vim erepta, à quibus tradita sint Patribus; Commissarium Krausenek à Iudice vi extorsisse templi claues; Generalem Bastam eidem Iudici nisi Domũ Parochiæ vicinam procuraret, suspendium esse

esse minitatum: habere se præterea literas Patrum nostrorum, contra ciuitatem scriptas. Ad hunc Pater, litteras, inquit, libenter videbo. Notarius porrexit, & eas Pater alta voce legit, continebant illæ probra nonnulla in ciues, ob facinus commissum contra Societatem, in templi, Collegij, & Seminarij demolitionem, in ipsorumque Patrum tum seditiosa exturbatione, atq; etiam trucidatione. Lectis litteris, nomina, inquit, subscriptorum noui, manū non noui. At Socius Patris, ego verò, inquit, noui manum non esse illorum. Nam illorum vterque vsu manuum priuatus erat. Quid quod alter nec scribere nouit, nec litteras vnquam didicit? erant hi duo illi ægroti, de quibus in Collegij direptione dictum est. Tum verò Pater inique secum agi, serio monere, ne litteræ ab aliis malitiosè confictæ, per calumniam Societati adscribantur. Porro fueritne vis illata, necne ipsis à Commissario vel Generali, se ignorare: certè, ait, Pater, ex comitiis Deuensibus articulū hac de re habemus, ab vniuersa Prouincia, & à vobis qui adfuistis confirmatum. Si ergo comitia legitima illa fuêre, non video quo iure id vos auferre possitis, quod iure semel attribuistis. Quod si quis illegitima esse dicat: illud vero nec mihi, nec vlli constare potest, nisi Superior, hoc est, Princeps, ita esse declaret. Expectetur ergo ille, donec veniat, causam cognoscat; & quid tam mihi, quam vobis faciendum sit, arbitrio suo ostendat. Interim vos obsecro, ne turbetis Societatem, sed illam suis pacificè frui permittatis. Simul illud diligentissime hortor & moneo, tria hæc sedulo cogitetis. Primum omnium, tremendum Dei tribunal;

coram quo omnes nos ſtare oporteat, & de factis propriis rationem reddere. Alterum eſt commune bonum ciuitatis, quæ veſtræ curæ commiſſa, omnia ſuo iure à vobis iuſta, & honeſta petit. Poſtremum quod vobis commendatum volo, eſt; vt quibuſcũ agatis, diligenter & accurate perpendatis, vobiſcũ nim negotium eſt cum hominibus Religioſis, qui patriæ veſtræ nunquam obfuerunt, plurimum vero ſæpius profuerunt. Teſtes vos ipſos appello, qui cum operam meam in veſtris calamitatibus requireretis, id non ſemel ſummam vos fuiſſe expertos, vltro faſsi eſtis. Quem animum erga vos ſemper habuimus, eundem hunc conſeruamus adhuc, & quoad vixerimus conſeruaturi ſumus. Vtinam amori noſtro pari vos beneuolentia tandem aliquãdo reſpondeatis. Audiuerunt hæc omnia attẽtè Senatores: & Patri, nõ eſſe cur amplius ibi moraretur, ſe verò domum conferret, quicquid ſtatuiſſent, illi ſignificaturos. Ille igitur omnibus ſalutatis è Prætorio domum ſe recepit. Senatores, cum abeſſe Catholicos viderent, nec amplius Patrem illis coram reſponſurum expectarent, illud palam conſilium ineunt & vrgent: vt nulla via iuris ſeruata, cõtinuo Patres templo, Scholis & omnibus ſpolient, atque etiam ciuitate exturbent. Quare Senatores quatuor ad Patrem expediunt cum mandatis. Significant voluntatem vltimam Senatus eſſe, vt vſque ad horã quintam veſpertinam (iam prima à meridie præterierat) templo, & Scholis excedat, interim res ſuas auferat; ad diem verò Martis (erat tunc dies Sabbathi) domo etiam diſcedat: Senatui autem curæ fore, ne intra hoc tempus damnum vllum aut iniuriam

riam patiatur: supra illud tempus, nullam protectionem Patribus ciuitatem polliceri. Pater scriptum hac de re decretum petijt; sed illi se habere negarũt; mandata autem ciuitatis se referre solum. Tum Pater, nõ de vestra, inquit, relatione dubito: sed quod de protectione dicitis, explicatius scire volo. Cum autem illi se nihil aliud in mandatis habere respon-derent: propterea, inquit Pater, decretum requiro, quod cum vrgeret vehementius, dixerunt illi: Senatum iam solutum esse, decretũ haberi non posse. Quamobrem quia iam æquitas omnis exulabat, nullus quoque consultationi locus erat; è templo res sacræ omnes (præter imaginem Crucifixi tectã tela nigra Quadrageſimæ, vt fieri solet, tempore) sunt exportatæ, ne tumultuanti plebi occasio præberetur in eas inuolandi. Denudato igitur templo, spoliatis altaribus, facta oratione, & recitato psalmo Miserere, Pater Viceprouincialis digreditur ex tẽplo, postquam non paucos qui aderant Catholicos, solatus fuisset eo argumento, quod licet templum amitteremus, Deum tamen, propter quem sunt tẽpla, non amitti. Vix exiuerat Pater; & ecce tibi cum aliis ciuibus intrat Iudex Regius; homo, si quis alius impius, & temerarius. Is cum telam ex altari pendentem vidisset, id quod erat ratus; ædiles imaginem auferre iussit; qui cum inscio Patre se facturos negarent, per eosdem Patri nunciauit fore, vt omnia lacerarentur: quare si charam haberet imaginem, illam auferri curaret. Quod factum est, scissa circumquaque tela depicta: ornamenta enim deponendi neque tempus erat, neque modus. Verum hoc spoliationis initium, non etiam finis fuit. In tẽ-

plum enim Arriani irruẽtes Altaria lapidea, reliquaque omnia, quæ diuini cultus ſpeciem aliquam referebãt, funditus euerterũt. Duo enim ipſi, & præterea nihil in templis requirunt, cathedram pro cõcionatoribus, & ſcamna pro Auditotibus. Magnus Catholicorũ ſecutus eſt dolor; magna Arrianorum exultatio, paſsim aduolabant ad templum, ſedes deligebant, & ſibi de reſtituta religione gratulabantur. Erat in choro muſicum inſtrumentum, vulgò Poſitiuum appellant, quod Claudiopoli Baſta reliquerat. Illud Arrianorum diſcipuli perfregerunt, & in ſexcentas partes diſcerpſerunt. Iam orbato licet templo Societas, non tamen ſalutis animarum curam deponebat. Iudices igitur rogauit, vt ſibi ſua miniſteria exercere, & poſtridiè, qui erat dies Dominicus, alicubi concionari liceret. Annuerunt illi, ſed ne concio alibi fieret, quam in Domo Parochiali. Per duos ciues tranſegit negotium iſtud Societas. Quibus etiam primarius Iudex dixit, ciuitatem quidem nulla Principis auctoritate templum recepiſſe; verum ipſius Principis aduentum conſultò præueniſſe; ne ipſe á Catholicis templum auferret, & Caluiniſtis, quos colit, traderet. Quo tempore cognitum eſt etiam, quatuor Legatos, qui iuerãt ad Principem, valde electionem noſtram vrſiſſe. Qui primas legationis partes obiuit, contraque Societatem omnium acerrimè pugnaſſe dictus eſt, eſt ille ipſe, quem antea Pater Viceprouincialis à vinculis liberarat: alius iam ab illo, qui dum captiuus eſſet, & facinora in Societatem à ſe admiſſa non negabat, & filio prodigo ſe comparabat, & beneficium a Societate acceptum, in cœlum vſque eueheb at. Dederat

rat Senatus nobis milites aliquot, qui domum nostram illa nocte & sequentibus diebus custodirent; postridiè igitur in loco satis amplo, post Sacrũ habitã concio; vbi Auditores opinioni multò plures non solum Catholici, sed etiam aliarum Sectarum hæretici, qui Arrianismum detestantur. In fine concionis, magna commotio fuit, magnus omniũ ploratus. Cõcionator spem bonam omnes habere iussit, modestiam inprimis illo tempore necessariam, humilitatem & pietatem commendauit: & paucis, quæ ad consolandos animos afflictos facere videbantur, prolatis; concionem lacrymantem dimisit.

Societati in hac calamitate adfuerunt duo ex præcipua nobilitate viri, Sigismundus Sarmsaghius, optimè de Societate meritº, & Franciscº Vas, summus & ipse eiusdem fautor. Istorum hic fortè fortuna ex itinere Claudiopolim deflexerat, ille monitus, ex arce sua ad ciuitatem aduolarat. Porro Pater Viceprouincialis, nè aliquid intentatum relinqueret, rogatum Iudicem misit, vt sequenti luce Senatum, si non centum Patrum, saltem ordinarium conuocaret, se enim habere, quod cum illis necessario communicaret. Fecit Iudex; & die Lunę Senatum ingressus est. Eum secutus est Pater, cum supradictis duobus nobilibus testibus futuris, si quando opus foret. Vbi postquã consediſſet, sic exorsus est. Nudiustertius in Senatu fui: Principis litteras legi: earum sensus exposui: & quia me accusatum esse intellexeram, accusationem dilui, domum cum iuissem, à vobis me damnatum esse cognoui. Quo iudice idem factum sit, & quomodo, nondũ perspi-

cere potui. Decretum à vobis, vt & iudicem agnoscerem, & sententiam perspectam haberem, petijs negatum id mihi est contra oẽm iuris formam. Sed quæso vos, quæ sentẽtia iusta esse potest, vbi iudex legitimus abest, Princeps nimirũ, ab ipsamet ciuitate electus? ad quem sicuti antea appellaui, sic nunc iterum & centies appello. Quæ licet ita se habeant, ego tamen nè perturbationis causam darem, vobis imperantibus obtemperaui; atque templo & Scholis, hora præscripta cessi: supereſt vt cras tecto cedam. Verum quò mihi inde migrãdum sit, prorsus ignoro. Vos igitur, vestram siue institiam siue humanitatẽ experturus, accessi. Meminit Iudex, se, vt aliquando vitam suam à periculo immunem seruaret, S. memoriæ P. Maioriũ Prædecessorem meum, qui Collegio & templo nostro dirutis, eximeret in Monostor: sæpius adijsse, rogasseque, vt Pater ciuitatem ingrederetur, se Domũ Parochialem Societati tanquam propriam assignare, quod quidem bonus Pater fecit tandem: tum vt ciuitati morem gereret, tum vt Iudicem â mortis periculo liberaret. Nunc ego vos rogo, vt hanc eandem Domũ tunc vltrò oblatam nobis inhabitandam permittatis, aut certè, de aliqua honesta domo nobis in ciuitate prospiciatis, in qua, secundum nostra priuilegia sub ciuitatis tutela, ministeria nostra exercere valeamus. Nondum est annus; cum vos sæpissimè Patrem me, & defẽsorem vestrum appellabatis; quæso vos, ne ita mecum agatis: vt si iam Patrem habere me velitis, veluti cum hoste agere videamini. Quia verò in re tanti momenti, decretum à ciuitate facilũ quod & antea petij, & nunc denuò peto, habere nõ possum

possum; duos hos nobilissimos viros testes habere volo: vt si quando opus fuerit, me nihil aut temerè aut imprudèter egisse, sed vi coactum sortem hanc subiisse, testentur. Hic Vas alter è Nobilibus, facta prius à Iudice loquendi copia, vbi multis de statu Societatis questus fuisset: mirari se dixit repentinã hanc ciuitatis deliberationem: se iterum ac tertio pro Societate cum Principe egisse; respondisseque Principem, hanc quidem fuisse præcipuam Claudiopolitanorum petitionem, vt Patres exturbare possent; se tamen nihil de ea re decreuisse, omnia ad suum aduentum detulisse. Quare Vas orare Senatũ, vt in negotio lentius atque mitius procedat. Dixit eadem Sarmasaghius nobiliũ alter duorũ; qui ipse quoque eam fuisse Principis voluntatem, se ex ipsomet Principe intellexisse confirmauit. Addiditque, vtilem & necessariam inter ciuitatem & nobiles communicationem, nulla re magis sublatum iri, quam si præter iuris ordinem, à ciuitate aliquid accideret Societati: læsis Societatis priuilegiis, ipsã nobilitatem lædi; cuius priuilegiorum status alius non esset, quam Societatis ipsius. Ad hæc respondit Iudex, rem grauiorem esse, quam vt extempore Senatus respondere possit. Quare se domum conferrent; Senatum consultaturum; quicquid deliberasset, per Senatores significaturum. Paulò pòst duo Senatores, nomine Senatus Patri significant; Senatum ipsum vniuersę ciuitatis decretum infringere nec posse nec velle. Quare crastina luce Domo emigrandum esse, ad illud vsque tempus, tutelam ei non defuturam. Quod autem vrgeret Pater, de habitatione aliqua, sub ciuitatis tutela impetran-

da, ea de re nihil quod responderent, se à Senatu habere dixerũt; illud adiicientes, sibi mandatum esse, vt Patrem rogarent, vellet imperare silentium Catholicis, execrationes multas in ciuitatem iactantibus, ne grauius aliquid eueniret. Et Pater se id præuenisse respondet. Quod si, ait, essent sub potestate mea coërcitiua, sicuti sub Senatus potestate est plebs Claudiopolitana, hæc admonitio non fuisset necessaria. Verũ dabitur opera, vt Catholici suã modestiam ostendãt, & nullam dissensionis occasionem præbeãt. Tum Senatorum alter, ad illos duos nobiles cõuersus; Senatus, inquit, vobis in omnibus obsequi vellet; sed cum hic de Religione & conscientia agatur, se nihil amicitiæ dare posse nunciat. Pater vt vidit Senatum id quod præcipuum erat dissimulare, aliud è re ipsa consilium cepit. Illi domum suã satis amplam, & ad munia Societatis accõmodatã obtulerat bonus ille senex Bornamizza, ad illum igitur misit, vt videret, num sibi Patres hospitio accipere liceret. Ille Iudicem adit, & petit, Iudex negat: instat ille, hic mutatis loquendi formulis, modò non licere, modò tutum nõ esse, modò alijs verbis, quibus hoc illi prohiberi ostenderet, respondit. cum Iudice erat Primarius quidam ciuis Lutheranus, huic res indigna visa est, &, ergone, inquit, quod omnibus præstare possum, Societati præstare nequeam? & solis viris hisce honestissimis hospitalitatis iura denegem? Ad quem Iudex, si quando ad ciuitatem quempiam illorum venire contingat, illis hospitium dare non prohiberis, sed vt iam aliquem retineas, nec tibi suaserim, nec vlli auctor fuerim. Quæ vt intellexit Pater, ne quid-

quam

quam intentatũ maneret, & adhuc amplius Iudicis animum exploraret, ad eum misit prædictos duos Nobiles, qui cum eo de securitate Patrum agerent; & intelligerent, an verè Senatus decreto, illis omnino è ciuitate migrandum esset. Quibus ille clare respondit, omnino esse. Et idcirco illos frustra laborare, cum statutũ esset, vt illo ipso die (erat enim dies Martis) hora quinta, vel sexta, vellent nollent, è ciuitate discederent. Ad vltimum igitur fere momentum ventum erat; Et ecce adsunt duo è Centumviris, qui domum lustrant, & ea quæ ad Ministrum, qui antea domum habitabat, spectarent, sibi tradi postulant. Factum id abunde. Licet. n. quando nostri domum sunt ingressi, nulla rerum assignatio facta sit, tamen in discessu, longo rerum catalogo, eadem die excogitato, satisfacere debuerunt. Sed nulla difficultas, quia non ea sola, multo plura relicta fuêre; & si aliquid defuit, quadruplum restitutum fuit. Neq; enim in illa temporis exiguitate potuerũt Patres omnia efferre, & ideo magnã rerum suarum iacturam passi fuêre. Qua etiam de re cum Nobilem quendam ad Iudicem rogatum misissent, vt sequenti die quædam efferre liceret, quæ temporis, hominum, & currurum penuria, illo die efferri non poterant, Iudex Regius, qui Primario aderat, homo sui impotens, Nuncia, inquit, Patribus nobiscum ne iocentur, tempus prescriptum sciunt, intra illud sibi prospiciant, ne quid deterius illis contingat. Quod vt audiuit Pater, sereno vultu suos conuocatos, quomodo egrediendum esset, commonefecit. Non enim licebat amplius morari in ciuitate, vbi Societas neque proprias ædes habebat,

bat, neque apud alios esse permittebatur; neq; tutelam vllam contra factiosos impetrare poterat. Et communis bonorum omnium sensus erat, non esse expectandam illam vim, quam multi minabantur, ne Societas & temere agere, & in ciuitate tumultum excitare, & Catholicos omnes periculo exponere videretur: erat enim dubiũ, si populus in Societatem irruisset, non antè quieturũ, quàm reliquorum Catholicorũ sanguine ciuitas redundasset. Hora igitur fere post meridiem quarta, die 19. mensis Iulij anni 1605. è ciuitate discesserunt Patres. Eos comitati sunt Sarmasaghius, Trausnerus, & alij nonnulli ciues, & nobiles Catholici, reliquis sese domi continentibus, tum ob tristitiam, tum quia prudentioribus id consultius visum fuit. In porta ciuitatis quatuor ciues nomine Iudicum, Senatus, & ciuitatis, Patri Viceprouinciali humaniter valedixerunt. Quibus paucis sed grauiter resalutatis, currum ipse conscendit; & cum suis, qui duobus curribus vehebantur, in Monostor venit, comitantibus supra nominatis; & præterea sexdecim militibus sclopetarijs, quos vsque ad fines Monostor à ciuitate discriminantes, Claudiopolitanus Iudex illi adiunxit: qui deinceps nullum ex Patribus ciuitatem ingredi permisit. Communis amicorum sententia erat, Patres in Monastor non sine vitæ periculo certo versari; & ideo ad tutiorem locum migrandum esse. Timebatur enim, ne vel aliqua latronum manus, spe prædæ illos inuaderet; vel etiam, ne ciues insidias molirentur, quod factu difficile non fuisset. Est enim Monostor locus præter iniuriam temporum apertus, & omnibus sine vlla

defensione

defenſione expoſitus. Hortantibus igitur amicis, & bono impellente Sarmaſaghio, cum vno die ibi manſiſſent, nocturno itinere, ad ipſius Sarmaſaghij arcem (Gherend appellatur) diſceſſerunt: relicto vnico Fratre, qui Monoſtorienſem Oeconomiam adminiſtraret. Ad Principem etiam, qui tunc ex Hungaria in Tranſyluaniam iter adornabat, litteras dedit Pater, quibus illum de omnibus certiorem fecit, atque rogauit vt Societatis patrocinium ſuſciperet, ne qui proprijs ſedibus ſpoliati erant, vita quoque ſpoliarentur. Quinto decimo poſt die Pater Viceprouincialis cum Socio in Monoſtor concionaturo redijt. Hoc enim Catholici petebant, nec pericula vlla iam imminere videbantur. Diebus igitur feſtis, ex ciuitate tam multi ad concionem confluebant, vt vix in ciuitate plures conuenire conſueuerint.

Sub idem tempus, circa feſtum B. Virginis Aſſumptæ, Botskai Prouinciam ingreſſus eſt. Per Michaelem igitur Kataj Cancellarium, qui cum vxore, ante duos circiter annos, ad Catholicam Religionem Societatis opera conuerſus fuerat, quique pro Societate omnia ſeſe facturum promiſerat, Audientiam petijt & impetrauit P. Viceprouincialis, & Princeps ipſe, per Nobilem quendam Stephano Kendio, vt Patrē accerſeret, nunciauit. Sed P. ciuitatē ingreſſus, cum per Secretariū neſcio qd turbatum fuiſſet, redijt in Monoſtor. Poſtridie mane ad *P*atres venit Georgius Homonnaij, iuuenis inſignis Catholicus & Principis Conſiliarius, qui à Principe audientia impetrata, Patrem vt veniret, monuit. Iuit Pater; ſed in ipſomet ciuitatis limine,

trabem

trabem quandam demiserunt custodes, ne currus quo vehebantur, vlterius progredi posset. Monitus est Homonnaj qui statim iudici significauit voluntatem Principis esse, vt Pater ingrederetur: sed nihil effecit. Pater igitur, re infecta iterum redijt, sed Homonnai, vt dignitatem suam tueretur; sequenti die cũ Principe de iniuria conquestus est. Cui ille se omnino eodem die Patre admittere velle respondit. Tertio igitur vocatus, tandem ad Principem fuit introductus, quo tempore is erat cum omnibus Magnatibus atque Consiliarijs. Itaque Pater coram omnibus amoliri à se primum suspicionem de impeditis Hungarorum, & felicibus Serenitatis suæ successibus: deinde suam vniuersè erga Hungaros voluntatem optimam semper fuisse, testari posse tum Nobiles Transyluanos, tum ciues Claudiopolitanos: se enim, quicquid gratiæ & auctoritatis apud Cæsareos habuisset aliquando, totum id in Hungariæ commodum contulisse: contra Principem nihil vnquam attentasse; se vtpote Religiosum, religiosa curasse; abijs omnibus, quæ statum dedecuissent suum, abstinuisse; in spiritualibus laborasse, à politicis abhorruisse. Tum vero proponere miserum Societatis nostræ statum, explicare difficilem ac seuerum Claudiopolitanorum animum, qui Patres innoxios eiecerint, domicilium non modo non concesserint, sed nec eos hospitium in ciuitate habere permiserint: rogare proinde suo & Societatis totius nomine, vt ejectos in pristinum ciuitatis locum restituat, & in reliqua Prouincia, auctoritate protegere velit. Tum deniq; offerre sua Pater obsequia Principi, cum in

alijs

alijs, tum p̄cipue in ingenua iuuentutis educatione. Ad hæc Princeps, interprete Cancellario, primum gratias egit pro bona erga nationem ſuam voluntate; deinde Patrem bono animo eſſe iuſsit: ſibi enim ſemper cordi futuram Societatem: demum ea quæ petebantur, reſpondit, vtpote grauiſsima, nō poſſe à ſe ſolo expediri; quare neceſſum eſſe, vt Pater daret in ſcriptis, quæ deſiderabat; vt ea cum conſilio eorum, quorū intererat, determinare poſſet. Tum conuerſus ad ſocium Patris, quem Hungarum eſſe intellexit, patria lingua illi iniunxit, vt Patri diceret, ſe ſemper Societati fauturum, vbicunq; poſſet. Simulabat Botskai ſe bene erga Societatē animatum, tum, ne in illo primo ingreſſu, Catholicos offenderet, tum ét, quia cum multa à Germanis apud noſtros relicta eſſe exiſtimaret, ea ex eorum manibus extorquere volebat. Verum cum poſtea & Patrem Viceprouincialem per amicos tentaſſet, & quicquid in Gherend habebamus, luſtrari iuſsiſſet, & nihil prorſus, quia prorſus nihil relictū erat, inueniſſet, minus bonam in noſtros voluntatem oſtēdere cœpit. Claudiopoli habenda erāt comitia; & iam erant indicta, ſed dum tempus pręfixum expectatur, monetur Princeps Nobiles præcipuos adeſſe non poſſe. Cum enim tunc ciuitatem, dictam Segeſuar obſiderent; ibique Simon Moldauus, cum Moldauicis copijs, Turcarum autem Baſſa cum Turcicis adeſſent; non ſine magno caſtrorum incommodo & periculo, tam procul inde diſcedere potuiſſent, quare vel comitia differenda, vel viciniorem locum deligendum. Electa igitur ciuitas alia, Megias ſcilicet, in centro fere Prouinciæ, non procul à Caſtris collocata.

collocata. Illuc iuit P. Viceprouincialis. At neque ibi prius incepta comitia, q̃ Segesuarienſe negotiũ abſolutum. Eam igitur ciuitatẽ cum Arce deditione recepit Princeps, dimiſsis qui intus erant, Germanis militibus, cum Polonis Loſacis: quibuſcum etiam permiſsi ſunt abire illi duo Commiſſarij Cæſarei; qui vt alibi dixímus, ſupererant in Tranſyluania. Cum ijſdem abierunt etiam, cum alij, tum tres illi Cancellariſtæ, qui per iniuriam in cõpedes paulò antè conjecti fuerant: pro quibus vt abire poſſent, Patres lytrum perſoluerũt. Hic Pater bello iam cõfecto, memoriale, quod Claudiopoli à Principe dare juſſus erat, illud per Franciſcũ Darocium tranſmiſit ad Cancellarium, à quo Principi offerendum eſſet. Eſt Darocius in Hungaria Nobilis magnus, ſed maior Catholicus, & Societatis amãtiſsimus, quem ante hos tumultus Tranſyluaniæ Cancellariũ conſtituerat Cæſar. Quia verò hiſce turbis excitatis, in Cæſaris fidelitate manebat, ſeque quantum poterat à Botskajanis defendebat; tandem ſtructis inſidijs captꝰ fuit, & in SZakmar (quæ arx iam in Botskaj manus deuenerat) per multos menſes, in arctiſsima cuſtodia detẽtus. Verũ cum magnis viris pro ipſo intercedẽtibus liberatus fuiſſet, eum Princeps ſecum in Tranſyluaniam duxerat, huius opera vtebatur Pater, quia fidelis erat, magnæq; apud oés auctoritatis. Cum offerret Principi Cancellarius ſcriptum Patris, interrogauit Princeps, à quonam illud recepiſſet? à Darocio reſpondit Cancellarius. Tum Botskaj vehementi ira commotus, ſi hoc, inquit, mihi de illo perſuaſiſſem, nunquam ille ex carcere euaſiſſet; Et quomodo, inquit Darocius, me rem ingra-

rem ingratam Principi facturũ cogitare potui; cum ipsemet Princeps per me cũ Patribus egerit, eorũque causam arbitrio Regni se relicturum significarit? Ad hæc alter, non amplius, inquit, Princeps huius est voluntatis. Iam vero intellexit Pater, verum esse id, de quo antea semper valde suspicatus fuerat; Principis nimirum voluntatem aliam esse, ac Claudiopoli significarat. Ostendebat ille quidem verbo se velle, vt Prouincia de Societate libere sententiam ferret; quam eandem se quoque ratam habiturum dictitabat: re autem vera, vt Societas è Regno pelleretur, volebat. Quod quidem ipsum vt à Regno decerneretur, miro artificio procurabat. Cum enim illud partim hæreticum, partim Catholicũ esse non ignoraret, hæreticos & numero plures, & Societati per se satis infensos, nullo negotio ad se traxit. Catholicos verò varijs cuniculis oppugnare cœpit: nam nonnullos ex præcipuis Societatis fautoribus, varias ob causas ne sibi impedimento essent, aliò abiegauit: alijs voluntatem suam modo per se, modo per alios indicans, talem metum incussit; vt iam pauciſsimi essent, qui se Societatis fautores profiterentur; rari, qui cum Patre agere auderent. Dixit aliquando Pater Cancellario, se Principem adire velle, sed ille non expedire renunciauit, melius esse, vt se domi contineret; dolere quidem, quod cum illo agere nequiret, sed aliud fieri non posse: Societati omnino è Regno cedendum: attamen non esse de vita timendum, vt enim honeste dimitteretur, constitutum esse. Itaque Pater omni humano destitutus præsidio, magno conatu spem in Deo collocandam ratus, suos tàm in Gherend, quam in Mono-

ſtor, per litteras, magis quam antea orationi inſtare iuſsit. Quos nihilominus, vt ſe ad iter pararent, omniaque tanquam de manu Dei, ſumma cum humilitate, patientia & ſilentio ſuſciperent, commonefecit. Interim ipſe, ne qua in re cauſæ deeſſet, illum eundem libellum, quem Principi obtulerat, Regno quoque præſentauit. Continebat ille petitionem reſtitutionis in ciuitatem Claudiopolitanam, tutelæ Principis & Regni, rationes nonnullas, quibus Societas cauſæ ſuæ æquitatem oſtendebat. Aderat iam tempus, quo in comitijs de Societate agendum erat; cum ecce tibi in templo, pleniſsima concione, præcipui hæreticorum miniſtri Arianus & Caluiniſta, longiſsimam ambo in Societatem orationem habuêre. Vtriuſque ſcopus erat, vt Societas è Regno amandaretur. Dimiſſa concione, præcipui quique, maxime verò ij, qui ius ſuffragij habebant, adeunt Gabrielem Halerum, Senatorem præcipuum, & magnæ virum auctoritatis, qui ne cum alijs in templo eſſet, podagra tuerat impeditus: adeunt inquam, vt ibi primum de Religione, & cæteros, quos de alijs rebus determinarent, conſcribant articulos. Magna de Societate orta contentio, multis eam acriter oppugnantibus; paucis vero, ſed ſtrenuè propugnantibus. Inter alios Stephani Kendij Zelus enituit, cui cum obijceretur Parens, qui olim cum alijs in ableganda Societate cõſpirarat; pſum iã parente ſapientioré eſſe non oportere, propter illud peccatum, inquit Kendius, eum Deus peſsimo fine puniuit. Fuit parens eius ſummus Senator, & nobilitate, opibus, prudentia totius Regni facile Princeps, quia vero Hæreticus, magnus

gnus etiam Societatis inimicus. Hic cum alijs magnatibus, à Principe Sigismundo proditionis nomine notatus, capite plexus fuerat. Cum similia Francisco Vas obijcerentur; nisi meus parens, inquit ille, accelerata morte se surripuisset, eandem forte cum alijs sortem obijsset. Comitijs tunc præerat Trausnerus (quo munere qui fungitur, Regni lingua, seu Orator appellatur) Cum enim Princeps, quem Regnum delegerat, non admisisset; neq; Regnum quem illi Princeps proposuerat; tertio demum loco à Principe Trausnerus nominatus fuit, quem Regnum cum applausu accepit: licet ipse graui excusatione, sese ab onere subeundo subtraheret. Ita factum est; vt qui antea ob mutatam Religionem, à plurimis contemnebatur, supra omnes extolleretur. Is igitur, cum partem aduersam adeò concitatam aduerteret, vt illius impetus sustinere difficile nimis esset, vt eam refrenaret, quæ in scriptis P. Viceprouincialis obtulerat legi iussit, rationesq; singulas diligenter ponderando, Societatem iure pelli non posse demonstrauit. Verum illi, quibus pro ratione voluntas erat, in id totis viribus incumbebant, vt quod in animo fixum erat, executioni mãdarent; id iuréne an iniuria fieret, nihili pendebant. Parte itaque aduersa numero suffragiorum superante; vt Societas è Regno proscriberetur scriptus est articulus. Nimirum videbant Hæretici Religionem Catholicam non prius extirpari posse, quam Societas è medio tolleretur. Est enim Transyluania in tres quasi diuisa partes; vnam occupant Saxones, apud quos exulat Catholica Religio: alteram Siculi, quorum aliqua pars est quidem Catholica, & non-

nullos Sacerdotes habet, tamen vt plurimum rudes, & ferè vxoratos: tertiam partem, quæ potior est, reliqui obtinent Hungari, in qua vix vnum vel alterum Sacerdotem Catholicum inuenias. Cum igitur in tota Transyluania, præter Societatis scholas, nullæ aliæ Catholicæ reperiantur; Sacerdotes autem ob defectū Episcoporum propagari nō possint, facile cum lumine fidei, sacerdotalis quoque linea extingueretur. Sed vt ad comitia redeamus, dum hæc faciunt, Nobilis quidam Catholicus, P. Prouinciali refert, Hæreticorum Ministros, contra Patres & Religionem Catholicam, in templo debacchatos, nullum fuisse, qui responderet, eorumq; petulantiam retunderet. Pater, in re tàm grauibus iusta minime tacendum ratus, omnia statim vtriusque accusatoris puncta notari iubet; & nequicquam alicuius momenti omitteretur, tribus aliis viris doctis, qui perorantes audierant, accersitis, ea ijsdem illa contulit. Post meridiem cibum sumpturus, & continuo rediturus, domum venit Transylvanus (hic enim cum Patre ad comitia venerat; & eodem cum ipso hospitio vtebatur) litteras illi Patris ad Regnum dedit, quibus hoc vnum, vt ipse quoque eodem die audiretur, petebat. Verum quia totum illum diem apud Hallerum consumpserunt, nulla dandi litteras occasio fuit. Postridie igitur qui fuit 14. Decembris, sanctissimæ Crucis Exaltationi dicatus, manè templum ingressus est Pater; vbi ad Proceres congregatos per præcipuum quendam Nobilem literas obsignatas misit, quibus illud idem, vt nimirum à Regno audiretur, exposcebat. Literæ alta voce lectæ fuerunt: & cum petitionis iustitiam,

stitiam honestatemq; agnouissent, annuerunt oēs; & Patri vt accederet, significarūt. Accessit ille, & in summa omnium Ordinū frequentia, quæ illo die, quo Princeps inaugurandus erat, solito maior ad templum confluxerat; orationem, pro Societatis defensione habuit. Orationis capita summa fuerāt ista. Docuit primum, Societatem in Transyluaniam à laudatissimo eius Principe ac Poloniæ Rege, Stephano Bathoreo vocatam, rebusque omnibus ad sua pietatis erga Deum, ac proximos ritè obeunda munia necessariis instructā, regno vniuerso per comitiales articulos comprobante, à successoribus etiam Principibus fuisse conseruatam. Deinde eiusdem Societatis homines ita inibi fuisse versatos, vt omnibus semper ex animo inseruierint, atque in rebus tum diuinis, tum ad litterarum studia pertinentibus, pro virili elaborauerint. Postremò iugulauit putidas, iamque millies profligatas pueriles Prædicantium argutias, quibus cultum ac venerationem Sanctorum Hæretici solent impetere: cum primis autem vitæ nostræ innocentiam eam semper extitisse comprobauit; vt fumi instar disparuerint rabularum furiosæ vociferationes, quibus nos cladium Transyluanicarum auctores extitisse, calumniosè questi fuerant.

Hora fermè & media, summo omnium silentio, atque attentione perorauit Pater: quod sanè admiratione dignum fuit, cum consessus maiori ex parte inimicus esset; & propterea illo die tam multa peragenda essent, vt vix tempus sufficeret. Princeps enim inaugurandus erat, cuius inaugurationem non solum concio Ministri præcedere debebat, sed etiā

hinc indè, ab Regni, Principisque oratoribus perorandum erat. Nec parum temporis solemnitas ipsa iuramenti, quod Princeps præstabat, sibi vẽdicabat. Auditus itaque attentè Pater fuit; siue quia rationum pondus animos, ne vagarentur continebat; siue quia, vt quidam vir grauis dicebat, nunquam talem agendi formam viderant; siue quia, licet Hæretici sint, Patres tamen magis etiam, quam proprios Ministros coram venerantur, nec ab illis vulgaria expectant: siue demum, quia Deus hac ratione volebat, vt Societatis innocentia toti Prouinciæ palàm fieret. Ne Ministri quidem ipsi, tam secunda nuper acclamatione fuerunt auditi, aliquoties enim labente memoria, ex sinu chartam multis diebus elaboratam exrahere cogebantur: nec illam legere poterant, nisi prius perspicilijs nasum muniuissent, ita garriendi & ridendi potius Auditoribus locum & simul dabant occasionem vt interpellarentur, cum aperta proferrent mendacia. Dixit Arrianus aliquando, Catholicos in Litaniis orare solitos, Sancta Maria miserere nobis, cui Trausnerus graui & alta voce, vt ab omnibus audiretur, hoc falsissimum esse respondit. Ad concionem porro Patris quod attinet, idem Trausnerus dixit fore, vt regnum rem totam perpenderet, & quod æquum ac iustum esset statueret. Multum enim Pater oratione sua commouit penè vniuersos. Ioannes certè Petki (Arrianorum fermè caput; & Principi adeò charus, vt eum summo cũ imperio Siculis vniuersis præfecerit) sen in posterum cõtra Societatem nunquã locuturum affirmauit, neque defuerunt ex Hæreticis ipsis, qui vt illis scripta oratio daretur, valde vrgerent. Excõ-

cione

cione ille etiam fructus consecutus est: quòd cum antea Catholici ferè omnes territi, Societatis partes publicè tueri non auderent; iam quasi nouæ vires accessissent, eiusdem patrocinium magno animi ardore suscipere non dubitarint. Cum enim tertio post die, primores illi, qui, vt supradictum est, articulos scripserant; de ijsdem stabiliendis, atque ad iã inauguratũ Principem, vt eos confirmaret, offerẽdis, in templo ad cœtum vniuersum retulissent; tanta de Societate, his articulum contra iam factum infringere, illis eundem tueri conantibus, orta est contentio; vt tota res Principis arbitrio relicta fuerit. Qua in re non parum accreuit animus Catholicis, quod hostes qui triumphum cecinerant, de victoria dubios reddidissent. Verutamen cum Botskaij animum in Societatem iniquissimum esse non ignorarent; magnificam ex præcipua nobilitate legationem ad ipsum destinarunt. De qua legatione, antequam verba faciamus, nonnulla quæ in templo acciderunt, absoluemus. Dum ergo de articulis, tũ ad Societatem, tum ad alia spectantibus disputatur, accedunt Ministri Caluiniani; & à regno, vt sibi in ciuitate Claudiopolitana sua exercitia habere liceat, summis precibus contendunt: fierinè potest, inquiunt illi, vt Christus ab illa ciuitate adeò proscriptus sit, vt in ea nè minimum quidem angulum, vbi quiescat, habere possit? Iudices opponere se Caluinistis: contra populus Claudiopolitanus acclamare vniuersus. Fremere iudices: sed frementibus illud à quibusdam respondsum: meritò hoc vobis accidit: bonos eiecistis; malos habeatis. Meritò autẽ Christi proscriptionem Arrianis Caluinistę obijciunt, de

Christo enim apud illos frequentissimæ sunt illæ blasphemiæ; Christum parum curo: auxilio eius renũcio: Patrem amicum, Filium hostem habere volo. A Caluinistis in comitijs accusatus est Iordensis Minister Arrianus, quòd pro concione illa verba protulisset: etiamsi Christus tantum sanguinis, quãtus est Aranyas (hic est magnus fluuius) pro te effudisset, nihil tibi profuisset: quin etiam, si cum moreretur, sub Cruce ei⁹ fuisses, & gutta aliqua sãguinis vestem tuam aspersisset; non solum eam veneratus non fuisses, sed tanquam sordes, nè vestis macularetur abiecisses. Fuit & illa improba hominis improbi vox, Christi sanguinem Hierosolymitanis canibus potius, quam hominũ generi profuisse. Verum has, Iudæorum potius, quam Christianorum voces relinquamus, & ad Catholicorum legatos redeamus. Itaque Principem accedunt; orant supplices, nè quidpiam circa Societatem immutet; sed illam in regno, iuxta regni ipsius & aliorum Principum decreta, manere permittat: nè si aliter fiat, Nobilitas Transyluana patiatur. Catholicos quidẽ si cum omnibus hæreticis componantur, pauciores esse; si cum singulis Sectis, & numero, & familiarũ splendore antecellere: qui quando Prouinciæ minima pars non sunt, nec aliorum turbant Religionem, ab alijs suam turbari, irue optimo eos conqueri. Sũma verborum & sententiarum grauitate perorauit Dauid Veres, vir prudens & doctus, Bathoreis notissimus, qui & à primis annis in Polonia, cum Baltasare, Stephani Regis nepote, Catholice educatus, diligentissimè semper Religionem conseruauit. Ea oratione se valde commotum esse Princeps dissimulare

mulare non potuit: id enim vultus & tota oris compositio significabat. Dolere se autem vehementer; quòd cum alias, quando Prouincia quam plurimis sapientissimis viris prudentissimisque Senatoribus florebat; in articulum, de cuius renouatione disputabatur, vniuersa consēnisset, modo qui nec numero, nec rerum cognitione cum ijs comparandi erant, inter se tantoperè discreparent. Et cū, inquit, Societas reuocaretur, ego nè illi decreto interessē, è consessu comitiali discessi. Atqui temporū, inquit Dauid, differentia nobis valde perpendenda est. Cū Societas ablegata fuit, Prouincia summa pace fruebatur; hostes nullos, amicos habebat quā plurimos; at in præsenti, durissimo bello ardet; hostes multos, paucissimos habet amicos. Quod si Societatē ejiciamus, verendum est, nè contra nos Christianorum Principum omnium, qui eandem cum Societate Religionem colunt, arma cōuertamus. Quare omnia quidē prospera & felicia tibi & regno optamus, precamurque; verum si hac de causa aliquid graiꝰ (quod Deus auertat) acciderit; id quidem nos præuidisse; at nè præcaueremus, aliorum culpa factum, omnibus testatum esse volumus. Tum Princeps rē sibi cordi fore; vtque illa quantum fieri posset, promoueretur, futurum affirmans, eos dimisit. Sed euentus aliud ostendit. Enimverò quia Societatem nec pellere audebat, nec sua auctoritate confirmare volebat; & tamen regni propositio alterutrum postulabat; homo callidus vt ex huiusmodi scopulis enauigaret, & hoc & alia silentio inuoluta, in aliud tempus censuit differenda. Nam & Regnicolæ, à Principe, quid responsi ad articulos, pridiè ad illum

missos daret, expectabant, quibus denunciari mandaut Princeps; se, vt in Hũgariã sine mora aduolet, vrgeri: omnia quidem ex sententia succedere; attamen personam suam ibi desiderari; quippe qui medius inter vtrumque Imperatorem, vt pacem conciliet, gentique Hungaricæ consulat, fuerit constitutus. Ipsos autem res difficillimas, quarum expeditio multum temporis requirat, proposuisse. Se quidem quod eorum expectationi satisfacere non posset, grauiter moleste que ferre, verum vti totum parti, hc Transiluaniæ Hungariam præferendam esse. Quod igitur non ex voluntate originem traherent, sed ex necessitate, id eos vt æquo animo ferret, per communis patriæ salutem, etiam atq; etiam rogare. Deum daturum, vt breui rebus Hũgaricis, quarum ex euentis Transyluania pendet, bene cõstitutis, ad eos rediret, comitia cogeret, meliori cũ commoditate omnia componeret. Prouincia interim, in quo statu eam repererat, permaneret, nullo in ea quicquam prorsus immutaret. Res quidem noua fuit, non tamen mira visa est ijs, qui consilijs cõsc j erant Botskaiani. Retulit aliquãdo Sigismũdus Rakotius, Botskaum, dum in Prouinciam veniret, adeò totum in hac vna Societatis exturbandæ cogitatione defixum fuisse, vt nihil aliud diu noctuque cogitaret, de nulla alia re loqui posse videretur, quam vt quomodo sacrilegi voti sui compos fieri posset; prorsus ac si propter hoc vnum Transiluaniam sibi occupandam statuisset. Cum igitur, quod inprimis post subactam Prouinciam optarat, non obtinuisset; reliqua eum contempsisse affirmabat Rakotius; atq; confictis causis, ne quidquã

in

in comitijs statueretur; constitu isse. Nostri porro cum in eo dexteram Domini virtutẽ feciſſe agnoſcerent, vt prẽter omnium opinionem, Societas adhuc in Trãſyluania permaneret; pro accepto beneficio ſingulares Deo, vt par erat, gratias egerunt. paucis pòſt diebus diſceſsit Botskai in Hungariam relicto Prouinciæ gubernatore Sigiſmundo Rakotio, magnate Hungaro, & Principe ſuo conſiliario, qui cum Albam Iuliæ ibidem manſurus profectur⁹ eſſet; ne Caluiniſtæ, quos ipſe veneratur, occupato iam ſummo templo, noſtrum vel Collegium, vel templum, vel vtrumque noſtris abſentibus inuaderent; illuc ſtatim ſe contulit P. Viceprouincialis cum quatuor è noſtris; quos etiam ibidem vt concionarentur, & Scholas aperirent, ſicuti fecerat aliàs, reliquit. Ipſe verò in reditu ex Gherendienſi exilio, reliquos Patres ſecum in Monoſtor adduxit; vbi diebus feſtis magna ex ciuitate confluente virorum fœminarũque multitudine, conciones ſunt cõtinuatę. Et quidem in ipſo Chriſti nati peruigilio tam multi, vt ſacro media nocte celebrari ſolito intereſſent, ex ciuitate ad Monoſtor venerunt; vt vix ijs hoſpitio accipiendis ſufficeret pagus. Hora autẽ deſtinata, locum ſatis amplum, vbi & ſacra, & conciones habendæ, compleuerunt. Templi enim nullus vſus; cum eius tectum ſuperioribus annis fulmine percuſſum conflagrarit: fornix autem magna ex parte corruerit; neque poſtea propter bellicos tumultus refici potuerit. Per illos etiam dies, magna confitentium, communicantiumque frequentia fuit.

ANNVS

ANNVS 1606.

POst dies festos ineunte anno 1606. Sacerdos ad nostros pagos iuit, conciones habuit, confessiones audiuit, Angelorumque panem distribuit. Adeò autem simplices illæ animæ ad pietatem excitatæ sunt; vt laboribus relictis, totos dies in templo fuerint; cum tamen tantum frigus esset, vt eo homines obrigescerent, vix vllus fuit, qui animam confessione non expiarit. Et cum in vno pago tres á confessione se subtraxissent, veniam rogarunt; neque non subterfugiendi, sed melius parandi gratia, id fecisse affirmarunt. Sacerdos in vno è tribus pagis in quibus laborabat, amplius centum (quod in Transiluania miraculi instar esse potest) pane cœlesti recreauit. In Paschate magna similiter in Monostor frequentia fuit. Ipso die Resurrectionis, in concione numerati ex ciuitate circiter mille. Adfuerunt etiam nobiles multi; quorum aliqui, nè sacro illo tempore sacris priuarentur, diei vnius biduiue itinere ad nos confluxerunt. In pago ipso, à Dominica Palmarum ad tertium vsque post Resurrectionis diem, fuerunt nobilissimæ aliquot Matronæ, qui etsi in vicina ciuitate domicilium habent, frequentesque ad nos Religionis causa veniunt; vt cõmodius tamen toto illo tempore sibi & Deo operam dare possent, rusticanis hospitijs contentæ fuerunt; vt nimirum humiles, in humili loco, humilem Christum facilius inuenirẽt. Duo etiam insignes viri Franciscus Vas, & Lucas Trausnerus, per illam maiorem hebdomadam, magna apud nos cum diligentia, maiore etiam fructu, primæ hebdomadæ exer-

exercitia peregerunt. Quorum primus quasi ex hac vita sibi migrandum esse præuideret, vt sibi apud nos eo tempore esse liceret, summis precibus, per litteras à P. Viceprouinciali petierat, orationes suas acuit nõ solum debita ciborum abstinentia, sed alia etiam voluntariè assumpta corporis castigatione. Absolutis exercitijs, factaque confessione & communione, totos illos dies festos nobiscum esse volebat; sed aduentante nuncio, qui affinem ipsius Melchiorem Bogatri in oppido Radnoth in extremis laborare asserebat; die Martis post Pascha ad eum summa cum celeritate profectus est; vt illi in ea necessitate adesset, in spiritualibus iuuaret; & si tempus vel opportunitas permisisset, Patres ad eundem accerseret, statim atque illuc peruenit, cum ægroto de salute animæ agere cœpit; cum ab eo, ad aliam domus partem diuertisset, vehementissimo repente morbo correptus mortem sibi adesse cognouit. Ergo vxorem ex arce sua euocat, accurrit illa, & Fratrem iam Melchiorem mortuum, maritum de vita desperatum offendit: qui non prius alia de re cum ipsa se acturum affirmauit, quam iureiurando promisisset, curaturam, vt Catholicè (est enim hæretica) in templo nostro Monostoriensi sepeliretur. Quod illa & promisit, & diligenter præstitit. Patrem etiam Viceprouincialem per quendam Catholicum salutauit, eique nunciauit, se quieto animo esse, quia res suas in Monostor composuisset. Et verè composuerat, cum enim pridiè quàm inde discederet, cum eodem Patre, qui illum exercuerat, de modo se à peccatis præseruandi ageret; inter alia; me moritu-

rum

rum, inquit, scio: horam ignoro: sed operam dabo, vt quacunque hora mors venerit, me paratum inueniat. Ab eo tempore vix octauum attigit diem. Et quia generalia comitia Claudiopoli celebrabantur; Prouinciæ Gubernator magna Nobilium comitante corona, funus ad Monostor deduxit, de post Dominicam Resurrectionem decimo quinto. Nos igitur cum Nobilibus Catholicis & aliis quam plurimis, qui apud nos erant, obuiam ad fines vici processimus, & more Catholico, facibus, quas Nobiles Catholici ferebant, funus instructum, in templum comitati sumus: vbi á Sacerdote nostro de mortuo & morte concio habita est: cui cum Gubernatore tanta omnium ordinum frequentia interfuit, quantam generalis ipse regni conuentus præstare potuit. Quia de comitijs mentionem fecimus, illud addemus; eo tempore facta fuisse, vt regnum ipsum responderet articulis, quos de pace Botskaius sibi à Cæsare oblatos, ex Hungaria miserat; vt Prouincia ea in re sensum voluntatemque suam explicaret. Comitijs præerat Traunerus, qui etiam cum Sarmasagio Legatus à Nobilitate ad Principem delectus erat. Iam comitia dissoluenda erant, quando ad Sarmasaghij Traunerique aures peruenit fore, vt de Religione ageretur. Coram Gubernatore ergo protestati sunt, si contra Religionem Catholicam agendum fuisset, se nulla ratione legationem obituros, etiamsi id vitæ redimẽdum fuisset. Iurauit Gubernator de Religione nè verbum quidũ futurũ; nisi forte de Arrianis blasphemis, de quib⁹ Imperator expressam fecisset mentionẽ. Paulò pòst regnũ de more conuenit. Hic

pars

pars aduersa articulum obtulit, ne vlli animarum pastori bona in Trãsyluania possidere liceret, & pro ratione, antiquũ testamentũ attulit, cui⁹ Sacerdotes, optimi illi Theologi nunq̃ bona possediſſe affirmabant. Nobiles Catholici seſe oppoſuêre, nec vlla ratione se hoc permiſſuros aſſeruêre: nam cum præter Societatem nulli alij bona possiderent (prouentus enim suos alij ex certa quadam decimarũ quota habent) manifestum erat, articulum illum, in odiũ Societatis & Catholicæ Religionis excogitatum. Trauſnerus ſuæ & Collegæ nomine (qui vt aditer ſe pararet, ad arcem ſuam conceſſerat) quod coram Gubernatore proteſtat⁹ fuerat de Religione, in facie quoque Prouinciæ proteſtatus eſt. Quare articulus ille deletus eſt. Cum iam nonnulla pace & quiete fruerentur Patres; vt cũ ſingulari ſpiritus renouatione, animos ſuos arctiori charitatis vinculo Deo copularent, exercitia peregerunt: rerum omnium externarum cura in vno collocata, qui tamẽ etiam, poſt alios eundem fructum percepit. Ac licet Iubilæum, cuius vix nomen audierant, conditiones ignorabant, aſſequi non potuerint; non tamen defuit Indulgentia illa, quæ *S*ocietati ſuperioribus temporibus, pro Miſsionibus conceſſa fuit, & ante duos annos renouata, ſed de Miſsionibus poſtea.

Hiſce ergo abſolutis cum Pater Viceprouincialis, poſtquam Albæ eadem alijs exercitia tradidiſſet, ad Monoſtor ob alia negotia properaret, Enyedini apud quendam pellionem virum bonum, Catholicum, & amicum pernoctauit; & mane, de more, in loco decenti, antequã diſcederet, celebrauit. Sacro interfuêre duo, qui ſoli in toto oppido ſunt Catholici;

lici, hospes & alter quidam Vitriarius. Hoc non latuit Caluinianum Superintendentem, qui ibi, velut in Caluinistarum Metropoli residet; & est ille, qui in comitijs Medgiensibus, vti suo loco dictum est, contra Societatem egit. Die igitur Dominico sequenti pro cõcione, in duos illos Catholicos, (cum tamen pellionis vxor propriæ ipsius vxoris sit soror,) adeò populum concitauit, vt concio tota furere inceperit; & vt Catholicorum domos inuaderet, duce Ministro, ex templo sese proripuerit. At oppidi Iudex vir prudens, & Patris Viceprouincialis certas ob causas obseruans, cum præcipuorum nonnullis plebem anteuertit, neque permisit, vt vllus ex arce (templum enim Patriæ more intra Arcis mœnia continetur) egrederetur. Atque vt commodius seditionem sedaret, per suos nuncios Catholicos accersiuit. Erat illi simul in domo pellionis, singulis diebus festis cõcionis tẽpore conuenire soliti, & pello, qui legere nouit, pios quosdã in Euangelio, siue cõmentarios, siue cõciones (postillas appellãt) audiente altero, percurrebat. Cum ergo vocati ad portam arcis peruenissent, & frementem illam turbam non sine admiratione conspexissent, Iudici sese præsentarunt. Ibi Minister eos arguere cœpit, quod domi Patres recepissent. At Pellio ad Iudicem conuersus, tu, inquit, illos ad me diuertisse nõ ignorasti (quia & fœnum ipse dederat) si ergo hospitium illis dare non licebat, cur me non monuisti? monitus enim aliud forte cogitassem: cui Iudex, de hospitio, inquit, non est quæstio; nam & ego eos, si ad me venirent, libentissime exciperem. Subdidit Minister, ego quoq; libenter domi meæ haberem, mallem-

mallemque vt ad meas quam ad tuas diuerterent ædes. Scilicet, inquit Pellio, adeo illos amas, vt in illorũ fronte perticeas perfringeres nuces (Hungaricè prouerbij venustatem hoc habet) verum, si hospitium illis dare mihi licuit, quare in me tantã procellam excitastis, interrogat? Ad hæc minister, quia idololatriã exercere nõ licuit: q, cũ tu permiseris, à peccato non excusaris; & propterea dignus es, qui puniaris. Tũ pellio, non sunt, inqt, Patres sicut bruta animalia, qui comedãt & bibant, & nihil de Deo cogitent: Diuino illi seruitio sunt mancipati. Quæ ergo humanitas esset mea, si illis hospitiũ darem, eorum autem Religiosa officia perturbarem? vt sacrũ facerent permisi, & in posterum permittam; quis me prohibeat? semel mihi moriendum est: sed nimirum felix sim, si quod naturæ debeo, Deo persoluam. Hæc homo ille, & genere humilis, & aspectu contemptibilis, & quod caput est, inquilinus; tanta cum libertate protulit, vt iam aduersarij non tam irascerentur, quam animi magnitudinem admirarentur. Quamobrem Minister alio deflectens, non tam, inquit, tibi succenseo; quã socio tuo; qui cum ouis mea esset, ab ouili meo, ad Catholicorum gregem transiuit, ad hæc socius; absit, inquit, vt vnquam ouis tua fuerim; vtinã te nunquam vidissem: non enim diaboli laqueis irretitus essem: sed spero fore, vt quibus modis me illaqueasti, illos breui soluat ipse Deus: illum enim rudem & fere inter Turcas educatum, Minister cum fœmina quadam, viro adhuc superstite, matrimonij vinculo, seu potius adulterij scelere innodauerat: ille postmodum à Patribus veritatem edoctus de illa dimittenda cogitabat.

bat. Verum enim vero nõ iſta cauſa ſola fuiſſe exiſ
matur ſeditioſi huius tumult⁹, quod Pater ibi tun
celebraſſet; alia, & ſanè fortior affertur. Etenim pos
Paſcha Gubernator Alba Claudiopolim vna cum
vxore ad comitia; Sacerdos ẽt noſter, qui tunc Alb
concionabatur, in ipſo Gubernatoris comitatu ad
Monoſtor pergens, cum pernoctaſſent Enyedini,
mane quia erat dies Dominicus, Gubernatoris vxor
Patrem rogauit, vt ſacrum & concionem haberet;
quod ipſe in hoſpitio ſuo fecit. Ita dum Gubernator
ad hæreticam concionem vadit, vxor ipſius ad Ca-
tholicã ſe confert. Res fuit notiſsima. Quamobrem
cum bonus ille Miniſter equum, quod eſt in prouer-
bio, percutere non poſſet, ephippium verberare vo-
luit, populumq; quem ſeditiosè cõtra Principes vi-
ros mouere non poterat, contra innocentes illos
duos pauperes malitioſiſsime cõcitauit. Interea cũ
Legati Tranſyluani Caſſouiã peruenisſent, & Trau-
ſnerus, Sarmaſaghius, & Kendius, (qui pro Conſi-
liariorum ordine legatione fungebãtur) apud Prin-
cipem eſſent; cum illis de Societate grauiter cõque-
ſtus eſt Botskai. Cum vos, inquit, verè Catholicos
eſſe non ignorem, ſciatis velim, Patres contra me
aliquid machinari, meq; eorum litteras interceptas
habere. Deinde Trauſnero, moneas, inquit, illos, vt
à ſcriptitando abſtineant; neuè mihi occaſionem ab
amicitia diſcedendi præbeant. Illos ego quietos cõ-
ſeruo; illi quieſcere nõ poſſunt. Cui Trauſner⁹, actu-
tum faciã. Verũ nõ poſſum nõ vehementer mirari.
Perſpectiſsimum. n. habeo, Patrũ conſilia, ab huiuſ-
modi rebus eſſe alieniſsima: quid ſi litteræ illæ, nõ ab
ipſis ſcriptæ, ſed ab alijs malitiosè fuerint confictæ?
eſt; ait

est, ait Botskai, vt dixi; sed ad alia transeamus. Ea igitur de re moniti Patres; cum antea semper ab iis scribendis, quæ ad publica negotia spectarent, abstinuissent; & in cæteris quoque parcissimi fuissent (siquidem magnam suarum litterarum inquisitionem fieri nõ ignorabãt) deinceps ne vel minimam suspicionis vmbram darent; ab omnibus omninò, necessarijs etiam atque priuatis, abstinere cœperũt. Inde factum est etiam; vt fasciculus, in quo Reuerẽdi Patris Generalis, & Patris Prouincialis aliorumq; litteræ colligatæ erant, atq; per Patrã Prouincialem Poloniæ mittebatur, in Hungaria veniret ad manũ cuiusdam Nobilis amici nostri: qui quia tũc litteras transmittere nobis non tutum; retinere autem sibi periculosum iudicabat, eas omnes exusit; seq; hoc feciſſe, postea per amicum Patri Viceprouinciali denũciauit. Quod sanè illi grauissimum fuit, nec enim à multo tempore iam litteras vllas á suis acceperat superioribus. Iam quod spectat ad comitia Cassouiẽsia, illud vnum ad rem nostram facit: quod cum Hungari Societatem in Hungariæ Regno extinguere vellent; hocque inter conditiones, Cæsari pro ineunda pace offerendas referrent; instarentq; vt Transyluaniæ nomine, Legati Trausyluani in hoc negotio secum consentirent; illi non solum nõ assenserunt, sed sibi nihil cum illis quoad Religionem, commune esse testati sunt: atque ea de re Transyluanorum consilia ab Hungarorum consilijs longè diuersa esse confirmarunt. Redeamus in Transyluaniam.

Iuuenis quidam, annos viginti circiter natus, patria Siculus, & Religione Caluinianus, è Claudiopo-

litana Arrianorum Schola, paucis diebus veritate edoctus rogauit Patres, vt sibi animum à mundi t multibus colligere liceret, adijt igitur pia exercit ab exercitijs confessionem fecit generalem. Illu imitatus Arriani Superintendentis filius, semel a que iterum ad nos venit: quam etiam ob rem, i Scholis ipsis, tanquam in carcere erat inclusus, Patre liberatus, sæpius ad nos ventitabat. Iam ad Bap tismum se præparabat, quod cum Parens animad uertisset eum ad partes prorsus Hæreticas ablegauit, propterea, quod ciuitatis Iudex eum capere, & propter Religionis suspicionem, acerbius aliqui in illum decernere cogitaret. Sed Iuuenis prudens ac piorum librorum (quos in Collegij excidio a puerat) studiosus, maximè verò in B. Virginem pro pensus; tertio post Mense rediens, à nostris ma baptizatus, Religionem Catholicam perpetuò se conseruaturum promisit. Adiutus etiam est Sacer dos ex Sicilia, qui non absque grauis animæ suæ & aliorum periculo, multos iam annos Pastoris offi cium se tractasse agnoscebat. Pagos nostros Pater ipse Viceprouincialis (quod alius deesset) diebus fe stis adijt cum vno Fratre, ibique Fratre concionante sacris operatus est. Templum Monostoriense ante aliquot annos fulmine, vt diximus, tactum, hoc anno instaurare cœpimus, mirantibus multis, quòd cum incertum esset, an in Prouincia mansuri essemus, huiusmodi tamen sumptus faceremus, in eo præter cætera statuimꝰ præclaras icones BB. PP. NN. Ignatij & Xauerij. Opus vniuersum illo die absolutum est, quo anniuersaria B. Ignatij obitus memoria recolitur. Quia verò Monostor Resi-

dent

dentiæ potius aut Miſsionis, quam Collegij formã habet, inde Miſsionũ veluti initium fecimus, quas deinceps hac ratione proſecuti ſumus. Duo è noſtris ad Sarmaſaghiũ in Gherend miſsi; vbi & quos ante conuerteramus confirmarũt; & alios de nouo ex eodem & vicino ẽt pago Catholicis adiunxerũt. Ad pagos etiam noſtros, quia ad alia loca non patebat aditus, conuertimus induſtriam. Miſsionis erat iſte modus, vno in loco tres quatuorue dies manebamus. Manè ruſtici antequam ad labores exirent, dato campanæ ſigno, ad templum conueniebant: vbi ſacrum & concionem audiebant, veſperi cum redirent, iterum concio habebatur. Interdiu verò Sacerdotes confeſsionibus audiendis operam dãbant; & Frater vnus, rudiores modo priuatim, modò in circulo erudiebat; dies aliquis feſtus dicebatur pro generali confeſsione. Acceſsit oportuna Sacerdotis Siculi opera, qui ſe quoque huiuſcemodi exercitijs, ad animarum ſalutem procurandam animari ſentiebat. Iuuenis quidam in ijs Hungariæ partibus quæ ſub Turcarum ditione ſunt, honeſto loco natus; vxorem duxerat; quo facto, adeò iram cuiuſdam fœminæ, cuius filiam recuſauerat, excitauit; vt miſerum iuuenem diabolicis artibus in eum ſtatum deduxerit, vt ob continuas dæmonis infeſtationes, eum iam viuere tæderet. Quare inſano errore deluſus Cacodæmonem inuocat, eique corpus & animam dedicat. Ergo furijs agitatus, vxorem in campum blandè euocat; eamque honeſto loco natam, naribus amputatis, turpiſsimè fœdat. Illa domum rediens cœlum clamoribus implet. Parentes accurrunt; re intel-

lecta, armati iuuenem petunt. Ille fuga sibi consulit; & huc illucque oberrans, tandem malo dæmonis consilio, laqueo collum inserit, seque ex arbore suspendit; sed restis rumpitur. Atqui ipse à dæmonibus cæsus, semimortuus relinquitur. Itaque coniugis cognati, qui illum ad mortem persequebantur, hominem inueniunt illaqueatum, terræ allisum, anhelantem, prorsus cum morte colluctantem.. Quare suspicati quod erat, iram in misericordiam mutare, iuuenemque solari: qui tandem quasi reuiuiscens rem totam aperuit. Domum itaque delatus est; & ne manus sibi inferret, vitæ custodes adhibiti. Sed ille sæpius à dæmone illusus, custodes illusit, duodecies enim funestrabibus alligato se suspendit: semper tamen vel funis fractus, vel à domesticis incidentibus liberatus fuit. Semel etiam clibanum propanibus coquendis accensum, manibus pedibusque repens ingressus est; ab igne tamen præter superciliorum ambustionem illæsus, non sine magna Dei misericordia abreptus est. Consulti sunt pro huius salute Prædicantes hæretici; verùm cum nulla sit salus apud ipsos; nullam dare misero potuerunt. Quare tandem inspirante Deo, ex longinquis illis partibus, ad Monostor venit, ipso die B.P. Ignatio sacro: cum Sacerdote nostro egit: à quo multorum dierum spatio, in veritate Catholica eruditus, generali confessione totius vitæ maculas detersit: ac Deo bene iuuante, sanitatem mentis consecutus, è dæmonis est faucibus liberatus.

Autumno iam inito Albense Collegium inuisenti Patri Viceprouinciali, litteras à Botskaio red-

reddidit Gabriel Hallerus eiusdem Botskaij affinis, ac reddituum omnium in Transyluania Administrator, Thesaurarium vulgo appellant. Litteræ erant irarum minarumque refertissimæ, quibus imperabat; vt intra quintum decimum diem, ex omnibus totius Prouinciæ locis, nominatim vero ex Alba Iulia, in Clavstrum de Colos Monostora B. Mariæ Virginis, nostri sese conferrent, à decimo quinto die, Pater Viceprouincialis cum Concionatore Hungaro, Cassouiam ad Principem proficiscerentur; vbi coram ex ipsomet Principe, de nostrorũ statu futuro cognoscerent.

REVERENDIS AC HONORABILIBVS IOANNI ARGENTO, SOCIETATIS IESV IN Transyluania Rectori, ac Georgio Kaldi, cæteris que Sacerdotibus Catholicis, passim in Transyluania constitutis, &c. nobis dilectis,

STEPHANVS DEI GRATIA HVNGARIÆ TRASYLVANIÆque Princeps ac Siculorum Comes, &c.

REuerendi & Honorabiles nobis dilecti, salutem, & fauorem nostrum. Significandum vobis per præsentes duximus, certas quasdam, & occultas machinationes, quibus publicam patriæ quietem haud mediocriter turbare niteremini, manibus vestris esse deprehensas, propter quas verendum est, ne ob vehementem Regnicolarum, quos vestra inquietudine ab initio multoties infensissimos vobis reddidistis, indignationem, etiam nobis inscijs, & inuitis certa clades vos maneat. Volentes benignè vitæ, ac permansioni vestræ consulere, ne forte perniciei, si contingeret, causa minus iusta à Christianis Principibus nobis inureretur. Deuotiones vestras serio præmonendas esse voluimus, vt spatio quindecim dierum ab exhibitione præsentium computando, vniuersos, & singulos vestræ sectæ, Ordinisq; vestri Iesuitici Socios, publicè, vel priuatim eam professionem

nem tenentes, siue sub priuatis, siue sub publicis Patronis constituti fuerint, vndecunque intra ambitum Regni nostri Transyluaniæ existentes, signanter autem Alba Iulia, oppido Vduarhely, & castello Gherend, aliisque locis omnibus, ad illud, quo nunc degitis claustrum de colos Monostora Beatæ Mariæ Virginis, publico edicto conuocetis, & vt intra limites eiusdem se pacificè contineant, nomine nostro omnibus iniungatis. Scientes, si qui eò se ex mandato nostro contulerint, securè reresolutionem nostram, & dominorum Regnicolarum de conditione vestra expectaturos. Alijs vero id præstare negligentibus, si quid sinistri, post præfixum terminum euenerit, immunes nos & innoxios ob eorum molestatione, & damnificatione, ac sanguine futuros. Post præscriptum autem diem quindecimum, & congregationem Sociorum vestrorum procuratam, vos ambo Reuerendi Ioannes Argenta, & Georgius Kaldi ad nos huc Cassouiam conferatis. Quod vt securius faciatis, literas nostras salui conductus cum præsentibus simul accipietis, & de tutâ comitiuâ per Dominum Gubernatorem sedulo vobis vbique prouidebitur. Coram vbi aduenerit, certius de vestrâ conditione statuentes, & consulentes. Secus sub præmissâ tutelâ nullo modo facturi. Datũ ex libera ciuitate nostræ Cassouiensi 20. mensis Septemb. Anno 1606.

STEPHANVS PROP. SIMON PECHI PRO.

Paterijs lectis, dum de quibusdam cum eodem Hallero conferret; nihil Hallerus ipse de machinationibus, quarum in litteris fit mentio, se intellexisse iureiurando vltro affirmauit; cum tamen, vt

ſuo loco dicetur, ipſemet earũ auctor meritiſsimo iure exiſtimetur. Pater tum pp itineris ſecuritatem, tum ne timere videretur (qua in re amicorum eitá cõſilium ſecutus eſt) præfixum tempus præuenire potius, quam præterire volens, Albenſia componere cœpit. Ea in re adiutorem optimum ipſum Hallerum habuit; ex cuius mandato, Prouiſor Albenſis bona omnia ſequenti die ita occupauit, vt neque res, quas in pagis habebamus, efferre, nec pecunias, quas ſubditis mutuas dederamus, exigere poſſemus. Illis enim vt nobis honorem quidem, nulla tamen in re obedientiam præſtarent, mandatum erat. Venit hoc ad aures Gubernatoris; qui vt nobis noſtra ex pagis efferre permitteret, Prouiſori mandauit. Dedit iſte ea de re literas ad hominem, quem in Pagis collocauerat. Verum quia nos poſtridie diſceſſuros intellexerat, alijs litteris priorem commiſsionem reuocauit: nec vel currum ruſticanum, quem nobis vſque ad Monoſtor conceſſerat Gubernator, dari permiſit; vt nimirum hac ratione Patribus gratiam referret, à quibus ſemel à ſuſpendio liberatus fuerat. Cum Hallerus hoc tempore ageret cum Gubernatore, diceretque illi Gubernator, melius facturum Principem, ſi in illa ſua infirmitate (erat enim rumor, eum ex morbo quo laborabat, nequaquam conualeſcere poſſe) de anima ſua cogitaſſet, & Ieſuitas in pace reliquiſſet: reſpondit Hallerus: immo quia in eo ſtatu eſt, antequam decedat, Tranſyluaniam à tribulis expurgare ſtatuit. Gubernator autem, etſi religione diſſentit à nobis; tamen quia eſt æquitatis amans, hoc factum reprehendit, pro quo, eundem

dem cum vxore lachrymatum esse, ipsamet vxor Patri Viceprouinciali affirmauit. Discessit igitur Pater cum reliquis relicto Collegij, templique custode antiquo Patrum famulo, viro fideli & pio Hic quotidie templum aperiebat, Catholici diligentius quam nunquam veniebant, deuotas ad Deum preces fundebant: diebus festis tam diu genu flexi in silentio orabant, vt solitum tam concionis quàm sacrorum tempus explerent. Sed Patres prosequamur, qui eo die ad Sarmasaghium in Gherend; inde postridie ad Monostor peruenerant, vbi rebus, vt tempus ferebat, constitutis, die decimoquarto Octobris, Pater Viceprouincialis in Hungariam cum socio Patre discessit. Pro duce itineris dederat illis Gubernator Franciscum Eaz, virum Nobilem, Catholicum, & ipsius Gubernatoris familiarem. Is cum propter negotia quædam, eo die discedere non posset, sed se postridie eos assecuturum promitteret: præcesserunt Patres, quos trium dierum itinere comitatus est Sarmasaghius, qui ea occasione, possessiones quas in Hungaria habet, perlustrauit. Quia vero diuerso rectioreq; itinere sequebatur ductor, eos antecessit, & arduum montem, qui Meszes appellatur, quique Transyluaniam ab Hungaria diuidit, superauit. Patres autem serius iter aggressi, montem eo die transire minime potuerunt: quare in quodam Valachorum pago pernoctandum fuit. Intellectum est postea, latrones quosdam triduo in syuis Patres, vt eos spoliarent, expectasse: Quos quidem feliciter euaserunt, vel quia magno facto ambitu, insolitum iter fecerant: vel certe, quia mul-

tos

tos equites, & ipsum Sarmasaghium videntes, è latebris exire ausi non sunt. Reliquum iter, etsi per loca periculosa, tutum tamen fuit. In pago Cassouiæ proximo manentes, ductorem præmiserunt, qui Principem de eorum aduentu moneret. Ex eo multa percontatus est Princeps: postea vero quam Patribus eodem die in eodem pago manendum esse dixisset, Iudicem ciuitatis vocauit; cui, vt Patribus de commodo honestoq; hospitio prouideret, mandauit. Negante Iudice Patres Societatis in ciuitatem admitti debere; Aliud, inquit Princeps, fieri non potest, eos ego vocaui: triduo hic mansuri sunt. Tu igitur de hospitio prouideas. Quod cum feceris, renuncia mihi, vt videam, an̄ commodum delegeris & honestum. Interea se Patres parabant etiam ad extrema, pro innocentia & religione ferenda. Fuerant enim à primarijs quibusdam viris moniti, cum illis seuerissime actum iri. Quā opinionem confirmauit ipse quoque ductor: cui dixerat Princeps, supra hominum cogitationes esse ea, quæ machinati fuerant Patres. Verum omnium opinionem fefellit euentus. Nam cum die insequenti (fuit 22. Octobris) ciuitatem ingressi essent Patres, eoque die quieuissent, postero de mane ad eos misit suum aulæ Præfectum Petrum Szokoli, qui suo nomine eos honorifice salutaret, & ad colloquium inuitaret. Iuerunt Patres & eum in lecto decumbentem inuenerunt. Is tanta vultus & gestuum hilaritate, verborumque humanitate eos excepit; vt non homines sibi inuisos, sed charissimos amicos excipere videretur. Illi exposuit Pater, se in Transyluania eius litteras accepisse; & quicquid in

eis

eis mandatum erat, executum fuisse: iamque ad ipsummet vt eius voluntatem intelligeret, accessisse. Botskai ad socium Patris conuersus. Intellexi, ait, quod dixit Pater: at quia latinè respondere nequeo; tu charissime frater dicas illi; quod ipse fecit, mihi gratum accidisse. Cæterum meminerit ipse, quantas difficultates anno superiore perpessus fuerit, cum essem in Transyluania: quas omnes hactenus ita sopiui, vt toto hoc tempore nihil molestiæ sitis passi. Iam verò scitote, me grauissimas ob causas vos huc aduocasse; quas tamen ego vobis non aperiam, sed eas, vt ex consiliariis meis intelligatis, volo. Per Georgium igitur Szeczium qui præsens erat, & consilio tunc præsidebat, ad locum consilij Patres duci iussit, vbi consiliariorum cœtus ille. Michael Kellemeti hæc Principis nomine præfatus: Patres nimirum latere non posse, Principem iam in Christianorũ Principum numerum fuisse cooptatum, neque itidem eos ignorare posse, hisce temporibus Regnum Hungariæ, multas calamitates expertum esse; earumque originem fuisse articulum quendam de Religione, superioribus annis in Comitijs Potonienſibus concluſum, cuius articuli auctores existimabantur fuisse Patres. Addebat Societatem ex vicinis Prouincijs expelli (Poloniam intelligebat, ex qua Societatem ejci spargebant eiusdem Societatis hostes) demum Patrem Viceprouincialem meminisse, ab ipsismet Transyluanis anno superiore tentatum fuisse, vt Societas è Transyluania migraret: Principem tamen hactenus Patres defendisse. Iam verò Regnicolæ sæpius de Societate opprimenda cogitassent, ijs autem Princeps

semper

semper restitisset, ac propterea non leuem eorum inuidiam incurrisset; nolens in posterum aut maiorem suorum subditorum indignationem, si ijs diutius obsisteret, incurrere; aut iniustam aliquam sibi à Christianis Principibus, si seipso etiam inuito Societati aliquid acciderit, notam inuri; hanc vltimam & irreuocabilem suam, Regnique sententiam esse; vt è Transyluania Societas cederet vniuersa, quod hic Hungaricè, Latinè exposuit socius, quem Pater Viceprouincialis antequam responderet, semel, bis ac tertio, num eam vltimam esse Principis voluntatem asseruisset Senator, interrogauit. Quod vt cognouit, ad singula hoc pacto respondit Pater. Se non latere, Principem iam esse Principem; neque ignorare Regnum Hungariæ grauissimis calamitatibus afflictum esse; atqui vtrum articulus ille miseriarũ causam præbuerit, id sanè ignorare. Patres autem illius articuli auctores fuisse, hoc verò multò magis negare se scire, illud certè constare, Patres in comitijs illis, nullas siue Consiliariorum, siue Senatorum partes obire potuisse. Sed quicquid sit, inquit, de rebus Hungaricis; scio quid in Transyluania fecerim ego: ad illud quod maius põdus habet venio. Fateor me anno superiore difficultates non leues habuisse, nec sine grata memoria recolo, Principis clementia adhuc à multis periculis conseruatum: atque vt eadem clementia, me socioſque meos cõseruare velit, etiam atque etiam peto. Permittat modò Princeps vt maneamus; reliquorum siue odia siue molestias parum curamus. In Transyluaniam enim venimus, non vt pericula fugiamus, sed vt tanquam in propria patria, pro Dei honore, anima-

animarumque salute extrema quæque subeamus. Et verò si nihil contra bonum Regni egimus; si nulli fecimus iniuriam, quo iure à Regno pellimur? Nos in Prouincia fuimus, vt Principi & Regno seruiremus. Quod pro virili fecimus, & in posterum facturos pollicemur. Quod si obsequia nostra refutantur; & omnino à Principe vt discedamus, decernitur; nos quidem precibus agere contra, armis porrò resistere non valemus. Garriebat hic nescio quis ex Consiliarijs Hungaricè, nos in summo vitæ discrimine versari; propterea que Principem, vt nostri rationem haberet, in eam sententiam, vt migraremus, venisse. Huic noster eadem lingua respondit, nos in manibus nostris animam nostram semper portare, neque de nobis nos esse solicitos; vbique enim terrarum, Deum quem coleremus reperturos: at vehementer dolere vicem animarum, quæ fidei nostræ commissæ, à nobis desertæ, dæmonis præda remanerent. Multa alia dicta sunt, sed frustra, apud quos videlicet nullus esset rationi locus. Vno enim verbo se ab omnibus expediebant, ita Principem statuisse, aliud fieri non posse. Bonus scilicet Princeps timebat, nè si alij nobis iniuriam intulissent, iniusti Principis notam apud Principes Christianos incurreret: sed illud non curabat, si ipse grauissimo nos malo afficeret, & Christiani Principis leges omnes violando, per summam iniuriam exturbaret. Verum vti Hæresi, nè veritatis lucē aspiceret, excæcatus erat: sic auaritia (Ecclesiasticis enim inhiabat bonis) nè iustissmas

ratio-

rationes perciperet, quasi alter Pharao, cor indura-
tum haberet. Consiliarij porro ita sese ad ipsius nu-
tum fingebant, vt ne bene agerent plane intellige-
re nollent; in eoque toti erant, vt ex Hungaria &
Transyluania Societatem expellerent. Quoniam
igitur eâ esse mentẽ Principis asserebãt; vt Societas
quam primum, tuto tamen è Regno cederet, inter-
rogarunt consiliarij Patres, quantum temporis sat
foret ad parandum iter, postquam ad suos in Tran-
syluaniam peruenissent? vnáne, an duabus hebdo-
madis contenti essent? Præterea quonam itinere
proficisci vellent, in eo Principẽ illis lubentissime in-
dulturum. Ad hæc Pater, si hoc, inquit, iter mihi
sponte mea suscipiendum esset, de tempore & de
via cogitarem: verum quia alieno arbitratu susci-
piendum est, alieno etiam arbitratu statuatur opor-
tet tempus & via. Adiecerunt illi Principis senten-
tia iter illud tutissimum esse, atq; expeditissimum,
quod Claudiopoli in Poloniam tendit Nagybanya,
Szakmaro, & Homõna, ac proinde vt illud faceret,
cõsulere. Tum Pater ad ea, quæ ipsimet Consiliarij
de nostrorum ex Polonia eiectione dixerant, allu-
dens; Et quomodo, inquit, tuto Poloniam ingre-
diemur? At illi, tutissime aiunt, iam enim pacatissi-
ma sunt omnia. Qua in re, quia mendacia curtos, vt
aiunt, habent pedes; in repugnantibus proprio-
rum dictorum laqueis sese inuoluerunt boni Con-
siliarij. Quàm porro cautè, ne dicam nequiter
Botskai de nostris tulerit sententiam, docuit
Franciscus Alaghi Nobilis Catholicus Botskai Cõ-
siliarius, qui narrauit Socio Patris Viceprouincialis,
Principẽ eo die, quo Societatis eiectionẽ conclusit,

eum

eum vocasse hæcque dixisse; Quia es meus Consiliarius, mihique sicut ego tibi iureiurando astrictus es, nihil te celare neque possum neque debeo. Scias igitur hodie contra Papistas agendum esse, scio te turbatum iri, tuumque suffragium contrarium futurum, quia tamen nihil efficere poteris, vt hodie à Senatu abstineas, consultius erit. Digredientibus nostris à Senatu propositum est; vt quas difficultates haberent, eas scripto comprehensas Principi exhiberent. Patres igitur præter ea quæ ad bonorum dispositionem spectabant, duo petierunt, alterum, vt si qui amici ex Transyluanis Patres comitari vellent, id illis concederet Princeps. Alterum cum P. Viceprouincialis sibi conscius esset, neq; se, neque quenquam eorum, qui sub sua curain Transyluania vixissent, vlla in re contra Regnum peccasse, quin immo pro viribus, & pro ratione sui status, illi sedulo inseruisse, idcirco Principem propter Deum, & propter illam æquitatem, quã tanquam iustus, Christianusque Princeps colere debet, orabat, vt testimonium daret, se non dimittere Patres propter crimen vllum; quandoquidem nullum illis obijciebatur, sed ob illas easdem causas. Postero die Consiliarij, vocatis ad se Patribus, nomine Principis, ad oblatas petitiones, illa vna excepta, in qua innocentiæ testimonium petebatur, ita responderunt, vt eius auaritiam non obscure significarent. Nam non solum possessiones, sed etiam quicquid ibi natum esset, vini, tritici, & similium, sicuti & templi clenodia, ad Principem spectare debere asseruerunt. Addiderunt præterea, Principem de Patrum in Transyluaniam profectione mutasse con-

silium, propterea quod cum eos redituros spársum esset rumor, periculum foret certissimum, ne in itinere á latronibus interficerentur. Ad hæc Patres, quoad clenodia templi, nihil esse, quod ad Societatem ipsam non spectaret; quæ cum in Transyluaniam veniisset, templum rebus omnibus nudum recepisset. Quoad fruges; quicquid esset, id totum ferè propria industria & sumptibus esse perceptum; quandoquidem hoc tempore, à nobis subditi potius, quam à subditis nostri adiuti essent. Verum quicquid esset de huiusmodi rebus, Patres more Apostolico, fore paratos: amissa enim Transyluania; de reliquis bonis, immò de vita ipsa parum esse solicitos. Quoad reditum verò nostrum, quomodo, aiunt, Patres illi, qui in Transyluania sunt, tutò egredientur, si nos redeuntes pericula manent? prouidebit, inquiunt Consiliarij, Princeps; qui etiam probat, vt præter comites, quos ipse dabit, amici quoque eos comitentur. Quia de templi clenodijs mentio facta est, illud addemus; ante Botskaianas turbas, à Transyluanis Patribus, ad Cassouienses, securitatis gratia missam fuisse magnam cistam, sacris, ijsque aureis & argenteis vasis, ac cæteris ornamentis gemmis & auro ditissimis plenam, quam Patres in Cassouiensi defectione discedentes, amico cuidam commendárant. Eam Botskai nescio cuius opera proditam, fécerat sibi propriam. Sed vt ad Patrem Viceprouincialem reuertamur, cum aduerteret quare Princeps reditum illi in Transyluaniam prohiberet; præuideret autẽ vix fore, vt socij, ipso absente, pericula itinerum euaderent; vt illis, quantum in se erat,

erat, prospiceret, primùm famulum dimisit, qui summa cum diligentia in Transyluaniam iret, Patresque, vt rebus omnibus compositis, sese ad iter pararent, moneret: simul ad præcipuos quosdam Nobiles litteras dedit, quibus eos rogabat, vt Patribus in ea necessitate adessent, eosque si opus fuisset, comitarentur. Tum Principis Secretarium, Simonem Pechium adiuit, eumque rogauit, vt sibi auxilio esset, pro reditu in Transyluaniam. Princeps, inquit, vitæ meæ prospicere vult, sed sciet velim, me cum meis mori malle, quam sine ijs uiuere. Tria me mouent ad hoc procurandum, mei Fratres; quorum periculum in promptu est, tunc Princeps; qui omnes æquitatis leges, non sine sua insigni infamia violat: Catholici denique Transyluani; qui meritò ægrè ferent, cum & me detineri audient, & reliquos indebito modo dimitti videbunt; præsertim si nè minimum quidem nobis crimen obiectum, sed innocentes esse cognoscant. Quia verò ex Consiliariorum verbis, bonis inhiari nostris aduerti, illud scias velim, me non de rebus, sed de personis tantum solicitum esse. Adiungatur mihi, si placet, vir aliquis honestus, qui mecum de rebus, Principis arbitrio disponat. Tu igitur vel cum Principe transigas; vel vt cum eo ego possim agere, efficias: hocque tibi persuadeas, te neque in malos, neque in ingratos homines beneficium collaturum. Petitionis æquitatem agnouit Secretarius; operam suam promisit, negotium tractandum suscepit. Quare Pater illi puncta, quæ in charta scripta habebat, memoriæ

causa tradidit. Inter loquendum autem, cum diceret Secretarius, hanc Societatis eiectionem, ob VVaradinenses acceleratam esse; quæsiuit Pater, quidnam illud esset? Ipse admirans, nullam, inquit, hac de re vobis mẽtionem fecerunt Consiliarij? nullam, ait Pater. At ille, Coronæ in Transyuania, inquit, captus fuit quidam Germanus, qui VVaradino in Valachiam, ad Vaiuodam mittebatur. Hic vt retulit Gabriel Hallerus, quibus adhuc captiuum tenet, fassus est, Patre quoq; qui VVaradini sunt, eius profectionis fuisse conscios. Quod vbi Consiliarij intellexerunt, ira commoti, decretam antea Societatis eiectionem, non diutius differendam esse statuerunt. Tum Pater, non mirum consiliarios hanc rationem subticuisse; nimis enim leuis erat, & Regio Senatu indigna. Sed enim quare toties, inquit, sparsit Princeps, se meas interceptas habere literas, machinationes nosse meas? ad hæc ille. Nullas sane tuas vnquam vidimus literas, præter quasdam, quas ad tuos Patres scribebas: in quibus nihil aliud, quam te valere, eosque vt pro te orarent, rogare significabas, eædem literæ, cum iam apertę essent, à me fuerunt laceratę. Hinc vero planum fit Hallerum turpissimè peieraſſe, quando in Transyluania Patri, se nihil de machinationibus, de quibus mentionem faciebant literæ, audiuisse iure iurando asserebat. Non enim solum audierat, sed machinationum auctor ipsemet extiterat. Qua in re suo Principi mirum in modum se adaptat Hallerus. Botskai enim, cum Societatem ab initio perdere statuisset, statim de nobis conqueri cœpit, vt dum nos sibi insidiari assereret,

insidias

insidias ipse nobis strueret. Quod idem cum Syluasio, aliisque factum esse constat. Et Transyluani, qui obtuendam (vt ipsi profitentur) libertatem Botskaio adhæserũt, libertatem adeo amiserunt, vt iam se non veluti Nobiles sub Principe liberos, sed tanquam vilia sub tyranno mãcipia esse malo suo agnoscerent. Verum his missis, ad nostra redeamus. Secretarius igitur Principem adijt, qui rationibus victus, vt Patres in Transyluaniam redirent, assentit, ijsque itineris comitem ac ducem addidit, familiarem suum Thomam Dobai, virum Nobilem & modestum, atque ad huiusmodi negotia perficienda aptissimum. Huic sub honoris capitisque amissione mandauit Princeps, ne quicquam incommodi à quoquam Patribus inferri permitteret. Et quia Dobai non solum eos in Transyluaniam euntes, sed etiam ex Transyluania exeuntes, cum alijs comitari debebat; illi seuerè iniunxit, vt postquam in Monostor veniisset, non supra quartum, ad summum quintum diem, Patres ibi esse permitteret, ac præterea vt ex Transyluania egrediens, Principem ipsum moneret, vt ipse ex aliquo commodo loco supra dictos duos Patres ad se vocare posset. Quod idem Patribus significauerat Secretarius, cum ipsi instarent, vt Principi saltem valedicere possent. Hoc autem, vt docuit euentus, Botskai faciebat, vt & Patrum congressum vitaret, eosdemque, vt in Transyluania modestè agerent, admoneret. In reditu, etsi per medios Haidones transiuerunt: nihil tamen incommodi acceperunt, quod diuinæ prouidentiæ magis, quam humanæ industriæ tribuendum est. Die quinta Nouembris sub noctem Clau-

diopolim peruenerunt; ductor enim Principis mãdato, illos prius ad ciuitatẽ, quam ad Monostor deduxit; vt videlicet indè, duos alios Commissarios Emericum Gelennij & Petrum Filstek sibi adiungens, cum ijsdem Societatis bona occuparet, quorum authenticum inuentarium ad ipsum Principem transmitteret. Aduentus Patrum, vti insperatus (famulus enim iam Cassouia præmissus, ante quatriduum peruenerat, eosque nequaquam redituros nunciauerat) ita amicis omnibus, maximè nostris, qui reuixisse visi sunt, charissimus fuit. Eam noctem transegerunt apud Bornamizzam: postridiè verò vna cum Commissarijs ad Monostor se cõtulerunt: vbi nostris omnibus in vnum locum congregatis; exposuit Dobai, Principem, vt pericula quę nobis imminebant certissima, præueniret, statuisse, vt è Regno migraremus; quod idem etiam nostrorum nonnullos optasse affirmauit. Respondit Viceprouincialis, se vehementer mirari, quod huiusmodi emigratio optata diceretur à nostris; quando ipsemet Cassouiæ pro retinendis omnibus supplicarat. Qui omnes quia præsentes erant, & de sua voluntate certissimum testimonium ferebant; voluit Pater omnes qui aderant, testes esse, non Societatem solum, sed singulos Societatis homines, contemptis periculis quibuscunque, paratos esse manere, atque adeò inuitos omninò discedere. Significauit præterea Dobai, Principis voluntatem esse; vt Patres de domestica supellectili pro voto disponerent: possessiones autem, fruges & animalia, ad ipsiusmet Principis rationem detinerentur; intereaque dum iter pararetur, ab ipsismet Com-

Commissariis necessaria Patribus subministrarẽtur. Lustrarunt deinde domum, omniaq; in inuentarium redegerunt. Accitis præterea pagorum Iudicibus, diligentissimè omnia inquirentes, eos Principi iureiurando obstrinxerunt. Dum hæc illi transigunt, Pater Viceprouincialis ingressus ciuitatem; de rebus nostris, quæ apud amicos erant, habita ratione pauperum, vt tempus ferebat, disposuit. Sacerdotibus etiam Siculis, qui numero sunt quadraginta circiter, tantum librorum rerumque ad templum spectantium reliquit, vt eorum vnusquisque aliquid acceperit. Tres porrò rhedas rebus melioribus onerauit, prætereaque duos currus, qui duo vasa selectioribus libris, alijsque rebus plena deferrent, idque eo consilio fecit, vt omnia secum auferre existimaretur, nèue res Societatis curiosius ab alijs quærerentur, timebat enim libris, cum & Prædicantes, & plerique alij illis inhiarent. Nam & ipse Secretarius multos petijt, cui etiam ex parte satisfactum fuit. Reliqui qui iustam bibliothecam instruunt, in bono loco collocati: pij tamen libelli omnes inter pios viros distributi. Magnus fuit illis diebus Catholicorum ad templum concursus, quam plurimis, iam quasi diuinorum mysteriorum penuriam sentientes, conscientijs ritè lustratis, cœlesti pane sese aduersus futuram famem munierunt: multi etiam Nobiles accurrerunt, vt Patribus adessent; eosq; si opus fuisset, comitarentur. Inter omnes Stephani Kendij & Sigismudi Sarmasaghij charitas eluxit. Tandem die B. Martino sacro, qui fuit vndecimus Nouembris Anni 1606. cum reliqui Sacerdotes Sacris operati

rati, multis diuina distribuissent, postremus celebrauit P. Viceprouincialis, eundemque sacrum panem Fratribus nostris diuisit, tum ad populum cõcionem expectantem (erat enim templum refertissimum, & Botskaiani aderant Commissarij) conuersus, latine, quod alter Hungaricè reddebat, tẽpus dixit aduenisse, quo in silentio orandum magis, quam loquendum videretur: iam Iesu Socijs imitandum esse Deum, qui ex patria sua in Ægyptum pulsus fuit: iam se suosque non multo aliter ex patria sua (patriam suam Transyluaniam, suas vocare ædes) ad alias nationes pelli, quare se illis, quos omnes in visceribus Christi complecteretur, valedicere hoc nomine libenter, q, nulla vel minimi criminis vmbra obijceretur ab aduersarijs, cuius rei locuples testimonium esset, quòd tanta cum honestate dimitterentur. Denique corpore se quidem disiungi ab illis, animis certè manere coniunctissimos, pro quare vt ipsi eandem erga illos voluntatem conseruent, obsecrare. His alijsque non sine animi lachrymarumque sensu propositis, in genua procumbens, litanias respondentibus aliis recitauit. Tum verò maxima omnium comploratio est cõsecuta. Nostri ad rhedas ternas, pro foribus templi iam instructas, collacrimantibus ipsis etiam aduersarijs, deducti sunt: quam cum religiosa cum modestia conscendissent, iamque extra Monostorienſem pagum ad fines Claudiopolitanos peruenissent, centum ibi Sclopetarios pedites cum tympanis ac vexillis, nonnullos etiam equites, qui Patres pro securitate deducerent, ab ipsa ciuitate submissos repererunt. Hi Nagybaniam vsque itinere

quique

quinque dierum processerunt. Illuc etiam vsque comitatus est Patres bonº Sarmasaghius & Blasius Camuthus, qui perrexissent in Poloniam vsque, si vel necessitas fuisset, vel Patres permisissent: Cracouiam vsque progressus est Gregorius Bornamizza senis Bornamizzę filius. Quod officium cum per ætatem præstare non posset pius Trausnerus, filium bonæ indolis iuuenem misit, eumq; Patribus commendauit. Cum enim nullum ditius Religione Catholica patrimonium, se vnico vniceque dilecto filio relinquere posse intelligeret; vt bene in ea fundaretur, voluit vt in Regnis, in quibus floret, aliquamdiu viueret, simulque si fieri posset, intermissa ob temporum calamitatem studia recognosceret. Quod ipsum iuuenis, magno ardore Olomotij aggressus iam prosequitur. Nagybania Claudiopolitani redierunt, à qua ciuitate totidem sclopetarij dati sunt; quibus Szakmarienſis ciuitas quinquaginta pedites, Arcis verò Capitaneus totidem prætodiarios equites adiunxit, omnes Zemleny vsque: inde enim, superatis iam maioribus periculis, domum à Dobai remissi sunt, acceptis ibi nonnullis, qui deducerẽt Homonnam. Homonnæ tunc non erat Georgius Homonnai, (qui vnà cum Valentino Homonnai cognato oppidum illud possidet) discesserat enim vt V Varadiense præsidium, quod iam Arcem dediderat, ex Hungaria deduceret. Verum cum ex itinere Patres illuc aduentare intellexissent; per literas & per famulos, eos obnixè rogauit, vt Homonnæ suum aduentum expectarent; se Patres Cracouiam vsq; deducturum. Homonnensis præfectus homo hæreticus, tam beneuole libe-

raliterque eos accepit & habuit, vt planum faceret, se nihil gratius suo Domino facere posse, quam si in Patres omnia officiorum genera conferret. Dum igitur Patres Homonnæ morantur (octiduũ enim morati sunt, non tam vt Homonnai um expectarent, quam quia P. Viceprouincialis nonnisi dimissus ex Hungaria egredi volebat) dum inquam ibi morantur; Dobai, qui de lõgiori itinere nullum habebat mandatum, Cassouiam redijt, per ipsum ad Principem litteras dedit Pater; quibus animi sui constantiam, & simul declarabat innocentiam: cuius testimonium ab ipso petebat. Homonnẽsi præfecto imperatum est, vt Patres Eperiesinum versus deduceret, vt cum prę sidio V Varadinensi illuc properante coniungerentur. Verum quia Patres aliud iter magis expeditum habebant; acceptis à Præfecto 50. peditibus ac decem equitib⁹, recta via Poloniam petierunt, cuius fines sex Hungaricis miliaribus distabant. Superatis finibus Hungariæ, duarum horarum spatio, primam Poloniæ ciuitatem Iasliska nomine, attigerunt. Hinc vero Cracouiam, inde denique Olomitium, in ipso Natiuitatis peruigilio peruenerunt: vbi non sine magna charitate accepti, non solum corporis vires, sed spiritum etiam, renouatis in Circumcisione cum reliquo Collegio votis, restaurarunt.

Iter porrò ita Patres instituerunt, vt simul peregrinorum regulas obseruarent, & quia commoditas dabatur, quotidie superior celebrabat, reliqui Sacerdotes communicabant. Vbiq; ferme Catholicorum semen inuenerunt. Nagybanniæ Baltasat Kornis, qui in Imperatoris fide constans perstiterat;

& iam pace facta in gratiam cum Botskai redierat, etiam in Transyluaniâ proficiscebatur, cum vxore & socru sacram adijt synaxim. Quod idem die sequenti Varalliæ Sigismundus eiusdem Baltasaris frater, cum vxore præstitit. Exercitia Catholica, ex Monostor Homonnam vsque nulla inuenerunt: Ibi enim Georgius Homonnai, singularis virtutis & pietatis iuuenis, in sua Arce templum pulchrè instaurat: duosque Sacerdotes, pro Hungaris vnum, alterum pro Sclauis, cum non contemnenda Musica liberaliter alit. Ipse vero præter Catholicam Religionem, ad quam Pragæ à nostris conuersus fuit, & propter quam á potentiore cognato persecutionem patitur, adeo modestus est & verecundus, vt si quis ei vel de nuptijs mentionem faciat, erubescat, nec sine pœna quemquam ex familiaribus suis verbum minus honestum proferre permittat.

Tempus etiam eiectionis nostræ non poterat esse incommodius: tantæ enim fuerunt eo tempore aquarum inundationes, quantas senes ipsi nunquam se vidisse affirmabant. Pedites semper fere in aquis vadare, quæ non raro per horas integras, non talos solum, sed genua femoraque ipsa superabant. Interdum rhedæ ipsæ mergi, resque omnes madefieri. Nonnunquam etiam equi cum rhedis impetuosissimos inundationum torrentes tranare. Hæc tanta cœli terræque intemperies, vnum è Patribus, qui ante duos circiter menses in Transyluaniam venerat, & iam hydropisi laborabat, adeò grauiter affecit; vt totus intumesceret, tantaque humoris copia guttur impleret, vt parum omninò quin suffocaretur, abesset. Dei tamen beneficio factum

ctum est, vt in fine itineris non multò deterius valeret, quam in principio valuisset. In montibus qui Transyluaniam separant ab Hungaria, collegerant se latrones Valachi; sed cum Patres multò plures opinione sua conspexissent habere comites, à voluntate destiterunt. Centeni aliquot Haidonum aliquando, dum Patres in Szakmor essent, non sine mali alicuius suspicione relicta, lustrarunt omnia. Ibidem Prædicans die Dominico, populo, in concione, ne vel Patres salutaret, seuerissimè interdixit. Sed nullum fuit maius periculum, quam inter fluuios Tibiscum & Bodrogh, cum enim Germani, qui waradini erant, discedere, arcemque dare nollent, nisi ex vicinis locis recederent Haidones, iussu Principis mille & trecenti Tibiscum transierunt, eos comitatus Zemlenensis, nè Bodrogem transirent, impediebat. Inter illos igitur fluuio sinclusi manebant. Iter Patribus faciendum fuit per medios Haidones, quos neque biduo, inundationũ fluctibus retardati, transire potuerũt; vna etiam nocte nè in pagis cum ipsis versari cogerentur, in campis sub Dio pernoctarunt. Sane diuinæ prouidentiæ tribuendum est, quod oues lupis circumdatæ euaserunt. Iuuit etiam plurimum diligentia & prudentia ductoris Dobai; qui præter cætera quæ cum laude gessit; milites etiam, qui tantis territi difficultatibus, deserere nos volebant, in officijs continuit.

Atque vt tandem aliquando rerum omnium Epilogum colligamus, satis omnibus constare potest, non tam Transyluanorum, maximè verò Nobilium opera, quam perniciosa tumultuantis Botskai voluntate, ac præcipiti furore, desertam à nostris Tran-

syluа-

syluaniam, alias quæsitas esse sedes. Certè in comitiis Transiluanicis Meggyesini celebratis, ita Societas apud omnes ab omni crimine purgata fuit; vt non facilè qui contra eam publicè ageret, posset inueniri. Deinde verò in Hungaria comitijs Cassouiensibus, cum de pace cum Cæsare ineunda ageretur; & conditiones illi proponendæ, quarum vna erat, vt Societas in Hungaria locum non haberet, statuerentur; legati Transyluanici vt suæ Prouinciæ nomine Hungarorum articulo subscriberent, vrgebantur, quod quidem illi se facturos constantissimè pernegarunt. Botskaianum omninò odium in Catholicam Religionem, Societatemque nostrã, vt nostros eijceret, effecit. Aliqui etiam proscriptionis huius causam esse affirmabant, Annæ Perneszi fœminæ Nobilissimæ conuersionem. Nonnulli & fortè verius, hoc indè ortũ existimabant; quod cum Botskai Transiluaniã ingredi, & in arce Gyaluensi (sunt bona Episcopalia) morari vellet, Societatem in Monostor esse nolebat; tum nè eam in oculis haberet; tum vt bona ipsius, quæ cum Episcopalibus coniuncta sunt, vsurparet. Accedebat consilium prorsus Caluinisticum, illi, vt fertur, à Prædicante suo datum; vt nimirum si tutus regnare vellet, Societatem illico exterminaret. Permisit Deus ista omnia ad bonorum pium exercitium, malorum pœnam; ad ipsius Botskai corporis & animi interitum grauiorem. Cæterum res Transiluanica eo loco sita est, vt breui Societatem redituram sperent boni, timeant mali. Dum hæc scribimus, nunciatur Stephanũ Botskai ipso die S. Stephani Protomartyris extinctum, anno 1606. sic anno 1588.

Gie zi,

Gicizi, Gubernator proscriptæ ex Transyluania Societatis auctor, tertia post luce expirauit. Ante quatuor vero annos Zekeli Moyses euersi Collegij Claudiopolitani dissimulator, in acie secundo mense; Iudex autem Regius Michael Dethasius, euersionis Collegij Dux, in carcere paulò pòst à Cæsarianis interempti, diuinã experti sunt vindictam. Botskai denique exturbauit Societatem, postannos vndecim à tempore, quo à Principe Sigismundo, & communi totius Regni decreto comitijs Generalibus reuocata fuit.

MISSIO HVSTENSIS ANNO 1603.

SEquitur vt quæ circa Missiones duas memoratu digna occurrunt, breuiter explicemus. Impetrauit P. Maiorius Viceprouincialis à R.P. Generali, vt præter auxilium quod ex Italia & Austria subministrabatur, aliæ quoque Prouinciæ ad Transyluanicam messem mitterent operarios. Ex Belgio igitur tres eo consilio sunt destinati, vt & militem Valonem iuuarent, & in scholis laborarent. Duo alij ex Germania; vt per eos ciuibus Saxonibus, genere, lingua, & moribus Germanis, Claudiopoli panis frangeretur. Hi omnes cum eodem Patre Maiorio Roma redeunte, Prouinciam ingredi debuêre. Verum cum tardius Viennam attigissent, præcessit ille, hi subsecuti sunt cum Ioanne Leonardo Iell Germano Nobili Societatis amantissimo, & Arcis Hustensis prætecto, qui ante multos annos, Parisijs nostrorum opera, à Beza ad Christum fuerat traductus. Iste nostros, toto itinere, humaniter

æque

æque ac liberaliter habuit. Qui vbi Cassouiam peruenerunt, & Transyluaniam ab hoste Moyse occupatam esse intellexerunt ; eosdem secum ad Arcem suam duxit. Quo statim atque venit, ab Episcopo, in cuius diœcesi arx illa sita est, Sacerdotes, qui Ministris Caluinianis sufficerentur, petijt. Verum ne quod petebat, obtineret, paucitas Sacerdotum effecit. Ipse igitur ne quod in se erat desideraretur, moribus prorsus Christianis, omnibus exemplo esse cœpit. Quotidie sacrum audiebat, frequenter orabat, pios libros lectitabat, & quotiescunq; occasio dabatur (dabatur autem sæpissimè) primores è Nobilitate ad auitã Religionẽ amplectẽdam hortabatur. At vero cum Basta, qui tunc Szakmari morabatur, ex Belgio Patres aduenisse intellexisset, illos ad se vocauit. Verũ cum paucis post diebus castra in Transyluaniam contra Moysen esset moturus, eorum vno, pro se, & Valone milite retento; reliquos duos VVaradinum dimisit. Quorum alter P. Petrus Petitius, quasi cursus sui finem præsagiret, eorum instar quæ natura, non vi mouentur, animi sui conatus in Deum vehementius quam vnquam antea, intendere cœpit. Nam etsi semper rerum spiritualium amans fuit, extremo tamen illo tempore, seipsum in amando Deo superare videbatur. Duos menses VVaradini vixit, quo tempore libellum exercitiorum è manibus nunquam dimisit. Multas singulis diebus orationi, & meditationi horas tribuit, nulla nisi de rebus diuinis colloquia habuit. Itaq; prius vehementi capitis dolore correptus, tum defluxione quadam, quæ partes vitales occupauit, triduo consumptus obijt

VVara-

VVaradini 2. Septembris Anni 1603. Socius ipsius paulo post Claudiopolim concesit. Iam ad illos qui cum Hustensi Præfecto remanserunt veniamus: quinque ibi menses morati sunt, nec otiose: diebus enim Festis conciones habuerunt; quibus semper Præfectus ipse, & eius iussu atq; exemplo, reliqua familia cum præsidiario milite interesse consueuit; capita amplius sexaginta elutis animi sordibus, diuinum celebrauêre conuiuium, quod diu neglexerant alij, alij tota vita, vt qui tunc posita cõtumacia, suaui Ecclesiæ iugo ceruices suas subijciebant. Quos vt magis Præfectus ipse cõfirmaret, sæpe domestico conuiuio excipiebat; vt constantes essent, hortabatur. Nec solum pietati seminandæ, sed impietati etiam extirpandæ operam dedit. Nam blasphemias, perpotationes, illicitos lusus, aliaque vitia, quibus malè feriatus miles nimium occupari solet, extra fines suos amandauit.

MISSIO SICVLICA ANNO 1603.

IN Siculia quoque nostrorum desudauit industria. Est autem Sicilia pars Transyluaniæ, adeò à reliquo corpore separata, vt quasi distinctã Prouinciam efficiat. Regiminis quoque formam à cæteris partibus valdè diuersam habet. Diuiditur in septem sedes, vt ipsi vocant: quarum vna est Catholica, hæretica altera, reliquæ mixtæ. Catholici Sacerdotes sunt 40. circiter; & totidem vel paulò plures Parœciæ. Ex Siculis autem duplo plures creduntur esse Hæretici, quam Catholici. Illuc è nostris tres ex arce Görgenyiensi missi sunt tunc temporis, cum Claudio-

Claudiopoli exturbati in exilio degerent, quibus sane non defuit ampla de proximo bene merendi occasio. Nam pagos illos Catholicos visitantes, & multorum inter se dissidentium animos conciliarunt, & cõcionibus populos ad pietatem, & in primis ad confessionem excitarunt, qui iam à multo tempore cœlestia pascua neglexerant. Nimirum hoc tẽpore auxiliũ illud opportunius fuit; quia cũ pestis ibi sæuiret: multi post purgatã conscientiam, nouamque viuendi formam, siue re, siue proposito institutam, animam Creatori suo reddiderunt. Inter hos ducenti quinquaginta numerati; qui partim totius vitæ, partim multorum annorum confessionem instituerant. Dum autem nostri, toti in proximorum salute intenti, pericula nulla timent: sed sine discrimine, infectos æque ac sanos visitant, solantur, eorum confessiones audiunt, & mortuos etiam magno pietatis Zelo sepeliunt; alter eorum P. Stephanus Kabes eadem lue correptus est, qui tamen non propterea charitatis officijs nuntium remisit, sed nihilominus & conciones habuit, & alia munia obiuit. Et cũ iam inualescẽte morbo, lectulo affigi cogeretur, aduentantiũ confessionibus, vsq; ad penultimum vitæ suæ diem, vtilissimam operam nauauit. Obijt die 12. Augusti 1603. in pago, cui nomen est Szarkegy in eâ sedis Cikiensis parte, quæ Gyirgyo appellatur. Mors ipsius & illos populos, quib⁹ indefessa viri charitas innotuerat, magno dolore affecit, & Societati nostrę valde incommode accidit. Nam cum esset Transyluanus, Nobilis, & rerum Hungaricarum multũ peritus, in tanta Sacerdotum Hungarorum penuria, videbatur omnino necessarius.

COLLEGIVM ALBENSE ANNVS 1603.

PRouinciam cum Turcis & Tartaris ingrediens Zekeli Moyses, recta Albam Iuliam petiit, ciuitatemque non solum obsedit, sed etiam facto assultu acriter oppugnauit. Et licet non expugnarit, Germanum tamen militè propugnatorem eo adegit, vt deditione ciuitatem redderet; ipse verò incolumis abiret, quo tempore, in Collegio vnus e nostris, cum domestica familia versabatur. Duo enim Patres in proximam arcem se contulerant, vt pluribus prodessent, quorũ alter paulò post redijt. Hic Frater tempore obsidionis, multa incommoda passus est, non solum in rebus quas milites præsidiarij, qui ferè soli in ciuitate manserant, quotidie rapiebant; sed etiam in vita, cum enim semel hæreticus homo eũ detulisset, quod Hungaros in Collegio ex consilio abscondisset, vt dum hostes ciuitatem aggrederentur foris, hi intus Germanos trucidarent; Germani repente in Collegium irruperunt, & pugnis Fratrem verberarunt. Verum cum omnia diligentissimè lustrassent, delatorem hæreticorum more mentitum esse cognouerunt. Est ciuitas Albensis ita constituta, vt interior pars mœnijs circumdata; exterior verò, interiore multo maior, sine muro sit aperta. Cum ergo Germani interiorem tantum defendere constituissent, exteriorem incenderunt, ne si hostis illam occuparet, ipsis facilè detrimentum inferret. Ex altera verò parte Tartari tantum ignis imbrem in interiorem telis ignitis immiserunt; vt ciuitas statim conflagraret vni-

vniuersa. Collegium fere solum in medijs flammis integrum conseruatum fuit. Nam licet vno die sexies ignem varijs in locis conceperit; domesticorum tamen diligentia semper extinctus fuit. Eo vero tempore, quo ciuitas in Hungarorum manus deuenerat; noua pericula, nouasque molestias, ab irruentibus militibus nostri perpessi essent; nisi à Capitaneo quodam milites, qui eos tuerentur, impetrassent. Illi ergo, qui vt omnia prædarentur venerant, cibo & potu contenti abierunt. Post trimestre spatium, profligato Moyse, cum Cæsarianum exercitum adesse audirent, reliquosque omnes tum ciues tum Nobiles fugam parare viderent nostri, ne soli manerent, & primo impetu opprimerentur; ad aliquem tutiorem locum se recipere decreuerunt. Verum cum è ciuitate egrederentur, moniti sunt, in vicino loco illis insidias esse paratas à quibusdam, qui illos omnino spoliare, & occidere cõstituissent. Illi igitur in oppositam partem iter vertentes, ad montes altissimos, & præruptis vijs à periculis militum tutos, vna cum rusticis præsertim Valachis se receperunt: vbi per aliquot dies, lacte caprino tantisper victitarunt; donec rebus iam pacatis, cum alijs Patribus Claudiopoli sese coniungerent. Interim Germani, qui in alijs præsidijs erant, Albanam ciuitatem vacuam esse intelligentes, eorum octoginta circiter, illam occuparunt. Excurrentes illi quotidie, vt Moysis milites palantes fugientesque interciperent, in tantum aliquando hostium numerum inciderunt; vt viribus impares, non solum pedem referre, sed etiam arrepta fuga, sese conferre in ciuitatem cogerentur. Cum eam ingredi non

possent, quin hostes quoque cum ipsis ingrederentur; tam diu, & tam acriter, cum in porta, tum in Principis Aula pugnatum, donec Germani omnes ad vnum ceciderunt. Sed neque victores hi diu fuerunt. Nam Cæsarianis aduentantibus illico abeuntes, magna accepta clade, maiori ex parte interierunt. Iterum ergo ciuitas sanguine & cadaueribus redundans, tam diu vacua remansit, dum recepti in gratiam à Basta Hungaris, ciues alijque redierunt, ciuitatem purgarunt, eamque incolere cœperunt. Recuperata Alba à Cæsarianis post Moysem interemptum, ex nostris missus est illuc Sacerdos vnus, qui non inutiliter laborauit. In concione enim plures, quàm antea Auditores fuerunt: siquidem electis Hæreticorũ Ministris, ciues Catholicum templum frequentarunt: quorum etiam nonnulli veram lucem agnouerunt. Procuratum, vt dies festi obseruarentur: neue ijsdem diebus, antequam concio absolueretur, res vllæ venales exponerentur. Dissensiones etiam inter Nobiles quosdam sedatæ. In schola defectum nostrum suppleuit Iuuenis quidam sæcularis, qui semper in scholis nostris educatus, docendi rationem optimè tenebat. Ab eo discipuli cum bonis literis, pias fidei Christianæ institutiones didicerunt.

ANNVS 1604.

ADvnicum illum Sacerdotem accessit secundus, is fuit P. Michael Mardr, sub exordium anni in Fogaras missus. Est vero Fogaras arx cum oppido, qua hoc tempore Priouincia forte nec meliorem habet, neque munitiorem. Fuerat nihil aliquot

aliquot annis ante Catholica Religio postliminio restituta, Balthasaris Bathorei nepotis Regis Stephani opera, atq; à Serenissima Maria Christierna conseruata eo tempore, quo ipsa Sigismundo Principi desponsata, illum locum possedit, eiusq; templum sacra supellectili, aliisque pretiosis ornamentis instruxit: huc itaque profectus Pater, vt Parochi pauso antè demortui vices obiret, laboris sui haud exiguum fructum retulit: Siquidem nonnullos Ecclesiæ reconciliauit, generaliter confitentes audiuit, & populum illum concionibus, religiosæque vitæ exemplo, in pietate confirmauit. Post bimestre vero spatium, Parocho iam nouo præsente, Claudiopolim redijt. Hinc Albam Mense Martio missus est, vt Zelo suo rem Catholicam promoueret, quod cum præstare cœpisset, casus accidit illi miserabilis: cum enim inter duos præcipuos Magnates, Hungarum vnum, Germanum alterum, grauem ortam esse simultatem intellexisset, timeretque, ne deinde scandalum aliquod magnũ sequeretur; voluit ipse, qui apud vtrumque amicitia & auctoritate plurimum valebat, huic nascenti malo occurrere. Post Pascha igitur, vt illorum alterum, qui Hungarico milliari in Arce quadam distabat, conueniret, magistrum scholæ iuuenem optimũ secum duxit. Transito Marusij ponte, faciebant itei per syluulam quãdam, quæ olim ferarũ Principum Viuarium fuit, nunc latronum receptaculum est, ibi obseruati sunt nonnulli nomine quidem milites, re autem prædones, qui illos insequebantur. Ab eo autem tempore nusquam Pater aut Socius comparuit. Existimant propter equos & spem forte alicuius pecu-

niæ, fuisse in flumine suffocatos simul & sepultos: neque enim vllum eorum vestigium reperiri vnquam potuit. Casus iste acerbus valde Societati fuit; quia neque erat, qui locum ipsius commodè supleret; & ipse ob præclara talenta, ætatem, vires, linguarum varietatem (nam præter Hungaricam & Germanicam, quas veluti maternas tenebat, Græcæ non ignarus, Italicam, Polonicam & Latinam optimè callebat) & singulares virtutes, Societati in animarum salute procuranda, potera quám optmè deseruire. Mortuus est die vigesimo secundo Aprilis Anni 1604. Alter tamen eius loco Sacerdos, Magistri quoque loco suffectus est: venis alter, qui tota æstate in nostris ministerijs laborarunt. In Autumno nouæ turbæ excitatæ fecerunt, vt vnus tantum è nostris Magister Albæ maneret, & cum Parocho Albensi ita labores diuideret; vt hic sacra ministraret; ille verò (quod cum summe laude & ædificatione fecit) conciones haberet.

ANNVS 1605.

POstquam ad partes Botskaianas ciuitas desecit, Haiduci in eam frequèter irruentes, sæpius Collegio nostro muneribus placandi fuerũt. Quia verò Magister ille noster per idem tempus grauiter ægrotare cœperat; Pater Viceprouincialis, nè hominem amitteret, egit cum Sarmasaghio, vt eum in Gherend, ad valetudinem recuperandam admitteret. Est autem Gherend, si nonnihil à recta via declinetur, in medio ferè inter Albã & Claudiopolim itinere. Sarmasaghi° illicò aliquot famu-

famulos suos viros Nobiles, qui illum Albaad se deducerent, expediuit. Discessurus noster Collegium commendauit tum famulis nostris, tum Pagi rocho, tum etiam bono cuidam viro, qui ante multos annos, à nostris conuersus, ex hæreticorum Ministro, factus est Concionator Catholicus. Sacerdos quidem, ob vxoris impedimentum fieri non potuit: sed tamẽ semper, siue in nostris, siue in alijs Catholicis pagis concionandi munus expleuit. Hic ergo in Collegio remansit; tum vt rerum nostrarum curam haberet, tum vt Parochum, si opus fuisset, ab onere concionandi subleuaret. Parochus, cui diximus commendatum Collegium, ita ad nos venit. In interiori ciuitate duo sunt templa, nostrum, & alterum olim Episcopale, nunc Parochiale, hoc autẽ cum rebus omnibus spoliatum esset, miserèque deformatum, non erat quidem in vsu, quia Parochus omnia in nostro peragebat, in potestate tamen Catholicorum erat. Templum hoc Principis auctoritate Catholicis ademerunt Caluinistæ, qui in ciuitate concionari, & Scholas aperire cœperunt, Parochumque, vt è Domo Parochiali migraret, coegerunt. Qui quidem non è domo solum, sed ex ciuitate ob pericula quæ cum illi, tum Catholicis imminebant, sæpius emigrasset; nisi semper ita Deo disponente, fuisset impeditus. In Collegio igitur nostro mansit, donec illuc nostri redirent. Lepida res accidit aliquando illi, nam cum litteras, in quibus de hæreticorum Ministris conquerebatur, ad Patrem Viceprouincialem dedisset; litteræ ad ipsorũ Ministrorum manus peruenerunt. Cum ergo tum in alijs, tum maximè in eo offensi essent, quod illos

hæreticos appellasset, eum ad Senatũ Albensem, vt puniretur, detulerunt. Lectæ sunt in Senatu litteræ, iam de Sacerodte capite plectendo agebatur, sed Sacerdotis partes suscepit Iacobus quidam litterat⁹ vir in ciuitate facilè primus ; qui licet hæreticus sit, naturæ tamen facilitate, & in bonos propensione Catholicos amat; eorumque partes, si quando opus est, tuetur. Hic igitur Sacerdotem defendit hac oratione. Neminem, inquit, vestrum latet, Regium hunc dicem Cibinienſem, tanta esse doctrina & prudentia ornatum, vt eius auctoritas, non solum apud suam, id est Saxonicam gentem, oraculi instar sit, sed apud nostram quoque, hoc est Hungaram, plurimum valeat. Ille igitur cum nuper suas ad Principē dedisset litteras, eæque casu quodam ad manus meas peruenissent: in earum superscriptione Principē ab eo Heroëm appellari animaduerti; iam verò cū ab Heroe hæretici deducãtur; si Principem illi Heroem appellare licuit (vti sine dubio licuit) alijs quoque, nos eius subditos hæreticos appellare licebit. Hoc vno argumento victus Sapientissimus ille Senatorum consessus, Sacerdotem latinè propriè que locutum pronunciauit. Quam sententiam cum nescio quis, qui alijs doctior videri volebat, improbaret; fortissimo eandem argumento confirmauit iuuenis quidam, cum enim Calepinum protulisset, & ex eo hæresim electionem significare docuisset, si vos, inquit, vestram religionem liberè & non coacte elegistis; quis illã hæresim appellandam inficietur? Hic ille conticuit; & tandem cum alijs sententiæ subscripsit. Absolutis comitijs Medienſibus, Albam Patres redierunt; tam in templo, quam in

scholis,

stholis, Societatis ministeria restaurarunt. Accidit hic quod Claudiopoli alias accidisse diximus: multi enim ciues tempori magis seruiendum, quã Deo parendum censentes, ad vomitum reuerterãt. Illorum tamẽ loco, alii suffecti sunt; ac inter eos insignis quidam Nobilis, cum vxore à Caluino ereptus, per sacram confessionem Christo est restitutus. Sed instar omnium fuit Gubernatoris vxor; fœmina vt genere Nobilis, ita educatione Catholica, & pietate prorsus singularis. Hæc quotidiè est in templo; omnia sacra, conciones omnes, reliquaque officia omnia audit, frequenter confitetur, & communicat; magnas eleemosynas facit; & charitatis officijs omnibus antecellit. Vix dies transit; quo nostris beneuolẽtiæ & charitatis signũ aliquod nõ exhibeat, & quia Maritus illam, ob virtutem & Nobilitatem singulariter amat & obseruat; inde fit, vt nostri, rerumque nostrarum ratio habeatur. Si aliquid nobis accidat, in quo Gubernatoris beneuolentia, & auxilio sit opus; satis est vxori indicare; & uerò omnia pro voto impetrantur. A Marito illa, vt in Natiuitatis peruigilio tota aula à carnibus abstineret, ipse verò etiam ieiunaret, obtinuit.

ANNVS 1606.

NObilis quidam Catholicus, ipso die Circumcisionis vxorem antea Arriana labe infectam, ad sacrum lauacrum, cũ filio recens nato duxit, & quia alios grandiores liberos, ex priore Marito susceptos habet; illos quoque iam in Catholica Religione instructos, ad baptismum prima occasione se missurã promisit. Miseri nonnulli, qui superioribus annis

vel fame victi, vel iniurijs lacessiti, furta & homicidia comiserant, à laqueo liberati sunt; intercedente quasi altera Hester, Gubernatoris videlicet vxore, apud Assuerum maritum. Claudiopolitanus quidam inter Saxones, magnus semper Societatis hostis fuit, nostrumque exilium in primis vrsit, quo; cum paucis ante mensibus absentis Iudicis vices gereret; vt è Patribus vnus, qui in Monostor ægrotabat, tantisper ciuitatem ingrederetur, donec Tartari, qui illac faciebant iter, transirent; nulla ratione permittere voluit; Hic, inquam, cũ homicidij reus, in carcere Claudiopoli detineretur, & in eius causa, iuris forma magno ipsius præiudicio non seruaretur, Albam, vt à Gubernatore ad Iudices mandatũ quoddam impetraret, affinem suũ misit. Quia verò intercessore, quo maximè egebat, prorsus carebat, eum ad Patres direxit; quos vt ea in re patrocinium suum susciperent, enixè rogauit. Negotium vtpote iustum & pium, ille idem Pater, qui ab eo Claudiopoli exclusus fuerat, Gubernatoris vxori, hoc nomine commendauit; quod cum ille hostis esset nostris infẽsissimus, nos vt Carbones Euangelicos, supra caput illius accenderemus, illum modis omnibus iuuare cupiamus. Illa Charitatem Societatis admirata, statim cum marito egit; & quod petebatur, impetrauit. Captiuus beneficio victus, antiquum in Societatem odium deposuit; & iam liber, Patres Monostorienses, amicitiæ causa inuisere cœpit. E nostris Fratribus M. Andreas Paulichicz postquam continenti quadam hectica, & ea multis annis inueterata tussicula laborasset, grauissimum morbum hyeme tota patientissime pertulisset;

esset, tandem viribus iam defectus die 23. Maij, post saluberrimã sacri viatici refectionem, sacramque inunctionem, extremum vitæ suæ edidit signũ, cum in commendatione animæ ad eum locum perueniretum esset: subuenite Sancti Dei. Fuit vir planè religiosus, humilis, obediens, & magnus mundi, suique contemptor. In scholis & in concionibus, quando opus fuit, optime semper se gessit. Dum ex Boemia per Hungariam in Transyluaniam iret, per ciuitatem quandam iter fecit, quæ á Patria sua adeo propè aberat; vt duabus vel tribus horis ire & redire potuisset: ipse tamen licet ibi diem fere integrum substitisset, sineque vllo incommodo, parentem quartum supra centesimum annum agentem, inuisere valuisset; id non solum non curauit, sed ne verbum quidẽ ea de re, vel cum superiore, vel cum Socijs fecit minimum. Croata natione fuit, omnia tamen idiomata suo finitima Polonicum, Sclauonicum, Rascianum callebat. Præter Latinam etiam ita Græcam & Hungaricam linguam nouerat; vt hisce æque facile & eleganter, ac materna, & loqui & scribere valeret.

Magnum hoc tempore cum Anna Pernesti Catholicæ Religioni lucrum accessit. Est hæc fœmina, ob singularem prudentiam in primis celebris. Parentes habuit, vt nobilissimos, ita & Catholicos, quarum cum lacte veram quoque Religionem imbibit. Verum cum in gynæceo vxoris Christophori Bathorei Transyluaniæ Principis esset, secuta est Dominam Caluini labe infectam, ne ab ea, cui sanguine coniuncta erat, Religione discreparet. Quia verò primis Regni proceribus nupserat, eo pluri

bus

bus erroribus se obruit, quò magis illis placere studuit. Zelum igitur fidei quam colebat, non vulgarem semper ostendit: nam magnis sumptibus (ditissima enim erat) studiosos alebat in Germania; vt iis emenso studiorum curriculo, venena latius diffunderent Caluini in Transyluania. Ex illis aliqui tantum profecerunt; vt inter Caluinistas primi habeantur hodie, & primas in Transyluania cathedras obtineant. Iam verò cum secundo marito orbata esset, primæque educationis scintillæ reuiuiscerent, non solum Catholicorum conciones audiebat, sed dies festos etiam ac ieiunia (quæ maxime odio sunt hæreticis) studiose obseruabat. Quod vbi aduerterunt hæreticorum Ministri, primum illam, ne & pusillos offenderet, neue suo nomini inconstantiæ notam inureret, monuerunt. Deinde cum se contemni cernerent, eam ob Quadragesimalis ieiunij obseruantiam, pro concione publicè notarunt, conuitijs & maledictis proscinderunt, anathemate ferierunt, atque à cætu fidelium separarunt. Cõmune est hoc telum hæreticorum contra eos, qui spretis eorum somnijs, veritatis lumen intueri incipiunt. Verum illa non solum ab incepto nõ destitit; sed etiam cum nostris de rebus ad Religionem, animæque salutem spectantibus, priuatim agere cœpit: atque vt suæ erga Religionem Catholicam voluntatis signum aliquod præberet, casulam pro nostro templo curauit, cuius crux gemmis, margaritis auroque adeo dives erat, vt hac tẽpestate, vix quicq̃ in eo genere ditius potuerit sperari. Porro dum nihil aliud expectatur, quam vt cõuersionis eius fructus, diuino Spiritus S. calore matureſcat; en Botskai, qui cum ea

tertio

tertio cognationis gradu coniunctus erat, rerũ potitus in Transyuaniã venit, eamq; seueriſsimè monet, vt ab incepto deſiſtat, rebuſq; Papiſtcis nunciũ remittat, ceſsit fœmina, & ad ingeniũ rediens, hæreticos fouere, Catholicos infeſtare cœpit. Interea cũ magnam familiaritatem cum vxore Gubernatoris contraxiſſet, ei ſignificauit, ſe ab auita quidem Religione nõ abhorrere, ſed ob temporis iniuriã id profiteri non audere. Eam verò grauiſsimis verbis hortata eſt Gubernatrix, ne agnitam veritatem occultaret; neve Dei voluntati, pp hominum gratiam reſiſteret, fore aliquãdo tempus, quo mortaliũ nullus eam vel excuſare poſſet, vel defendere: nunc Iudicem omniũ ſibi conciliandum, eum coram hominibus cõfitendo, vt ipſe quoq; coram Patre cœleſti, eam nõ erubeſceret confiteri. Pendebat igitur animo, neutrique parti adhærebat, ſed tandem, vt diuinis rationes poſtponeret humanas, effecit Balthaſar Syluaſius; qui poſteaquam è duro carcere Botskaiano liberatus, in patriam rediiſſet; tertias illi nuptias ea conditione obtulit; ſi Princeps Botskai matrimonium probaſſet, ipſa vero palam ad Catholicorum caſtra ſeſe recepiſſet. Aſſenſum autem Botskai requirebat, non ſolum, quia cum fœmina ſanguine iunctus erat; ſed multo magis, quia vt nulli magis in Tranſyluania, quam fœminæ illi credebat; ſic nemini minus, quam Syluaſio fidebat, quem etiam tanquam Principatus æmulum ſuſpectum habebat. Nuptias Botskai indigne quidem tulit: verum nullum honeſtũ titulum, quo matrimonium inter primariam fœminam, primariumq; virum impediret, reperire potuit. Sed cũ eorũ de Religione

ligione consilium cognouisset, prorsus excanduit; se quæ fœminam adeo deplumaturum (vt eius verbis vtamur) minatus est, vt eam facti pœniteret. Quæ minæ tantum abest vt currentem in bono retardarint; quin potius mirum in modũ excitarint. Quamobrem ad metam bene cœptæ viæ properans templum adijt; diuinis interfuit; sæpius cum Sacerdote egit, apud quem, tempus à se confessioni destinatum anteuertens, in S. Matthæi pernigilio, totius anteactæ vitæ crimina deposuit: ipso vero die Apostolo sacro, publice ad sacram Synaxim accessit, comitante cum alijs pijs fœminis Gubernatrice, & lætãtibus Angelis, vt ipse Gubernator asserebat; qui cum fœminæ conuersionem audiuisset, Angelos cum vxore sua lætari se existimasse homo Caluinista affirmauit. Verum enim vero Ministri hæreticorum, ab ipso tantæ conuersionis initio, ne tantam Patronam amitterent, omnia tentarunt, vt eam à proposito abducerent. Quare vbi Catholicã factam esse intellexerunt, vehementer commoti conueniunt; quidque facto opus sit, consultant. Et quia necdum sibi, quod displicebat, penitus persuaserãt; rem melius explorare statuunt. Vnus igitur (hic eius Alumnus fuerat, cæteris vt doctrina celebrior, ita & audacia impudentior) tempore vesperarum, attonito similis, templum ingreditur. Tum vero subitò omnium oculi in eum conuersi, quid lupus in ouili quærat, obseruant. Ille obambulans, huc illucque oculos circumferens, cum ad eam, quam ob plurima in se collata beneficia, matrem vocare consueuerat, venisset, ibi vero constitit, totusque admirabundus in eam obtutũ defixit. Ora-

bat

bat illa media inter Gubernatricem, Gubernatricisque sororem & filiam in genua prouoluta; quæ rei indignitate nihil mota, in cœpto perrexit. Minister vero Nobilissimarum fœminarum auctoritatẽ veritus; tam mutus è templo, tamque confusus, quam intrauerat audax, excesit. Non tamen quieuit; sed postquam illam, diuino officio peracto, domum se recepisse cognouit; alijs eiusdem farinæ complicibus secum assumptis, eam adit, complet domum clamoribus, experitur omnia. Videres ouem coram frementibus lupis constitutam nihil moueri; sed modestè quædam refellere quædem prudenter surdis auribus præterire, factique sui rationem reddere constanter. Nimirum hoc præmium retulerunt proci isti, vt ipsa aromatum contusorum instar, latius Christianæ pietatis odorem cœperit diffundere. Ab eo tempore prima quotidiè templum adibat, multas horas precibus dicabat; parata pro Christo bonorum omnium iacturam facere, quæ certo illi imminebat à Principe, è cuius gratia penitus exciderat. Peracto igitur Catholicæ Religionis quasi tyrocinio, nuptias celebrauit; & iam magno bonorum exemplo, piam cum viro vitam instituit. Hîc nostrũ bonorum operũ cursũ, Botskai, vt alibi dictũ est, interrupit, quando litteris i lis suis edixit, vt Alba adeoque vniuersa Prouincia pulsi, in Monostor concederem⁹. Nos sub discessũ, Albensib⁹ Catholicis, à mærore quantum fieri potuit recreatis, largissime pro nostræ paupertatis ratione, in egentiores quà domesticos, quà externos distribuimus etiam illa, è quibus commode diuenditis, nisi subita necessitas compulisset, haud exiguum pretium con-

conquirere potuissemus. Sed enim satius esse duximus, illa in pauperibus suis ei restituere, à quo acceperamus.

RESIDENTIA VVARADINENSIS OBSIDIONIS TEMPORE, quæ fuit ab anno 1604. vsque ad annum 1606. exeuntem.

VVAradini si vnquam antea, hoc maxime tempore, quo circũsessa ab hostibus Arce, omnia per circuitum armis strepebãt, constitit nostris operæ non minim⁹ fructus. Siquidem præter 500. Hungaros, qui nostros de rebus diuinis extra & intra arcis mœnia differentes audiebant, adeo frequẽtes, ad pœnitentiæ Sacramentum, veramque fidem properabant; vt spes haud dubia affulserit, proximo venturo biennio, si tranquillum à belli motibus habuissemus otium, vniuersos tandem VVaradinenses ad Christi iugum reuersuros fuisse. Licet enim tres Sacerdotes nostri, qui cum tribus circiter millibus hominum, in tertium vsque annum obsidione cincti, nullo suorum, aut scripto aut nuncio salutari, vel solatium aliquod habere potuerint; non ita tamen animo fracti fuerunt, vt suam militibus alijsq; paterentur deesse industriã. Quare Germanis iuxta ac Valonibus strenuam nauantes operam; consilio & auxilio temporali simul, simul spitituali adfuerunt. Nam & conciones habitæ, & Sacramẽta ministrata, & reliqua charitatis opera non sunt desiderata. Ab hæresi supra centum Ecclesiæ sunt restituti. Pars militum vagæ assueta libidini, vt intra legiti-

mi tori

mi tori fines se contineret, inducta: pars à discordia inueterata, ad stabilem concordiã reducta; pars denique, à blasphemiæ licentia; ludendi etiam potiãdique consuetudine absterrita, ac nostri quidem obsidionis tempore secessione Hungarorum à Cæsarianis facta, non solum vsu fructu rerum omnium à subditis capiendarum; verum & possessionibus pagorum priuati iam penitus erant: Deus tamẽ qui suorum curam habet, ita de omnibus prouidit nobis, vt in pauperes quoq;, quorum ingẽs semper numerus, ex omni genere eduliorum ac vini etiam partem liberaliter erogaremus. Et quanquam non semel in manus Haidonum prope iam nostri inciderant; semper tamen Deus optimus à periculo seruauit immunes. Neque denegatum est officium ijs, qui ob maleficia plectendi erant. Animatæ sunt aliquando sagæ ad rogum sibi destinatum vltrò cõscendendum: de quibus, quia multa sunt admiranda, dicemus aliquid. Toto propemodum biennalis obsidionis tempore, postquam fame stimulante, equi, canes, feles, mures, lora cum pellibus ac viuo gramine absumpta fuerant; vt calamitas calamitati, vulnus vulneri adderetur; ecce tibi fœminæ plures quadraginta, malè omnes feriatæ, ex Sueciæ potissimũ fœcibus, cæterisque terrarum lacunis, VVaradinum confluunt; dæmonem principem suum, nocte intempesta, ritu veneficarum solemni, in curru triumphali tanquam Regem specie visibili & gratulabunda, vt ipsis videbatur, in Arcem ad milites deducunt. Hic ergo illę toto biennio in exitium omnium aërem coniuratæ, communem, cum vijs publicis & aquis infecerunt. Inde vero repente mi-

les cæcitate percuti; veneficio oris ac pedum; contractione item, seu collisione subita membrorum omnium intorqueri, diuturna capitis, pectoris, totiusque corporis ægritudine conflictari, duo prorsus millia atque eo amplius carnificina ista extinxit; vno quandoque die quatuor aut sex, nonnunquam decem vndecimuè, eadem strigarum lue simul infectis ac è medio sublatis, cum vix quispiam in Arce extiterit, cui immunem esse ab hoc malo daretur. Nostris quoque, postquam febri Hungarica laborauerant, cum insueto isto oris pedumque malo colluctandum fuit. Tantus porro biennali hac obsidione morientium fuit numerus; vt cum initio mille quingenti milites essent, vltimo qui egrederentur, vix 150. reperti fuerint. Quo tempore nostri sui obliti, charitatis memores, quam diu pedibus consistere, aut inniti scipionibus dabatur, ægris ac moribundis nunquam deesse; Confessiones Catholicorum excipere; hæreticos, & in his belli Duces aliquot ad Ecclesiæ castra aggregare; languidos verbo & ope in spem erigere; refractarios in officio continere; extremæ Vnctionis & alia Sacramenta, quibus oportebat, promptè & gratis (quod multi mirabantur) impartiri. Cum itaque furente hac lue, iam res eo vergeret; vt de capite singulorum ageretur, vnanimi nostrorũ & Magistratus supremi consensu coactis in vnum singulis; de præsenti Dei vindicis in peccata animaduersione commoniti omnes, de vita quoque efficaciter in melius commutanda, instructi sunt. Supplicatio etiam solemnis ad omnia Arcis propugnacula decreta est; loca singula, per quæ transeundum; quoniam infecta fuerant;

rãt; vnâ cũ puteis; aqua, sale, cera benedictis, lustrata sunt & expiata; adiunctis exorcismis & precibus, ab Ecclesia tali tempore fieri solitis. Mira res visa omnibus. Vix sacra hæc exercitia peracta; & illico aquæ ante pestiferæ, salubres effectæ sunt, aër purgatior redditus; ægrorum vultus ad valetudinem visus serenior; morientium numerus in dies imminutus; tandemque omne sublatum virus, paulò pòst recenti ex tabe confirmandis corporibus, boues ex præda opima adducuntur tanto numero; vt inde & equis aliquibus, in summa panis inopia, ad finem vsque obsidionis, victitare valuerint. Tandẽ post diuturnæ obsidionis labores, in rerum omnium penuria, tradita Hungaris Arce, nobis cum præsidio Cæsariano migrandum fuit 22. Nouembris Anni 1606. Superior noster prope V Varadinũ rogatu cuiusdam viduæ magnificæ remansit; alter ad Tokai apud Catholicum virum Magnificum, ut morbi detentus; tertius Germanus cum militibus discedens redijt in Austriam.

PVNCTA ANNVA PROVINCIÆ BELGICÆ Anni 1606.

NVnquam aliàs per Belgium sedifudit Societas aut latiùs, autlætiùs; argumento sint Socij, quos supra sexcentos septuaginta duos recensuit. Ex his bis centum & septuaginta duos in Sacerdotum functionibus; in scholarum munijs viginti & centum; in domestico opere nouem supra centum & quadraginta habuit occupatos.

Ad hæc Societatis tirones omnino vnus supra centum & triginta: Sacerdotes nimirum nouem; inter non Sacerdotes studijs humanioribus addicendi septuaginta septem; laboribus domesticis quadraginta quinque numerantur. Hos omnes viginti familiæ diuino obsequio aluerunt.

Collegium Louanienſe quinquaginta: in his Sacerdotes quindecim, quorum duo cum alijs viginti duobus non Sacerdotibus Theologiam audiunt. Tornacense 25. & ibidem Domus Probationis numerauit vnum supra nonaginta. Collegium Audomarense triginta sex; Anglicanum in eadem vrbe Seminarium duodecim. Duacense quadraginta nouem. Antuerpiense excreuit ad quinq; & quinquaginta; ex ijs tamen quindecim in literis humanioribus recognoscendis perpoliuit. Hollandica Missio tenuit sex. Collegium Traiectense duos &

& viginti. Leodiense triginta octo. Iprense viginti. Cortracense triginta quinq; accensitis duodecim, qui effluente anno studia humaniora recolere cœperunt, huc litterarum Seminario ex Antuerpiensibus translato. Brugense Collegium nutrit viginti sex. Gandense viginti duos. Duobus plures Vallencenense. Insulense viginti octo. Cameracense vnum & viginti. Montẽse viginti sex. Bruxelense septem & quadraginta. Atrebatense viginti quatuor. Luxemburgense nouendecim. Bergense vno minus.

E viuis excessere sex. In Societatem recepti septuaginta duo.

COLLEGIVM LOVANIENSE.

VT à sacris communicationibus ducatur exordium, ad has adeò multi sanctioris vitæ desiderio venêre, vt nunquam fere plures, si quidem numerati sũt octoginta tres, qui tãto animi sensu, fructuque eas obiêre, vt multi dicerent, nihil in vita se percepisse vel vtilius vel iucundius, easque vniuerso mundo anteponere. Nec illi solum, sed & Collegiorum præsides à nostris institutis alieniores tantam morum mutationem admirati, eas etiam inuiti laudarunt, disciplinæ legumq; obseruantiam acceptam retulerunt Societatis industriæ. Ex his alij ad Religionem cupide euolarunt, alij ad animorum curam pietate bene instructi, cuius antea se vix vllum habuisse gustum confessi sunt. Sed præcipuus in excolendis Religiosis fructus enituit.

Sodalitia B. Virginis sacra numero pietatisque studio florent. Maius enim Sodales ducentos quinquaginta numerauit selectos, & in his multos sum-

mum penè Theologiæ gradum adeptos. Ex eo variis religiosorum familijs adiuncti complures: septem in nostram Societatem cooptati. Illud commemoratione dignum videtur. Nobilis Anglus hæresi imbutus à puero, posteaquam opera nostrorum eam eiurauit, sanamque doctrinam & salutis viam edoctus est; ecce, parentis litteris è vestigio reuocatur in patriam: verebatur improbus parens, ne ad auitam Religionem traduceretur. Dubius, & quid agat incertus, tandem redire constituit: sed ne præsidio destitutus quod eiecerat, venenum resorberet, ad Collegium festinauit, patronamque B. Virginem tanto adoptauit ardore, vt Patrum astantium nemo à lachrymis temperaret: tum maxime cum votiua precatione Deiparæ autoratus exultans gaudio dixit: In Domina mea transgrediar murum, nõ timebo, quicquid insidiarum hostis faciat, quicquid admoueat machinarum: ita abijt Deo Duce, B. Virginis tutela firmatus.

Obijt morte iustus Lipsius editis operibus clarus, non vulgare huius Sodalitatis ornamentũ. Vixerat Louanij annos tredecim, interim ad Deiparæ cultum ita propensus, vt sicut ab eo virtutis & eruditionis, sic merito cultus Dei matris exempla peterentur. Sacris exhortationibus ita pascebatur, vt omnes assiduitate superaret: ita legum obseruans, vt nihil religiosius facere, siue confessione aperienda peccata, siue sacra synaxis adeunda, omnes denique perfecti Sodalis numeros accuratissime expleuit. Sed qui fuerit vir, in morte vel maxime claruit. Quasi illam præsentiret animo, simul ac in morbum incideret, illud extremum vitæ temporis futurum esse

esse prædixerat. Nec temere: vt enim morbo teneri cœpit, paucis diebus est mortuus. Feliciter sane: nam sub initium morbi, mirum quanta fuerit in sacris omnibus Christiano ritu procurandis solicitudo. Bibliothecæ, literarum, testamenti mirum silentium, nulla cæterarum rerum querela: sed vel tacitus secum meditabatur æterna, vel pijs de Christo Crucifixo, vel de B. Virgine colloquijs animum intendebat. Cum noster Sacerdos ad omnem curam in eam patronam, quam stylo coluisset & mente, collocandam hortaretur, languidis manibus nocturnum pileolum capiti detraxit, iunctisque manibus cœlum suspiciens; Vtinam, inquit, mater omnium, mihi his temporibus meis, sit mater. Vt autem hoc impetraret, litanias recitandas curauit, quas vna recitauit cum cæteris: in medio subinde insistentes, vt quieti eius consulerent, reuocabat ad cursum. Erat enim illi de Virgine sermo voluptati: quodque illam à primis annis coluisset ex animo, iam morituro maximum aiebat esse solatium. Monitus vt cum B. Stephano diceret illud: Domine Iesu accipe spiritum meum; Dico, inquit, Domine, dico cum B. Stephano: Domine Iesu accipe spiritum meum: addiditque nonnunquam, quanta potuit vi, oculis cœlum spectantibus: In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Rursus cum altius cogitationi cuipiam inhæreret, rogatus quid mente volueret; Promissam, inquit, diuinitus laborib⁹ mercedem. An existimas opum gratia me fecisse quæ feci? Aliam mihi proposui mercedem: illa animo meo hæret infixa. Denique facta dictaque eius Christianum Philosophum &

verum Sodalē arguebant. Quoties Crucifixum rogauit sibi ad osculandum dari? quoties eum patientiæ Magistrum pro aspectu se audire testatus? hortantibus quibusdam, vt, de qua sæpe tractasset, Stoicam patientiam ostenderet; ista sunt, inquit, deliramenta stultorum, digitoque in Crucifixum intento, illa est vera patientia inquit: Domine Iesu doce me patientiam Christianam. Vt indulgentiarum particeps esset, vicies iterauit dulcissima Iesu & Mariæ nomina fractis & intermortuis vocibus, inter quas felicem animam edidit. Expiatam quidem omninò credimus, tum sacrificijs (quæ si quando offerebantur à nostris exultabat) tum doloribus patienter ferendis, tum B. Virginis patrocinio, quam de æternitate decertans sæpe inuocauit: tum largitionibus & pijs legatis. Nam & græcam Bibliothecam Societati, B. Virgini pellitam vestem pretiosam legauit. Addo contemptorem eorum fuisse quæ hominum vulgus suspicit. Sæpius inuitatus à Rege Galliæ magnis opibus, & honorario mille nummûm aureûm & ampliori, vt in eâ disciplinam Delphinus ipsius Regis filius traderetur, modestiæ causa excusauit, humiliori sorte contentus. Et hæc maiori Sodalitio memoria digna contigere.

Minus, quod constat è cætu Philosophorum, suos etiam fructus extulit. Nam plurimos Religiosis Ordinibus peperit, qui quadraginta numero, vel etiam plures definiri posse creduntur.

Est & aliud omnibus Sanctis consecratum, nec illud infrequens, numerauit enim septuaginta omnes ferè Sacræ Theologiæ studiosos, qui vel Pastora-

storalem animorum curam, vel Religionem cogitant. Magna flagrant in eo virtutis & salutis propriæ & aliorum studia. Quocirca nonnulli opulenta beneficia vel deseruerunt, vel oblata refutarunt. Ii soliti sunt Nosocomia lustrare, villas, pagosque vicinos concionibus habendis, & rudioribus salutari doctrina instituendis, præmioque excitandis peragrare. Duo præterea ex ijs à Sodalitatis Præfecto designati sunt, qui collatam à voluntarijs pecuniam in egentes honestioresque pauperes singulis mensibus diuidant. In perfectioris vitæ studium ita incumbunt, vt à Religiosis maiora non exigantur. Horam multi præter attributum lectioni & examini tempus, in pijs exercitationibus animi ponunt, & vni alicui vitio quotidianum bellum indicunt. Vesperi plures qui communiter habitant legunt ea, quæ spectant ad incitamenta virtutum, tum colloquuntur: Eucharistiæ Sacramẽto in hebdomade semel minimum reficiuntur: in eadem semel & iterum voluntariam inediam suscipiunt: denique ad tolerandum pro Christo sic inardescũt, vt in ciliciorum, & flagellationum vsu cohibendi frœno potius, quam incitandi esse videantur. Cætera quia longa sunt, prætermitto.

Missiones aliquot institutæ. Distemium oppidum est quinque milliaribus Louanio distans, situ percommodum, ideoque hyeme militibus in hyberna dimissis frequens. Huc excursum flagitante Senatu, in primisque Domino Præposito nostræ Societatis amantissimo, cui etiam ipse Senatusque iunctis animis Collegium parant. Ad milites habitæ Gallica lingua conciones, ad ciues Flandrica, tra-

dita Christiana doctrina mira negotiosis etiam diebus ciuium frequentia, & audiendi cupiditate.

Abest inde milliario locus miraculorũ B. Mariæ gloria clarus, cui nomen Aspricollis: Hic mira peregrinorum frequentia, à ducentis etiam milliaribus venientium, suscepta votiua peregrinatione celebratur. Itaq; Dominus Præpositus, cuius proxime memini, Serenissimos Archiduces adijt, loci dignitatem exposuit & sanctitatem, nullaq; re conseruatum iri melius, quã si nostri cõfessionibus audiendis illic operam darẽt: viros probos & eruditione præstantes esse debere, quorum fidei populi salus commendaretur. Pium studium laudauere Principes, & cum Archiepiscopo re communicata, vt è nostris duo mittentur à R. P. nostro Prouinciali impetrarunt, qui sua assiduitate peregrinos iuuarent. Est enim eorum tantus appulsus, plebeiorum, nobilium, & virorum Principum, ac pœnitentium, sacroq; conuiuio animos reficientium tanta frequẽtia, vt singuli dies ferię quędam Paschales esse videantur. Est enim B. Virgo miserorum perfugium, quibus simul accidunt res aduersæ, votũ concipiũt, & leuationem sentiunt. Rusticũ infestabat dæmon, surripiebat instrumenta quibus victum merebat. Erat ei filius agens annum decimum sextum, quo familiariter dæmõ vtebatur, cum eoq; mentitis variorum hominum formis colloquebatur. Nam vbi laterent instrumenta paterna, non sine tamen indicij mercede, modo aperiebat, modo furti vicinos insimulabat; inde iurgia nascebantur: tandem & filium in agro lateri patris adhærentem eripuit, nusquam vestigiũ erat, licet matutino rore cuncta albescerent:

beſcerēt: biduum fruſtra quærit Pater, mœſtus domum redit; B. Virgini peregrinationem vouet, in viam ſe dat: ecce puerum redeuntē familia ſtupēte, dæmone loco, vnde ſubduxerat eum, reſtituente, varijs modis eluſum, & fruſtra vt deſertâ paternâ domo, ſe illi addiceret, ſolicitatum. Interea reditus filij pater ignarus, pergit quo intendebat: à noſtro Sacerdote accipit cerei agni effigiem, vt ſuſpendat è collo filij confeſsione expiati. Dum imperata facit, ecce mentiri formam deſiit mendacij parens, ſed horrifica ſpecie obtulit ſe filio: verum vt ad ſacram menſam acceſsit, liber à ſpectris euaſit, & ad Aſpricollem acturus Diuæ Virgini gratias contendit.

Sed & fraudes hominum, qui ſe malo dæmone affiatos, ſeq; furere ſimulabant, detectæ: profanum carmen pronuntiatum, reliquiæ in eam rem, & ſcopæ à ferijs porcinis latenter admotæ, torqueri ſe vehementer, eiulatu, & incompoſitis motibus fingebat mulier: diſsimulata res fuit, ipſaque ad illuſtriſsimum Archiepiſcopum cum viatico ablegata, quàm male habitam dimiſit.

Miſsi ſunt ferijs Paſchalibus & noſtri Levvas, quod oppidum eſt in Brabantiæ finibus. Ibidem Galli militēs in hybernis agebant, omni animi ſubſidio deſtituti: nullus erat Sacerdos linguæ peritus, nullæ conciones habebantur, quibus homines efferati bellis, & duri ad Chriſtiani hominis officiū flecterētur. Dictum eſt de immortalitate animorum, de hominis fine, de Sacramentorum neceſsitate, ad extremum cœleſtes iræ denuntiatæ. Principio auditores pauci, quia à luſibus irretiti ſeipſos expedire non poterant: mox amice compulſi, frequentes affuerunt,

fuerunt, & paulatim ita sacræ concionis voluptate capti, vt vberes fructus sint cõsecuti. Nam ab ijs impetratum, vt inueteratũ odium, & inimicitias, quarum causa multis annis sacra se communione priuarant, deponerent, confessione peccatorum non sine lachrymis animos expurgarent, repudiarent cõcubinas, aliena restituerent, omnem iurandi licentiam præscinderẽt; quod & tanta facilitate fecerũt, vt in stationibus multam iurãti, sublatâ omnes manu, vnâ voce decernerẽt: multa verò fuit quinquies iterata recitatio orationis Dominicæ, pariterque salutationis Angelicę, ante crucifixi imaginem, quam in singulis stationibus proposuerunt.

COLLEGIVM TORNACENSE ET Probationis Domus.

VEtus est castrum in Domo Probationis in antiquæ vrbis mœnibus, vulgo Gracculorũ & Gallo ab amœnitate sic dictum, quod quia erat à communi nostrorum habitatione seiunctum, cum hortulo, & cubiculis aliquot destinatũ ijs fuerat, qui ad primam probationem, & exercitationes B. P. N. ventitant. A multis autem annis compluribus idoneis è numero nostrorum authoribus, auditi in eo loco strepitus & fragores varij de nocte. Visa nonnunq; spectra, quæ locum illum suspectum & terribilem reddiderunt. Ornatæ plerumque mulieres visæ de nocte, alias verò nudæ. Is qui tum erat nouitiorum magister, contempsit, eiusmodi falsas imagines turbatorum arbitratus esse tironum. Alias statura gigantis vmbra quædam apparuit, & mox ex oculis aspicientis euanuit. Aliquoties expiatus est locus,

cus, sed non adeò cessauit infestatio; quin subsequentibus annis iterum grassari cœpit, frequentius & omnia, maiori quam antea stridore complere. Anno millesimo sexcentesimo quarto, Sacerdotem quendam ibi dormientem suscitauit nō semel: discedens cubitum deposuerat in mensa rosarium, quod acceptum dæmon in abstrusum anguium cubiculi cōijcit, inde graui ac lento gradu pauimentū cubiculi pulsans inambulat, precarios rosarij globulos putasses decurrere: tāto strepitu & stridore alia ex alijs grana demittebat. Anno item subsequenti Sacerdos alter, sacris commētationib⁹ dans operā, importunis laruæ huius eiulatibus, & crebris nocturni spectri occursibus adeò agitat⁹ fuit, vt iterata sæpe Iesu & Mariæ nomina inclamans, execrationes etiam quanta potuit vocis mentisq; cōtentione addiderit, tergū insuper flagro diuerberarit, vt sic vel dæmonē à se vel timorem propulsaret. Affirmauit idē sæpi⁹ se conspicatum canē fuisse, vel felem è lecto suo in cubiculum desilientē, ac se puncto temporis (occluso tamen cubiculi ostio) ex omni aspectu subducentem. Vertente anno millesimo sexcentesimo sexto, ob nimiam tironum aliquādo frequētiam diruta suprema veteris illius castri ruinosa parte, exædificata sunt aliquot peropportuna cubicula, magno cum domus vsu, tum eorū qui ad primā probationē veniunt, commodo: tunc multò quam antè spiritu locus infestior, & certò intuitę suę præsentiæ argumento tragædiæ telam orditur, sub horā vespertinā cum cubitū concessissent omnes, strepit⁹ videlicet insolitos & variū cōcitat murmur, nūc acri⁹ inambulat, nunc violēto vngularū attritu

radit

radit ostia cubiculorum, cuius vlulatu personant omnia, velut feræ, quæ caueæ includatur angustijs. E nouitijs quidam experrectus est, qui vt pessulum moueri, ostiumque vngulis impeti violenter animaduertit, extimuit; & quod solent timore perculsi, confugit ad preces. Deum Diuosque omnes inuocat, Authorem metus dæmonem vi nominis SS. Trinitatis remittit ad Magistrum Nouitiorum. Nō paret nequam, sed maiore quam vnquam strepitu grauissimæ molis in terram deturbatæ immanem edidit fragorem. Hic arma iuuenis rapit, altera manu Deiparæ imaginem lecto affixam, flagellum altera, illam prem t ore, hoc tergum diuerberans socios inclamat: surgite, inquit, Fratres, & fidentes accedite, nihil hic quod extimescatis. Expergiscuntur duo tandem & aduolant, vt Fratrem sua præsentia, iunctisque precibus pauore iacentem erigant. Inde recitatis litaniis ad Magistrum Nouitiorum se conferunt, á quo confirmati reliquum noctis in quodam cubiculo transegere. Subsequenti luce rumor hic totam domum peruagatus, multorum turbauit animos. Ergo Magister Nouitiorum frequentibus Auditoribus, iuuenem nocturnis terroribus exagitatum, rei gestæ historiam iubet exponere: quaintellecta ridet nimiā timiditatem, dæmonis terriculamenta ijs præsertim, qui Dei essent obsequio mancipati, contemnenda demonstrat: & vt ex omnium animis impressas imagines, & timorem expellat, ex D. Antonij vita dæmonis imbecillitatem docet, Religiosos decere animi magnitudinem atque constantiam, maioriqueim Deum fiducia esse debere, quam vt nocturnos dæmonū

monum rugitus exhorreſcant. His erecti tirones aliquot petunt in caſtro pernoctãdi facultatem, inter quos animoſior cæteris Coadiutor quidam, puſillo aliorum animo reprehenſo, ſe contra malos ſpiritus ducem fore, non alacrius pollicetur, quam exequitur. Audacter enim caſtrum introiens animo ſecuro, altoque ſomno, cum reliquis ibi primã noctem exegit. Poſtridiè antequam luceſceret, ex domo petita decentiori veſte, qua ad ſacram menſam accederet, reuerſus pedem caſtro vix intulit, & ſenſit omnia repentino ſtrepitu commoueri, ambulationes concuti, ſtriduloque murmure totam domum perſonare, ſubſiſtit, & admota lucerna cũcta penitus explorat, cum ecce viſu horrendum animal hirci figura nigerrimi è turris gradibus in infimum caſtri locum præceps deuoluitur. Tum vero perterritus ad Magiſtrum Nouitiorum regreditur, qui eum magno animo eſſe iubet. Inde ſic excitatus & erectus eſt iuuenis, vt loco noua ſacrorum carminum vi munito, ereptum dæmoni imperium crederet: & repetita latinè, vt poterat, apud ſocios exorciſsimi formula, dæmoni ſi reuerteretur ſinapi obtruſurum ſe, non minus lepide, quam conſtanter aſſereret. Iniquiſsimè tulit dæmon tantos iuuenis ſpiritus. Quamobrem ſequenti nocte importuno pulſu ianuas impellit, quo omnibus ſuſcitatis è ſomno, timideq; auſcultantibus ad Coadiutorem, qui Ducem ſe contra ſpiritus præbuerat, ſub horam tertiam matutinam omnis dæmonum vis conuertitur. Oſtium primo violentius nequam impetit, pulſat frequentius, peſſulum agitat, ſimulat ſeſe aperire non poſſe: iuuenis è lecto vociferari quis eſſet?

ſet? quid vellet? ad Magiſtrũ Nouitiorum mittere; ille contra pulſando oſtio perſeuerare, & agitando peſſulo: tandem cum iuuenis nominis Ieſu & Mariæ vi pelleret à ſeſe, ſumma vi in cubiculum irrumpens omnia huc atque illuc diſcutit, laternam velut chartam complicat, veſtẽ lecti ſtragulam, lecticã loco violento impetu dimouet, eamq; toga implicatã oſtio arctiſsimè alligat: feneſtram in medium cubiculi, veſtem in hortum proijcit, pendentem è feneſtræ cruce thoracem relinquit, nihil denique, excepta ſacri Agni cera, ſuo non deturbat loco: tandẽ ſulphuris, nitriue grauis fœtor, & ingens quaſi lapidum fragor tragœdiam concluſit. Tantus ſtrepitus & concuſsio fuit, vt labefactis fundamentis, domus tota præcipitem caſum à culmine minitari videretur. Alij qui ibidem dormiebant, celeriter aduolant, ad Fratrem prope timore exanimatum, dulciſsimumq; Ieſu Mariæque nomen iteratum ſæpius exclamantem, quem verbis & ſua præſentia conſolantur. Ille vix vllius ſolatij capax, adeo graui terrore perculſus erat, vt malum redundaret in corpus, tertioque aperta vena nè ſanguinis quidem gutta manaret. Vt reſpirare per tempus licuit, multò quam ante generoſior, eodem in loco, exigere, ſi permittatur, totam hyemem conſtituit, vt reſũpto ſpiritu imbelles dæmonum conatus eludat. Audita hac tragœdia communi Patrum conſilio, poſtridiè ſacrum in primario cubiculo factum, deindè proceſsio, per omnia cubicula & ambulationes inſtituta, in eaque delatum venerabile Sacramentum, indictæ preces quadraginta horarum. Inter quæ mirum quantus in omnium animis excreuerit ardor &

dor & fiducia decertandi cum dæmone. Tanto spiritu fuit quidam incitatus, vt intempesta nocte, nemine conscio, fastigium solus conscenderit, prouocaritq; dæmones ad singulare certamen: descenderent modò & si quid esset virium liberè exercerent, paratum se diuinaq; ope tectum, tenebricosæ potestatis furias, & inanes dæmonum sibilos contemnere. Sed non sunt ausi Principes tenebrarum cum filio lucis in arenam descendere. Pulsi tandem victique, vt speramus, terga verterunt, quietemque nobis vel inuiti concesserunt.

Sed præcipuum nomen Societati peperit Mildeburgi vrbe Flandriæ in milites illic in hybernis agentes labor impensus. Eo namque ablegati sunt Sacerdotes è Probationis Domo, quorum primus congressus fuit cum hæreticis quadraginta, vel circiter, ad fidem conuersis, duobus exceptis maiori opinionis suæ pertinacia obduratis: quorum alter Sacerdotem nostrum prouocauit ad publicum de fide certamen: sed vbi descendit in puluerem, nihil potuit, nisi ex Aristotelis Ethicis pauca depromere: absoluta verò disputatione vel nostris vel alijs nusquam apparuit. Edocti signo ad Angelicam Salutationem dato, genu flexo B. Mariam salutare. Pijs colloquijs, ab vsu carnium ipsis Quadragesimæ tempore concesso, sponte se abstinuerunt. Iuramenta magna ex parte sublata, nemine cuiuscunque ordinis cum iurasset propositam pœnã recusante, multis etiam eam sponte exigentibus. Reconciliatis multorum gratijs, ortum est vnum de principatu certamen. Anceps & ad componendum difficile partibus obstinatis, & factiosi nonnulli maiores etiam

tiam admouebant faces. Nihil Sacerdotum (qui plurimum semper apud Hybernos valent) interceſsione moueri, nihil religione noctis, qua Chriſti paſſio recolebatur, ab impio furore cohiberi: iamque alter duorum cum tota cohorte, expeditis armis & tormentis igniuomis, haſtiſque obuerſis alterum vna cum ſocijs ex aduerſo maturantem præſtolabatur ad necem. Hora vndecima noctis aduocati Patres, eo propè nudi conuolant, quorum tamen eos obſecratio, nihil commouit oratio. Iacens igitur alter ad pedes, fienſque Chriſti Paſſionis memoriam proponit, commemorandiſque verberibus & vulneribus, quæ Chriſtiani ea nocte ſponte acciperent, totius anni crimina vindicantes, adeò efferatos mitigauit animos, vt in terram abiecti duces inde vltro citroque in amplexus ruerent: quoque firmior eſſet fides reconciliatæ gratiæ, in oculis ſuorum Euchariſtiam, pignus pacis, lachrimates ſuſcepere poſtridiè. Leuata grauis etiam eorundem Hybernorum inopia, ſumptis ab Epiſcopo Burgenſi, & quatuor membris Flandriæ acceptis commodato duobus florenorum millibus, quoad perſolueretur militare ſtipendium, datis præterea à Comite Federico quadringentis florenis ad emendos ſulphureos pulueres.

COLLEGIVM AVDOMARENSE.

VBeres animorum fructus Pauli Pont. Max. liberalitas attulit, cum Eccleſiæ theſauros aperuit fidelibus vniuerſis. Numerata ſunt ſex eorum millia, qui in ſacra æde noſtra pane cœleſti reficerentur. Ad pietatem excitandam decretæ ſupplicationes

nes quadraginta horarum, quæ magna populi celebritate peractæ, & vocum & omnium instrumentorum voluptate, multique testati sunt, se nihil vnquam aut vidisse splendidius, aut audiuisse iucundius. Postremò imago B. Virginis Aspricollis de quercu ab Episcopo solenni ritu consecrata, populoque ad venerandum proposita. Excitauit illa Religionem multorum, ac liberalitatem: nec defuerunt adhuc populi benignitate votiui cerei, qui cõtinenter arderent.

COLLEGIVM ANGLICANVM.

MVlti magni ingenij & expectationis Adolescẽtes studia ob inualetudinem & immodicos calores naturæ suæ aduersos, intermittere, & regionem deserere coacti, hic tamdiu benignè diuersati sunt, donec ipsis alibi prouisum esset. Quidam è nostris Sacerdotibus pro fidei propagatione in magnum discrimen adducti, huc confugientes à nobis recreati sunt, & ad tutiora transmissi. Ex eo numero is, qui grauissimis laboribus exhaustus, & ita morbis agitatus, vt animam penè ageret, diligenti cura & charitate paucis hebdomadibus ita conualuit, vt idoneus esset ad conficiendum iter longissimum.

Duodetriginta, quâ Sacerdotes, quâ Laici, multique canitie venerandi, pro fide Catholica in eximium è carcere deportati, cum primũ vnâ accubuere nobiscum, disciplinam domus eximiam, & exercitationes literarias vehementer admirati sunt. Horum qui natu maximus videbatur, tanta voluptate perfusus est, vt in familiam ascribi enixè contende-

ret, existimabat enim se beatum futurum, si voto potiretur, & vitam apud nos terminaret suam. Idé paulò pòst incidens in morbum Collegiũ hoc largis muneribus donauit, quasi Symbolo amoris sui. Eas laudes alij prædicabant, quas verecunda modestia scribi non sinit. Sed cum Domus arcana habent spectata & cognita, cum eos qui vix humanitatis limina salutarunt, de quauis re nec præparata, nec meditata Græcè & Latinè (quod ipsum apud hæreticos, qui dé cognitione linguarum gloriari solent, admirabile est) disserentes audiunt, tum demum mirari non desinunt. Iam si Musicã spectes, voce & neruis, omnes ad vnum ferè canunt: nec est vllum instrumentorum genus, cuius vsum non percalleant. Quamobrem omnis ordinis, nationis, & Religionis homines, qui hac iter faciunt, populares, Nobiles, Legati Principum horum permoti gloria, prius vrbe discedere nolunt, quam hucad ista visenda & audienda diuerterint. Neque satis mirari queunt Adolescentes alioqui doctos, & studio litterarum deditos, tot & tam variorum instrumentorum scientia præstantes.

Neque sunt minus à bonis moribus, & pietate laudandi; tanta modestia, tantum silentium siue in Museo communi, siue conclaui, siue cubiculo, vt ibi neminem putes: tam frequens Sacramentorum vsus: voluntariæ vitæ asperitas, tam sancta contentio ministrandi rebus diuinis, vt à Religioso vix aliquid maius expectes. Quare non est mirandum, si tam multi nuntium rebus humanis remittant, & ad accuratiorem vitæ normam se conferant.

Hoc anno præterea in solennia sacra, precesque vesper-

vespertinas consuetudinem Romanarum cerimoniarum induximus, quibus & rebus diuinis splendor additur, & iuuenes ijs exercendis pietatē multorum accendunt. Hinc sacra supellex multum augetur, dum his permoti plures hac iter facientes in eam liberaliter conferunt. Hinc Nobilis Anglus inauratum calicem pulchrum & elegantem dedit. Mulier Angla Nobilissima pretiosissimam casulam argento intertextam, aliaque id genus ornamenta: alij vniuersum sacerdotis & altaris ornatum.

In familiam admisimus plures viginti, nonnullos grandioris ætatis, & annorum penè triginta, qui relictis parentibus, spretis opibus, summis precibus huc se recepere, vt liberius Deo seruiant, & subueniant oppressæ patriæ. Et quidem adeo demissi & obsequentes sunt, vt obedientia, modestia, & obseruatione disciplinæ minimis etiam omnibus præstent. Alij contra minores sunt, quam vt per ætatem huius discliplinæ capaces esse videantur, sed visa indole, & nè vitio fortè nostro perirent, in communē cœtum ascripsimus. Ex his vnus, qui in fabulis Regi Gallię & Principibus datis, inter cæteros Anglos laudabiliter partes suas egerat, ab hoc vitæ genere magno fastidio alienatus, iter in patriam instituit, manifesto fidei periculo, sed incidit forte in quosdam Belgos, qui eum ad Collegium nostrum rectà deducunt, eoque ibi relicto susceptum iter persequuntur. Puer notatis & obseruatis omnibus, supplicauit in Collegium admitti, qui quia videbatur ingenuus, vnâ omnium voce in alumnorū cœtum cooptatus est, omninoque videtur missus ad gerendas olim res magnas, atque præclaras.

Ex ijs nostræ Societatis hominibus, qui pene singulis annis ex Italia, Hispania, Germania venientes ad tempus hoc in loco subsistunt, vt à longa itinerum defatigatione releuentur, & auxilio iuuentur, antequam vel aliò, vel in Angliam transeant, prouinciam periculosam, grauem & duram, tres ablegauimus, viros doctos, & pios & ad munia Societatis aptissimos, duos in Angliam, quorum alter cæteris præficiendus est, tertium ad castra, cui mors paucis mensibus, quam qui est in hac vita, meliorē statum attulit.

Ex his Patribus qui nuper exularunt, hic commorantur duo, vsitatasque Societatis functiones obeunt quorum alter, cum sit pietatis & sanctitatis gloria clarus, quid egerit, passus sit, lubet pauca ex literis eius ascribere. Ego, inquit, cum in arctissima custodia multis conuitijs & iniurijs exagitatus annum exegissem, repente à custodibus meis eductus è carcere, & in ripa fluminis, vbi nauis ad me & alios exules exportandos in exilium, parata stabat, positus sum: ibi licet frequentissimum vulgus in nos omne maledictorum genus petulantissime non modo iactaret, sed lapidibus etiam appeteret, tamen multi Catholici nihil horum veriti, sed quodam modo sui & suæ salutis obliti, adeo fortes & constantes fuerunt, vt in cymbas, & nauigiola ingredientes nos ad nauem deducerent. Hæc licet parua, longiusque distabat à littore, tamen quotquot illo modo potuerunt, Ignobiles, Nobiles, tum viri, tum fœminæ, nobiscum eam conscenderunt, vt nobis valedicerent, & solum genibus omnes contingentes faustā precationem acciperent. Cō-

plures

plures præterea viri insignes, ac matronæ summo loco natæ Thamesim naugarunt, vt nos salutarent, recrearent, & ad celerem nos reditum inuitarent. Viginti pene milliaria nostram comitati nauim, ad eius latus nunc blande colloquebantur, nunc in ipsam egredientes vinum & alia necessaria inferebát. Hæc de parte litterarum illius.

Mulier Nobilis diuturna febre iactata, nulla alia medicina, quam confessione peccatorum, omninò præter omnium spem & expectationem conualuit. Alius hac iter conficiens Ecclesiæ reconciliatus est, qui tantos inter confitendum sustinuit impetus dæmonis, vt respirare, interrumpere sæpius cogeretur, tametsi bene validus esset atque robustus, sed consilio opportunisque remedijs rẽ perfecit magno suo gaudio, perfregitque vim dæmonis.

P. Henricus Garnettus apud bonos in Anglia decus & ornamentum nostræ Societatis, cum Londini ante D. Pauli templum ciuitatis maximum productus esset ad mortem, & in sublimiore theatro, ad maioris infamiæ notam ab hæreticis positus, Adolescens tunc mercator, iam alumnus Anglicani nostri Collegij, magna tum à se, tum â pia quadã martona cupiditate incensus est, aliquid aut corporis, aut sanguinis ipsius Martyris auferendi, quod reliquiarum loco veneraretur. Atque vt desiderio suo faceret satis, industria diligentiaque perfecit, vt per mediam turbam ad ipsum theatrum eniaderet, vbi incredibili animi sui voluptate Martyris ipsius maximam partem factorum notauit, atque dictorum. Multis egit, inquit iste, Deo gratias, quod reseruatus esset ad obeundum genus hoc

mortis eo die quo memoria Sanctæ Crucis, cui maximè semper addictus fuerat, recoleretur à Sancta matre Ecclesia: quin etiam impensè Deum rogauit in ipso mortis puncto, vt nunquam pateretur eam à corde diuelli. Nec irritas fuisse preces apparuit; nam deijciẽdus è scalis ita brachia complicauit, vt formam Crucis exprimerent, altera manuum in corde posita, & contra naturæ ordinem eandem figuram, non solum vsque ad extremum spiritum, sed etiam post mortem retinuerunt. Eo mortuo dum carnifex, vt mos est, corpus in quatuor partes in stramine diuidit, & partes easdem, caputque & stramen in vas conijcit, subitò cruenta spica cum calamo dimidij pedis, in manum huius Adolescentis incidit, vnde vel quo modo cecidisset ignarus; quam ille magno perfusus gaudio, religiosè ad illam mulierem detulit, quam & ipsa pari honore ac reuerentia inclusit in vas crystallinum. Tribus inde, quatuorue diebus ad eam salutandam vir bonus & Catholicus venit. Huic illa pretiosum quoddam domi suæ pignus habere se dixit, eique videre cupienti crystallo spicam inclusam exhibuit. Hic ille intentis oculis intuens, quod prodigium, inquit? nihil enim video præter os hominis, & vultum illo cum viro & eodem Adolescente, qui domi fortè tum aderat confestim aduolat, & ita sicut ille dixerat, se rem habere perspicit.

De hac eadem spica vir quidam grauissimus testisque locupletissimus, ad P. N. Rectorem in hanc sententiam scripsit. Vnum propè excideram lectu dignissimum, & ad aduersariorum dedecus, Dei, Patrisque Granetti gloriam sempiternam. Hic Lõ-

dini

dini Matrona quædam proba & Catholica, stramen habebat ex ijs vnum, quæ sanguine Martyris tincta sunt, quod dum acriter intuetur, & amicis quibusdam suis religiose ostendit, animaduertunt in spica os & effigiem hominis, oculos, nares, barbam, collum, & in fronte crucem, ac stellam, tam accuratè expressa, vt melius nullo artificis penicillo quicquam adumbrari possit. Viderunt innumeri Catholici, viri, fœminæ, Nobiles, Sacerdotes, nec non & hæretici quidam, omnesque qui Patrem Grannetum norant, eum hac imagine designari perfectissimè dicunt. Vidit Legatus Hispaniarum, qui pro stramine voluit sexcētos aureos nummos persoluere. Vidi & egomet inter cæteros hisce oculis author harū litterarū, Deumq; in hoc opere summè laudandum existimo, qui facit mirabilia magna solus. Iam ad Regis aures & consiliariorum huiusce rei fama peruenit, solicitique & anxij sunt admodum Catholici de illius thesauri custodia. Hæc ille.

Commemorat etiā idem Adolescens nasci gramineam coronam in area domus illius, in qua capt⁹ fuit Beatus hic Martyr, & licet à pecoribus ibidem cætera depascantur omnia, illa tamen ab ijs nunquam attingitur, quæ res locupletissimis multorum & magnorum testimonijs est comprobata.

Expetita multis annis, sed varijs modis impedita, domum hoc anno Authore R.P. Prouinciali B. Virginis instituta Sodalitas, sed quia res aliter perfici non poterat, suasit vt omnes in eandem aggregarentur. Eò Collegium donauit elegantiB. Virginis Aspricollis imagine, quam ipsemet sub sacri fi-

cium sollennemque supplicationem deferens, in ara Academiæ Studiosorum decenter admodum collocauit. Quæ res adeò cunctos ad pietatem accendit, vt vesperi quando discedendum est cubitum, ab altari in qua ponitur auelli nisi cum dolore non possint: ac plerique sibi persuadent, quibusdam morbis quibus antea iactati sunt, ope B. Virginis magna ex parte liberatos, & breui omnino liberandos.

Diu multumque deliberatum est de sacello, ad confessiones Anglorum, maximè mulierum excipiendas, ad instituendos doctrina sacra milites, & alios hanc vrbem transeuntes, exstruendo, nec ad hunc diem decerni quicquam potuit. Quis enim locus in tantis angustijs, vbi centum viginti degũt, reperiatur: idem R. P. Prouincialis vniuersa domo perlustrata, quoddam ædificium designauit, quod nulli vnquam venit in mentem; inde extempore sacellum in honorem B. Thomæ Cantuariensis eo auctore constructum est, altare positum, cæteraque omnia pro locorum angustia tam accommodate, vt sacrum omniaque diuina officia cantari possint; voce, neruis & organis. Angli repente frequentes, cum viri, tum fœminæ conuenêre ad audiendam rem diuinam, conciones, ad percipienda Sacramenta.

Quidam è nostris domesticis Natali B. P. Ignatij die, graui morbo inter sacras epulas releuatus est, cum se religiosè & impensè Deo & B. P. commendasset. Alius intestino graui molestia in alterum naturæ locum descendente, profectus ad Asperum Collem, ibique se Deo & B. Virgini commendans,

ita

ita sanus, & incolumis redijt, vt morbi vestigium non appareat.

COLLEGIVM DVACENSE.

ACcessêre quatuordecim Christi Domini Deiparæ, Apostolorumque statuæ sectolapide sacræ supellectilis additamentum, quibus multum illustrantur templi columnæ: singulę septem pedum magnitudine, & artificio pereleganti visendæ. Præterea, insigni opere picturæ tres, quarũ vna quadringentis florenis, aliaque ornamenta, quę vniuersa quatuor florenorum millibus æstimantur. Proposita est effigies Deiparæ de quercu eiusdem Virginis Aspricollis, quæ magna supplicantium studio, donarijs etiam quamprimum coli cœpta est, et eius in dies cultus augetur.

Extitit in militê quendam singulare diuinæ prouidentiæ, & benignitatis argumentum. Cum in exercitu perditissimam vitam egisset, omni flagitio coopertus, de sua salute desperans omnibus modis odiosam vitam sæpius conatus amittere. Aut enim in medios pugnantium gladios se conijciebat, aut adibat aperta vitæ pericula, quæ in vrbis obsidione in qua stipendia merebat, plura occurrebant: triginta nonnunquam, sæpe etiam plures è commilitonibus hostium telis in eius oculis & aspectu cadebant, solus ipse qui mortem quærebat, viam mortis inuenire non poterat. Deus enim, qui non vult mortem impij, oblatis mortis occasionibus restitit. Tandem aliquando cœlum suspexit, & Dei clementiam, quam infinitis sceleribus irritasset admirans, O Deus, inquit, perire volentem non finis,

vt ad

vt ad frugem me recipiam. Itaque militaribus positis insignibus Duacum abuolauit, vitaque omni summa dolentis animi significatione Sacerdoti nostro exposita, religiosæ militiæ se mancipauit.

Diuæ Virginis è Studiosis conflata Sodalitas licet maiori frequentia iam olim fuerit in duas diuisa partes, sic tamen excreuit, vt in tres diuidi necesse fuerit: vnam quæ Theologiæ & Iuris, alteram quæ Philosophiæ, tertiam quæ Rhetoricæ, & minorum facultatum Auditores complecteretur. Illa suprema centum quadraginta numerat, è quibus eam expetere quidam hac felici necessitate compulsus est. Iter faciebat cum Socio, qui repentino morbo laborante, substistere cogitur, & imminente iam morte per syluam latrocinijs infamem, & tum maximè infestam in viam se dare. Hic humanis destitutus præsidijs diuinam opem efflagitat, vouet, si incolumis euadat, Sodalitati nomen se daturum: & ecce velut hostibus inuisus medios hostes pertransit, summoque omnium stupore, periculo ereptus est, & voti reus, in Sodalitatem ascriptus.

Postrema Humanioris litteraturæ centum quinquaginta. Est & alia Societas, quæ Religiosos habet triginta quinque; aliæ omnium Sanctorum nomine è Sodalium B. Virginis flore collectæ: nam è viginti in Societatem ingressis vnus duntaxat hoc cætu non fuerat.

Ea verò quæ est ciuium, primarijs centum & quinque viris constitit, qui Nosocomijs adeundis, reficiendis ægris, hisque ad suscipienda Sacramenta incitandis, componendis sua auctoritate discordibus, egregiam nauarunt operam. Horum demum

tam

tam vtilis & fructuosus est labor, vt in vniuersam ciuitatem redundare nemo non intelligat.

Scholæ frequentia, & Nobilitate floruerunt. Theologicæ centũ ferè; Philosophicæ habuêre sexcentos, aut non multò secus: inferiores circiter quingentos. Effingendis ad probitatem horum animis, præter vsitatam Catechismi explanationem, variis in Scholis, & Sodalitijs, Latinæ exhortationes habentur.

Artium Magistri, quot antea nunquam, centum & septuaginta quatuor facti sunt: & sensim exoleuit illa opinio, qua vt quisque optimo loco natus esset, ita Magisterium maximè dedignaretur. Etenim multorum primæ Nobilitatis exemplo, qui tum superioribus, tum hoc anno Philosophicam palæstram suis certaminibus publicis, vt priuatis ornarũt, & nostra diligentia suam apud omnes ordines obtinuerunt dignitatem.

Octo ex eorum numero ad Capucinorum cœtũ aggregati, triginta duo ad Societatem animum appulerunt, quorum viginti ad tirocinium sunt missi, omnes corporis animique dotibus, etiam plerique fortunæ munere præstantes. Iucundiusnè porrò nobis, an mirabilius toti Academiæ fuerit spectaculum, non facilè dixerim; cum postridiè suscepti Magisterij quindecim lectissimi iuuenes in Tornacensem Probationis Domum profecti sunt?

Nostros labores sibi probari luculento testimonio declarauit ciuitas: cum enim ad leuandas rei domesticæ difficultates, subsidium Magistratus implorassemus, vnaq; nociscum plures, ac potiss. mũ tres è Medicãtibus Ordines, nobis solis octingẽtos flore-

florenos annuos ad triennium liberaliter conceſſit.

COLLEGIVM TRAIECTENSE.

VNam & alteram Domum diu quæſitam, nunc tandem aliquando poſsidemus, hunc ædificiæ quam extruimus aptam & neceſſariam. Noſtris autam deliberantibus, quis eius initium duceret, Illuſtriſsimi Marchionis Spinolæ Catholici Ducis Exercitus opportunus in hanc vrbem aduent⁹, omnē dubitationem ſuſtulit. Nam à P. Rectore ſalutatus, rogatusq; num futuri templi initium facere vellet, ille facturum libenter ſe recepit. Quia vero feſtinabat, & exercitum ducebat in hoſtem, punctoque temporis maximarum ſæpe rerum momenta vertūtur, prætermiſsis dramatis & ſolenniori pompa, Dux Marchio primum fundamenti lapidem, non ſine geſtientis animi ſignificatione iecit. Ciues quoque rerum aduerſarum, & fortunæ tenuioris obſiti quoddammodo, conceptam inde lætitiam ſua benignitate declararunt.

COLLEGIVM LEODIENSE.

VT à Parthenio ducam exordium, quidam Sodalis vt à probitate vitæ commendatus, ita mirabili quadem morte defunctus eſt. Cum grauī diutornoque morbo fuiſſet afflictus, ea nocte quæ ſupremum vitæ diem antecesſit, eius cubiculum ingreſsi ſunt frequenti numero dæmones terribi pectuq; deformes; omneſq; fere ſedentes in equis. Vt formidoloſ⁹ fuit eorum introitus, ita magnus animo terror iniectus eſt: maximè cum duo vel tria obie-

obiecerunt crimina, quæ sese iam olim admisisse cognouerat. Sed magna vis est pœnitentiæ, vt qui rectè peccatorum maculas deleuerint, in eius præsidio lateant atque tutela. Igitur postquam recordatus est horum, dixitque se omnia repetitis confessionibus expiasse, ita subitò ex oculis turba omnis euanuit, vt omnis animi perturbatio submoueretur. Nam succedere canditati, qui cœlesti sine dubio lumine circumfusi, ita recrearunt ægrotum, vt iam particulam diuinæ lucis prægustare videretur. Cæteri quidem ex illo cœlestium numero, neque signum dabant, neque vocem mittebant, sed is, qui assidebat ægroto, qui & Angelus Custos fuisse creditur, clara voce moriturum eum dixit eodem illo die, cum hora sexta iam instaret. Ille interpretatus horam quæ hyberno tempore diei postrema est, vt monitus erat, ita se parauit ad mortem. Nam Sacramentis munitus, ita rerum humanarum curis fuit solutus ac liber, ac si nunquam vixisset in terris. Fatigabantur omnes, qui aderant monendo & consolando, solus audiendo non fatigabatur. Sacerdotem subinde respirantem incitabat, monebatque nè se desereret tali in re ac tempore, horam imminere, qua certo nuntio se moriturum acceperat. Crebriores interea preces iterabat, sed potissimum ad B. Virginem; identidem recitabat illam solennem Sodalitij formulam, quam memoria tenebat, atque ita diem exegit. Denique vt ante visis constaret fides, ea ipsa hora quam denunciarat Angelus, animam tranquillissimè cæpit agere, & imminente sexta discessit è vita. Mirati sunt quicunque viserunt ægrotum

tum, dicti veritatem atq; constantiam simulq; didicerunt quantũ interſit humanæ ſalutis rectè laudabiliterque vixiſſe.

Foſſæ Leodij ſunt immenſa quadam altitudine depreſſæ, è quibus eruitur atra quædam aclapidea, ſulphureaque materies ad ignem aptiſsima, ſedaquis ſemper infeſtæ. Iis igitur hoc anno ſubitò erũpentibus, qui ſe eo demiſerant, homines omninò centum oppreſsi, ſequuta eſt viduarum atque pupillorum tota vrbe lamentatio: noſtris authoribus excitati Sodales ad leuandam miſerorum egeſtatem: & qui locupletiores fuerunt, primum de ſuo tribuêre ſubſidium, ijdem ipſi deinde vicatim corrogauere ſtipem, magna omnium comprobatione & publico gaudio, ac inopiæ miſerorum abunde proſpectum.

Nec illud memorabile Religionis exemplum ſilendum puto. Erat imago Crucifixi in ponte domui noſtræ vicino poſita cuiuſdam Sodalis impenſis. Illam hæreticus homo non maledictis tantum, ſed famoſo etiam libello violarat. Nam congeſtis vndique depraua tiſque ſcripturę locis idololatriam Catholicorum notabat, &, quod auditu deteſtabile, Crucifixum idolum vocabat. Dominicus dies opportunus aderat, vi'um eſt P. Rectori vt concionator in æde ſumma, frequentiſsimo populo immane ſcelus, & minime ferendum in ciuitate Catholica gratuiter accuſaret, Magiſtratus omnes ad vlciſcendum incitaret, reſtituendumque honorem Deo debitum. Non iudicarunt expedire tunc illius Eccleſiæ Principes, nec erat illo die commodum. Cum ergo diluxiſſet dies, qui conceptæ Virgini

gini sacer est, quo frequentissimo ciuium, ac Sodalium Conuentu Domus nostra celebratur, duo è Sodalibus ardentes faces ad Crucem vtrinque tenuere à prima luce in vesperam. Peractis vsitatis ipsius parthenij cærimonijs, solenni pompa, ad pontem & Crucifixi imaginem processum est, & collectis vndique optimis symphoniacis, quibus abundat ciuitas, diuina pene symphonia data est. Nunquam antea Leodij in vllo publico Conuentu, vel ciuium frequentia maior, vel pietas ardentior. Erumpebant ex oculis multorum lachrymæ, & quamuis acerrimum frigus vrgeret, & tenebræ; defixis in terram genibus, collucentibus facibus, maximo silentio horam orando traduxerunt. Cum cœtus ille dimissus est, faustæ precationes & acclamationes auditæ, vocesque gratulantium, quando sceleris auctor proferri non posset, esse Deo debitum tamen honorem restitutum. Sed neque finis hic fuit, vrbis enim Pastor quidam proximo Epiphaniæ festo die, cum ad Sodalitatem veniret, suos omnes duxit, qui easdem illas Cærimonias omnes instaurauit. Quod sane mirum fuit eo die, quo solēt more patriæ homines agitare cōuiuia.

Veniamus ad Scholas, fuit enim quoddam iuuentutis nostræ facinus probatum ciuibus, vehementerque laudatum. Habitarant in nostra vicinitate meretrices, annis fortè quadraginta, cum nostro Adolescenti grauem feciſſent iniuriam, tota ad vltionem vicinia cōuenit, facinus indignum clamitans, ingenuum Adolescentem à meretricibus tam indigne tractari. Illæ parietibus se tegunt, sed effracta securibus ianua, fit impetus in domum,

male & ipsæ multantur: iubentur si vitæ consultum velint alio transmigrare. Illæ contra vim repellunt, iactantque contumelias, sed aduenientibus tenebris res differtur in posterum diem. Cum igitur illuxisset, signo ad scholas dato, adsunt frequentes iuuenes: tum illæ dispositis impuris hominibus eos adoriuntur, sed facile paucorum impetum sustinuit frequentia multorum, atque propulsauit. Denique irritata iuuentus ante coërceri non potuit, quam tota colluuies illa, non solum vicinia nostra, sed vrbe etiam esset eiecta. Nunc itaque latent illæ meretrices infami loco vix extra vrbem tutæ, scholasque nostras meretriciâ vicinitate liberarunt.

Veniamus ad cætera. Ad mulierem phreneticam Sacerdos vocat⁹ è nostris, hortatur vt Iesu Mariæq; nomen pronuntiet, & se crucis signo muniat. Sed inanis est labor: habebat sacrum forte numisma quod illi promisit, si vel Iesu vel Mariæ nomen, quod erat impressum numismatis, proferre vellet, quod subito mirantibus omnibus protulit, & signum Crucis formauit. Sed illud mirabilius, eodem numismate suspenso de collo, redijt ad sese repente, animoque sedato cum aspexit effigiem Iesu Mariæ vtrinque impressam, vix fecit osculis & lachrymis finem. Vt loqui potuit, vnde mihi, inquit, hæc magō? Qui aderant, à Sacerdote, inquiunt, Societatis Iesu, at illa: Seruabo, inquit, nam mihi salutē peperit. Nec temere locuta est: nā paulatim cōualuit mirantib⁹ medicis, qui ab eius salute penitus desperarant.

Singulare verò quiddam in quo salus vniuersæ ciuitatis inclusa sit, R. P. Prouincialis fecit. Diu eodio Princeps abfuerat, populo iustissima de causa, magi-

magistratibusque vehementer infensus. Negabat in vrbem venire se posse, nisi arbitrio suo multorum è potentioribus qui offenderant, capita cerui-cibus abscinderentur, aliaque grauia decernerentur cõsensu ciuium, ad confirmandã Principis auctoritatẽ. Senatus verò populusq; Imperatorijs sese priuilegijs tuebantur, nihil dignũ morte cõmissum videri, nõ esse Principis gratia priuilegijs derogandũ. Grauis controuersia & ad tollendum difficilis, alieno præsertim tempore, cum Belgium bello flagraret. Non deerant qui libere defectionem loquerentur. Vrgebat Princeps, nec consulibus quidem licebat causam dicere. Sed illud Senatui populoque fuit longe acerbissimum, quod non Leodij, sed Hui vrbe proxima comitia celebrasset. Cum se despici Leodienses viderent, sic exulcerati sunt eorum animi, vt eò præsentius exitium vrbi imminere videretur, quò propius à seditione res aberat. Neque deerant tali in re ac tempore, nouarum rerum studiosi, & (quod postea planum factum est) hæretici in speculis erant. Euocati passim multi viri magni nobiles & Ecclesiastici, qui suam auctoritatem interponerent, atque inprimis ipse Nuntius Apostolicus, qui tum in Italiam tendebat è Belgio: frustra tamen omnium susceptilabores. Venit illis in mentem R. P. Prouincialis, quem sciebant multum valere apud Principem gratia: qui licet Insulis vrbe Flandrię vsitatis negotijs distineretur, vocatus officium tamen à se deesse noluit suis ciuibus. Igitur biduo magnis itineribus hyberno tempore ad Principem venit, arduumque negotium suscepit. Iusta erat ira Principis, nec ciuium videbatur iniqua

defensio, cum præsertim optimates vocarenturad mortem. Perfecit hoc Pater, vt sua Principiquefide partes conuocarentur, vt cum vtrisque coram agi posset: Sciebat enim quibus modis regendatractandaque essent Leodiensium ingenia, diu multumque spectata & cognita. Dictis sententijshanc eis mentem iniecit, vt errati veniam postularent& vitam. Princeps vero commemoratis offensionibus suis, animo flexus tamen ac fractus, omnia rogantis precibus dixit se velle concedere. Affuit his vniuersa nobilitas, ijque qui ad arcem negotiorum causa venerant, omnibusque in Patrem familiaricui ac humanitas Principis fuit visa iucunda. Ecclesiasticis, nobilibus, optimatib? nudo capite, solus operire iubebatur, quo benigne modestiæ causa recognoscente, monitus tandem, vt, si obedientiam salvam vellet, imperio iubentis pareret. Vnus ad Principem, inde ad nobilitatem, tum ad populum accedebat, reosque ad Principis tribunal manu ducebat, vnus loquebatur impetrabatque omnia: cui Princeps agendas dixit gratias, quem Deus illo die velut pacis Angelum misisse videretur. Quid multa? omnino statuerat eo die Princeps nõ adire Leodium pressus angustijs temporis, eumque comitijs alibi expectantibus, victus tamen eiusdem precibus, eò se contulit recreaturus animos ciuium. Leodiensibus antea nunquam lætior illuxit dies, nunquam Princeps maiore ciuiũ celebritate acceptus, nunquam alias æquè lætari visus est, neque tam beneuole ac familiariter vnumquemque appellare: quin etiam inuitauit ad cœnam qui offenderant, & depositis animi doloribus celebrauit

cum

cum ijs omni hilaritate lætitiaque conuiuium. Sed hoc excelsi fuit animi & inuicti, sic iniurias condonare, vt nullam iracundiæ partem in se residere pateretur. Tam incredibilis fuit omnium lætitia cum Principe reconciliatæ gratiæ, vt centies morti vitam obiecturos pro eo testarétur. Taceo faustas acclamationes, & miram expectationem aduentus vtriusque in vrbem: incertum enim est, vtrum ille populus se tanta celebritate effunderet, vt P. Prouinciali bene precaretur, an vt Principi gratularetur. Nec inique tulit Princeps hunc alteri tributum honorem, imo lætatus eò magis, quo maiorem ad promouendam salutem populi nostris hominibus putaret auctoritatem. Postremo lætus hic dies ex S.C. relatus in fastos consulares, ad memoriam rei sempiternam.

De Missionibus vnum atque alterum subijciemus exemplum. Huum Leodio proximum est oppidum ad Mosam fluuium: vbi solebant cum ciues, tum Sacerdotes in templo cœnare, die Iouis cœnæ Domini sacro, tum verò temulenti, non sine multorum offensione domum redire. Instructâ cœnâ frequenti populo Sacerdos noster in concionem ascendit, cunctis rei nouitate mirantibus; curauitque non corpora, sed animos, ac sobrios dimisit, atque ita vetus illa cœnandi consuetudo, alieno tempore ac loco sublata est.

Est & Dionantum aliud oppidum ad idem flumen non infrequens: Catholici quidem ciues, sed vigilantissimus dæmon tres nefarios hæreticos, vnum medicum, alterum Ludimagistrum, tertium concionatorem, ad certam ciuitatis perniciem excitarat,

citarat. Fuit hic concionator monachus, posteaverò fugitiuus. Hi tres ipsi, cum essent ad nocendum aptissimi, conspirauerant etiam inter se, quo melius & facilius cogitata perficerent. Noster Sacerdos, quâ priuatim cum jis agendo, quâ quæ publicè dicerent, agerentve inquirendo, tandem patefecit eosque conuicit. Illi constrictam iam omnium conscientiâ teneri machinationem suam cum viderét, relatamq; ad Senatum, turpi fuga prius elapsi sunt, quam vel comprehensi tenerentur, vel in exilium pellerentur. Hæreticos verò libros quos distribuerant, omnes retulerunt, & erroris sui veniam petiuerunt.

COLLEGIVM IPRENSE.

HOc anno viam illam perduximus ad exitum, quâ Collegium à Virginum sacrarum domo seiungitur. Pridie verò nonas Maias ab eiusdem viæ latere iacta sunt fundamenta nouarum scholarum, quæ nostris ædibus cohærent magno studiorum commodo, & omnium nostrûm gaudio. Ædificium verò non confectum quidem, sed tantum affectum, & non modo firmum, sed etiam elegans, ad quod perficiendum non modicam pecuniæ vim magistratus attribuit, ad quam liberalitas etiam vicinorum aliquot oppidorum accessit.

Quod attinet ad templum, eius celebritatem auxit imago è quercu B. Virginis Aspricollis excisa, quam admodum Reuerendus Antistes Domus S. Ioannis dedicauit. Socij verò dedicationis & administri fuerunt è Sodalitio maiore Canonici Sodales, antiphonas alternosque Psalmos à symphoniacis ex

cis ex odeo canẽtibus. Instituta deinde supplicatio perambitum templi, vniuersa ciuitate ad ędem nostram confluẽte. Præibant discipuli nostri è minore Sodalitio bini, faces manibus præferentes: sequebantur è maiore primarij ciues; deinde Ecclesiastici tædis collucẽtes. Hos Symphoniaci vocibus alternis litanias B. Virginis Lauretanæ modulantes: tum pueri Angelico vestitu luminaria gestantes. Imminebat his Præfectus ipse Sodalitatis, aureo pluuiali indutus, ipsam Deiparæ imaginẽ in serico puluino circumferens: postremᵒ Antistes sacrã Eucharistiã in Hierotheca populo ostendens, quẽ nostri Patres & digniores ciues prosequebantur. Expleta supplicatione ab eodẽ Antistite, dũ canticũ Te Deũ, alternis organis, vocibusq; decantatur, in specioso pegmate, & in aurata quercu collocata est. Ea res magnum populi in Deiparam studium excitauit, & ad precandũ in ædem nostram conuocauit, ad consequẽdas indulgentias, quas Nuntius Apostolicus, ijs qui aut Deiparæ imaginem certis precationibus venerentur, antea impertiuerat.

Hic incitatus est Sodalis quidã è discipulis, qui grauioribus calculi doloribus torquebatur, vt antequam secaretur, profecturum se ad Aspricollẽ voueret, cumq; vacationum diebus voto se liberasset, omninò sanus redijt. Accepti beneficij publicum instrumentum ad Aspricollem misit, quod ibidem asseruatur.

COLLEGIVM BRVGENSE.

NOuem hoc anno eiurata hæresi Ecclesiæ reconciliati sunt: ex his quidam dum fidei Catholicæ summam profiterẽrur, tantam cepit animo

voluptatem, vt morbi cruciamentis liberaretur, & sensim viribus destitutus, ac Sacramentis instructus migraret in cœlum.

Mahometicam superstitionem deposuit, & in Ecclesiam cooptatus est Turca, quem fidei mysterijs aliquot menses à nostris excultum, Brugensis Pontifex in æde solenni baptismo initiatum, etiam chrismate delibutum, confirmauit. Octo sequentibus diebus ad templum nostrum canditatus venit, & sacrificio interfuit cereum ardentem tenens.

Sacer Domini cruor, Hierosolymis à Comite Flandriæ istuc allatus, anno Christi nati millesimo centesimo quadragesimo octauo, religiosè in D. Basilij æde seruatur. Huic propinqua domus inter pesta nocte fortui o arsit incendio. Prodigij simile est, licet enim vicina tecta flagrarent, & flamma turrim sacelli attingeret, in ijs tamen institit, neque est progressa longius. Interea ciuitas perculsa magno timore quem sic auxerunt quæ seruabantur in eadem vicina, pulueris tormentarij septem vasa vel octo, vt vix vllus ad extinguendum incendium auderet occurrere, sed omnes vniuersæ pene vrbis exitium metuētes, in remotiora secederent. Solicitus interea surrexit & (quod nunquam fieri solet, nisi turbulentis temporibus & defectione populi) de efferendis hisce reliquijs collocandisque in tuto cum primoribus Ecclesiæ consilium cepit: tū ad ædem nostrā velut securissimā deportauit, & in ara deposuit. Eo repēte nostri cōuenēre, & in precationibus, quoad occurreretur incendio, reliquo-ctem duasq; consequentes cuigilarūt. Tertio demū die idē Antistes è tēplo multo lumine illustrato discipulis

sepulis pene cunctis faces ardentes gestantibus, sacrum pignus retulit, & magna solennique pompa, supplicatione ac celebritate reportauit, & in suum sacrarium restituit.

COLLEGIVM ANTVERPIENSE.

PAulus Schodæus quadragesimum in Societate agens annum, dies quatuordecim graui calculi cruciatus dolore, excesit è vitâ, posteaquam magna suæ in B. Virginem pietatis documenta præbuit.

Accessit ad ornatum templi Crux eximia, septingentis auri scutatis æstimata, septem pedum, materia pariter, artificioque visenda.

Resipuerunt hæretici minimum viginti, quorum septemdecim errorem cum lacte nutricis suxerant, & in eodem consenuerant.

Dissidentibus quidem multorum animis restituta cõcordia, sed illa maioris videtur esse momẽti. Duo illustri genere nati, & præstantes militari gloriâ, frequenti nobilium cœtu descẽderunt in equestre certamen; ardentes irâ cohibere difficillimum videbatur: Ecce noster Sacerdos auctor pacis interuenit, & (quod omnes nobiles spectatores in admirationem traduxit) iræ temperauit modum, diremitque certamen.

Nostris auctoribus B. Virgo Apricollis more suo multis est opitulata. Virginem copiosus humor allapsus, & collectus in oculo in discrimen vocauit, vespere se voti religione obstrinxit, & salus est oculo restituta postridie.

Primarij cuiusdam viri filia, quartum agens æta-

tis annum, quasi quadam paralysi & omnium pene resolutione neruorum affligitur, gemitus eiulatusque continui parentes exanimant, adhibent fomenta quæ possunt, remedium in facienda medicina nullum vident, ambo pro ea vota suscipiunt, quidam ad Aspricollem iterum ac tertio ad hæc exsoluenda mittuntur, tertiùm iam exsolutis puellare pente sanam se confitetur. Sciscitantibus ex ea recuperatæ sanitatis modum, respondet illa, aduenisse nocte matronam nobilem honesto decoroque habitu, ac hilari vultu, qua leniter perfricante latus, dolorē cessisse de corpore. Chirurgus ad ægrotum vocatus, venenum ipse vna cum famulo hausit imprudens; obit famulus, paulatim & ipse tabe consumitur, medicus non diuturnam illi vitam pollicetur, propterea quod lingua esset euulsa radicibus & interciſum operculum, quo regitur ostium asperæ arteriæ, ne si quid cibi forte in eam inciderit, impediatur spiritus. Ergo morbo languidus expallit, macieque corpus extabuit: mortem præsentem videt, viaticum ad emigrandū ex hac vita comparat. Hominem Sacerdos noster adit iacētem excitat, ad vota B. Virgini Aspricollis pro salute faciēda hortatur, ligneamq; effigiem ex eiusdē quercu porrigit, quam auidè amplexo & in optimā spem rei melioris adductus, votum concipit: ecce suus ori color redditur, membra diuturno morbo debilitata pristinum robur accipiunt, & omnia loquendi instrumenta firmantur.

MIS-

MISSIO HOLLANDICA.

ANnus hic ob frequẽtes proditorum insidias, non tam laborandi quam latitandi materiam dedit. Ergo huius initio, prodito à quadam perfidiosa muliere Catholica nostro Sacerdote, is cui erat talis cura mandata, cum Administris suis in domum, quo Catholici non infrequentes conuenerant, armatus inuasit. Inquirit Sacerdotem, materfamilias eius saluti consulens, prodit conuentum, in quem nondum ingressus erat, vt haberet interea latendi opportunitatem. Eo non inuento fremit, refert in tabulas omnium qui aderant nomina partim vera, partim ficta. Sacerdos interea morbo afflictus se subducit, & in domus tectũ euadit rei euentum præstolans. Ascendit ille superiora cubicula domus, magnam pecuniæ vim sperans capto Sacerdote, sed incidit in quendam iuuenem optimo loco natum, & audacem, grauiterq; communantẽ nisi periculo maturè se eripiat, gladio trãsfossum iri. Inde timore perculsus petijt descendẽdi facultatem, quam facile impetrauit, Sacerdotẽ fuga elapsum existimans. Neq; hic conquieſcit, per oppida & vicina quærit Sacerdotem, prodenti nõ exigua merces promittitur. Sed paulò pòst infelix ille, facta cæde, omnibus inuisus eiectus est è patria, grauiori pœna multandus nisi hæreticus fuisset, sed tamen no sine fructu annus abiret, laboratum est. Itaque multi cuiusuis ætatis homines ad baptismi, & confirmationis & pœnitentiæ sacramenta venere: atq; in his nounulli decrepiti senes, qui sine confessione, volutati in cœno vitiorum ætatem exegerant,

rant. Alij reuocati ad Ecclesiam: alij legitimo matrimonio iuncti: ij verò, qui se cœlesti pane refecerunt quamplurimi.

COLLEGIVM CORTRACENVM.

FRater ex ijs qui domesticis operibus addicti sunt, morte nobis ereptus est: qui cum videret Paschalibus ferijs inaudita ventorum vi, magnum tecto Collegij damnum illatum, cum diu iacuisset languidus, officijsque membrorum destitutus, erexit animum, & domum feliciter satis restauravit. Opere perfecto, inquit, quæ pro virium debilitate præstare potui, eorum nihil à me defuit. Inde se præparavit ad mortem, & paucis diebus magno cæteris ad virtutem incitamento est mortuus.

Hoc anno litteris humanioribus repetendis institutum est nostrorum seminarium, liberalitate honestissimæ Virginis Mariæ Smits, quæ mortua matre in id mille quadringentos florenos annuos destinavit. Eius autem parens Pater Nicolaus Smits à multis annis in Societate nostrâ vitam degit. In eo duodecim iuniores à tribus magistris instituuntur; plures etiam expectantur.

Omissis vsitatis templi laboribus, pauca quædam alia breuiter exponemus. Adiutus nobili quidam loco natus, & ad meliorem frugem receptus est. Priusquam ad id bellum proficisceretur, in quo stipendia meruit, vt erat optimâ patris disciplinâ instructus, ita salutaria quædam præcepta ab eodem accepit quotidie, vt Beatam Virginem pie & religiosè

religiosè coleret, si à periculis esse vellet immunis & liber. Quamdiu paruit optimi patris monitis, vsus est rebus secundis, posteaquam memoria dilapsa sunt, omnia membra debilitata solitum officium negauerunt. Ingemuit ergo culpamque tacitus agnouit, Deum iustas à se flagitiorum pœnas reposcere non ignarus. Insequenti nocte cum propter domus angustias, sub tecto quo scalis ascendebatur, cum eoque duo famuli, Centurio verò in cubiculo inferiore dormirent: Visa quædam acriter eius mentem sensumque pepulerunt. Cernebat in somnis matronam in monte pulchrè eleganterque vestitam, ipsum se indicio manus ad sese vocantem. Ilico tantæ matronæ vocantis imperio parendum cogitauit. Itaque dormientibus famulis, surgit è lectulo, qui antea officio membrorum vti non poterat, quique nec descensum aut scalas nouerat, per easdem benè angustas periculosasque descendit. In inferiore loco constitutus ad sese rediit, vbinam esset ignarus, gemebundamque vocem misit, quam audiens Centurio, qui iacebat in lecto vicino, famulos exclamauit, ægrotum eis commendans. Illi experrecti citato gressu lectum adeuntes inde abesse deprehenderunt, & ex gemitu quem edebat, in inferiore loco esse cognôrunt. Eodem confestim properant, & ecce repente sanitas ei restituta est, quam gratiam Beatæ Virgini acceptam retulit, quam per quietem antea matronæ forma ac figura viderat. Quamobrem solito more debita reuerentia & cultu prosequutus est, eique interim cuncta prosperè fæliciterque euenerunt. Sed

paulò

paulò post (quæ est humana fragilitas) eiusdem & beneficiorum eius eum cepit obliuio , præcipitemque se dedit in omne flagitium, atque omnibus sceleribus notatus aliquot annos dum viuit, in idem recurrit incommodum , seque immemoris & ingrati animi crimen luere secum cogitat. Rursus eius opem implorauit, atque iterum recuperauit sanitatem , & nunc restitutus in viam virtutis , piam ac religiosam vitam degit.

Alius velut alter filius prodigus, desertor parentum & patriæ , vitijs omnibus habenas laxauit, sed Deo patrique reconciliatus ad meliorem frugem redijt. Alius in detestabilis voluptatis cœno diu volutatus , aliud scelus adiecit, dæmoni animum deuouit : continenter ad sese tres menses allicere frustra conatus est : honorem quem specie ipsa venerabili Sacramento, & imagini Beatæ Virginis exhibebat, mente & cogitatione transferebat in dæmonem: eum inuocabat, chirographum suo inscriptum sanguine ei frequentius offerens: sed Deo vetante dæmon non comparuit. Hoc admiratus, diuinitusque permotus, & flagitium detestatus, ipso sacro Beatæ Virgini die, totius vitæ à se rationes exegit, & à morte ad vitam excitatus est.

Mulier nocte media pium libellum legerat: oculis postea conniuentibus & imaginibus earum rerum, quas legerat, animo impressis, cubitum discessit: è somno excitata cubiculum cœlesti quodam lumine collucere vidit , visionem admirata magnaque

magnaque voluptate perfusa, acrius & ardentius virtutis studium suscepit.

Beatæ Virginis Sodalitium suos fructus extulit. Aliquot honesti pagani, huius instituti Sodales, dum ad locum habendæ congregationis veniunt, modo hos, modo illos è cœno peccatorum educunt, & ad pœnitentiæ sacramentum adducunt. Dum ordinatim domum redeuntes, ac pijs rebus inter se colloquentes, in seipsos obuiorum ora conuertunt, ab ijsque ridentur, tum in ipsos ab alijs, qui in cauponis potitant, conijciuntur sales, lætiores & acriores in studio pietatis existunt, communique omnium consensu & fama maiores in excolenda Domini vinea labores, quam ipsimet pastores suscipiunt.

Nonnulli consilio nostro Beatæ Virginis opem senserunt. Mulier in primis lapsu crus graui offenderat, ante imaginem Beatæ Virginis è quercu Aspricollis factam precata, temporis puncto sanitatem recuperauit, omnesque in admirationem rei nouitate traduxit, & Beatæ Virgini gratias egit.

Cuidam defluens humor ita fauces præcluserat, vt nihil cibi nec potionis in stomachum posset illabi: imaginem eiusdem Virginis contemplata, ita secum cogitabat: Egone, ô Maria, digna cui tantis in doloribus & angustijs opitulere? Da quod potes & iube quod vis. Vix hæc precata, confestim omnis humor abscessit è faucibus, & in terra in qua afflicta iacebat, læta surrexit.

Puer calculi doloribus, sensuum & linguæ

vsu

vsu priuatus erat: sed aspectu similis imaginis, linguæ & sensuum vsum momento temporis restitutum sensit.

Medicus fauces graui humorum copia sensit occludi. Sanitatis nulla spes erat, nulla ratio transmittendi cibi in stomachum; cumque humanum deesse videret auxilium, confugit ad dvinum, votum B. Mariæ Aspricollis à se vel ab alio soluendum nũcupauit, & momento temporis vis morbi se remisit, pulso humore cibum sumpsit, & B Virginis ope conualuit.

COLLEGIVM VALLENCENENSE.

FVnestus hic annus ob immaturam P. Bernardi Oliuerij mortem fuit, vtpote quem Collegij huius auctorem & conseruatorem magni doloris sensu eluximus. Habuerat hic sacras ad populum è superiore loco conciones ipsos vndecim annos, dominicis, festis, singulisque ieiunij verni diebus, salua eiusdem ieiunij lege, inuictus á labore, nauans operam hominibus ad verum Dei cultum pietatemque reuocandis. Illud inprimis constat, vix vllam esse in hac vrbe familiam nomine pietatis illustrem, quam non instituerit, educarit, foouerit. Quare non tantum domus nostra defleuit, sed eum luxit omnis ordo, desiderarunt eum summi, medii, infimi, tantoque ardentioribus votis, quanto sperabant certius grauioris iam prouinciæ administratione perfunctum, breui restitutum iri. Itaque vt renunciata mors ciuitati fuit, publico Senatus decreto iusta sunt persoluta. Parentarunt ei quoque priuati,

uati, & qnem viuum dilexerunt, mortuo lachrymas, sacrificia diuina & preces impēderunt.

Excursum est cum in varia loca, tum in oppidum, in quo nostri iampridem ad sacras conciones aditum patentem sæpe quæsierant, sed prohibiti semper à Canonicis affirmantibus, è Societate neminem in æde sua vnquā è suggestu ad populum verba facturum. Decanus nobis beneuolus cognita obstinatione multorum, pium artificium excogitauit. Captauit tempus idoneum, in consessum Canonicorum ingressus, cum abessent ij qui nobis acrius obsistebant, in eoque retulit de concionibus à quopiam è Societate habendis sacro augustissimo Corporis Christi die, & cæteris eius feriis; probarūt omnes. Prima concione frequentissimo populo habita, præsentibusque qui nobis aduersabantur, quærit ex aduersarijs Decanus, quid de Societatis concionatore censeant. Illi probare, commendare, errorem suum sinistramque de nostris opinionem ponere, velle insuper atque optare vehementer, vt in eo templo cœptum opus prosequeretur, confiteri se non admissuros alium per eos dies oratorem. Itaque per eas ferias ante meridianum tēpus institutionis augustissimi diei festi, explanationi, pomeridianum Catechismo & Sacramenti pœnitentæ explicationi datum.

COLLEGIVM GANDENSE.

IActa sunt noui tēpli & illustris fundamēta, magno omnium ordinum concursu, faustisque acclamationibus, vel ob id potissimum, quod in fūdo nefarij cuiusdam hæretici essent posita, cuius

ſtudio & opera multa antiqua iam olim in hac vrbe ſunt diruta.

Puellam ætate & annis duodennem cũ parentes hæretici noſtris rationibus inſtitutam, per ſummam iniuriam in terras perduellium eſſent abrepturi, ſic ea animum obfirmauit, vt in nullam partem nec minis nec precibus, nec lachrymis, quæ ad mouendos hos animos ſolent eſſe potentiſsimæ, impelleretur, adeo pertinax fuit, vt egeſtatem ignotis in terris opibus opulentiſsimæ domus ſuæ anteponere, & ne grauius ætati periculum (quod iuſte timeri poteſt) crearetur, in Monaſterium confugit, expectans diem votis nuncupandis idoneam.

Septem vel octo hæretici ad auitam Religionem traducti. Hic prodigij quiddam pene ſimile commemorandum putaui. Ob latrocinia damnatus hæreticus ad crucem iam ducendus erat, omnium diuinarum rerum ignarus. Nihil prætermiſſum quo ad peccata expianda poſſet adduci. Inſtat moriendi tempus, obſtinatus tamen perſiſtit. Ab eius ſalute deſperatum videbatur, cum ecce ſubitò affuit Deus, atque ita ſuperbum & pertinacem fregit, vt ad pedes Sacerdotis caderet, aureſque præberi ſcelera ſua confitenti benigne poſtularet. Sacerdos ergo pœnitentem complexus, totius vitæ crimina excepit, purgatumque ſacro viatico inſtruxit, ac demũ, vt creditur feliciter vitam clauſit.

Difficilis cum Nobili matrona fuit & diuturna luctatio. Olim à Catholica fide ad ſectam Caluinianam transfugerat, & quo maiori ætate conſilioque noſtram fidem abiurarat, eo pertinacior, in eius cõuerſio-

uersione fuit ponendus labor, multos dies quæcũque studia, quæcumque officia debebantur eius saluti præstita sunt; sed nullo fructu. Vicit tamen aliquando Deus. Nam cum argumentis conuictam sæpius noster videret, neque veritati cedere, hac eam voce compellat. Age Domina, aude, si confidis tuæ fidei quod me dicentem audieris: inferis omnibus furijs me deuoueo, luciferoque mei corporis potestatem facio, si fidem mẽtitam ac falsam tueor. Abnuit illa, adeoque vox ista noctes aliquot in sõnes attulit fluctuantemque iactauit, vt auctore Deo victa, præsente curię Ecclesiasticę Iudice, perfidiam suam eiurarit.

E Missionibus libet vnũ modo exemplum commemorare, ad acuendam deinceps nostrorum prudentiam. Deprehensus vir quidam, non infimæ sortis, qui sæpius perhumanè salutatus nunquam resalutauit. Hac igitur noster suspicione perculsus est, aliquod scilicet inueteratum in eius animo vulnus insidere. Opportune hominem occupat, omnia studia, omniaque humanitatis & amoris officia promittit. Hic ille defixus admiratione simul ac benignitate victus, paulum mutauit animum. Sermo bene longus producitur: videris, inquit, Sacerdos, alienus à nobis. Plane, inquit, ille, Pater coniecisti, iam enim annis triginta & amplius vobis inimicus atque infensus fui; grauissime enim & imprudenter à vestris in confessione increpitus sum, atque dimissus, ac licet me sontem agnoscerem, non tamen negabam me pœnitentem. Nudato vulnere noster medicinam facit, multis nostrum institutũ docet, aurem confitenti præbet, discussisque ex a-

animo totius vitæ sordibus, hominem dimittit oblitum doloris sui.

COLLEGIVM INSVLENSE.

ANno superiore Senatus insigni munificentia, & magno in Societatem beneuolentiæ argumento, locum ædificando Collegio non modo concesserat, sed etiam ære publico extruendum susceperat. Hic autem annus tam domicilij quam templi iacta fundamenta conspexit. Non vno tamen eodemque tempore inchoata sunt, sed gemin⁹ hac in re magistratui labor accesit, & geminata celebritas geminauit lætitiam. Peperit hunc laborem Pontificis Tornacensis infirmitas, cuius opera ad loci templo designati consecrationem nobis erat necessaria. Itaq; dilata consecratione iactus est primarius domicilij lapis, ab Illustrissimo Domino Comite de Anappe Insulensis Vrbis Gubernatore, cui vices suas delegarat Serenissimus Princeps Albertus Archidux Austriæ, qui sibi gloriam hanc reseruarat. Interim cum alterius loci cõsecranditẽpus extraheretur, & Antistitis inualetudo templo moram afferret, impetrauimus ab eo alterius opera vtendi facultatem, exciuimusq; Arebatensem, qui summis beneuolẽtiæ indicijs rem totam ad exitum perduxit. Locus erat vndique peristromatis, versibus, emblematisq; ornatissimus, ara splendidissimo peripetasmate, cæterisq; ad sacrificiũ necessarijs decorata, mediũ tenebat locum, quam cingebãt magistratus sedilia appositè, concinneq; distributa, vt impetus irruentis populi facilius frangeretur. Ecce dum personãt omnia, vocum neruorum, tibiarum cantu,

cantu, & tubarum sono, iacitur fundamenti lapis ab eodē, qui domicilio initiū fecerat. Postea circumfusis vndiq; turbis ab Antistite solennia sacra peraguntur: ad circumstantem populum Sacerdos è nostris concionatur, laudatq; Magistratum, & eius operam optime collocatam docet.

Sacram templi supellectilem auxerunt primum argentea candelabra sex, alia ab illis quatuor, quorum anno superiore fecimus mentionem, deinde argentea lampas pensilis, mole artificioque nobilis, aliaq; ornamenta. Postremò è quercu B. Virginis Aspricollis imago cultu exornata magnifico, sed illustriori indulgētijs à Nuncio Apostolico, Archiepiscopo Cameracēsi, & Tornacēsi Antistite datis, populi frequētia, & quotidiano concursu percelebris.

Quatuor hæretici, rationibus argumentisq; conuicti deposuerunt errores, & fidem professi sunt, deletisq; totius vitæ maculis, ad bonorum cœtum aggregati. Sexaginta & eo amplius in medijs hæresibus nati atq; educati, quiq; in tantis iacebāt ignorantiæ tenebris, vt nullum numen, nullam Religionē esse crederēt, Christianis dogmatibus instructi, discussa caligine lucem viderunt, & nunc vitam Christianis hominibus dignam viuunt.

Anno vertente dum Hybernii in hybernis agerent, vtilis fuit ad illos & gratus noster aduētus. Diuini Numinis in eorū animis excitatus timor, sublatæ libidines meretriciæ, concubinæ legitimas nuptias partim inire compulsæ, partim è communi Societate excedere. Quos hæresis excœcarat, omnes lucem vidēre, si duos è numero viginti trium bubones demas, qui tenebricoso suo lumine delectati

animo pertinaciori in erroris sui perstitêre sententia.

COLLEGIVM MONTENSE.

DVos nobis eripuit hic annus, P. Guilielmum Samei, & P. Petrum Carlerium, quorum ille demisso, sed in rebus afflictis constanti animo, febri continenter in ossibus hærente, septimo post ingressum in Societatem anno cõsumptus est: hic autẽ vicesimo quinto vita decessit. Tres annos Montensem domum, circiter vndecim Vallecense Collegium administrarat, in laboribus acer, gratus suis, alienis acceptus. Omnium enim nõ domesticorum modo, sed & ciuium maximam collegerat morum suauitate gratiam. Magnam animi demissionem præ se tulit, superioribus ad nutum prẽsto semper fuit: nec eorum solum dicto audiens, sed & operum domesticorũ adiutori Nouitio eius curam gerenti, quãdiu morbi vis afflixit, nec ei in vlla re vnquã repugnauit. In primis verò charitate floruit, studiosissimus integritatis & innocentiæ fuit: quamobrem in morbo legẽdam epitomen legum nostrarum sibi postulauit dari, vt si forte in ea tanquam in speculo aliquam vitæ suæ maculam adhærentem videret, eluere posset, constitueretq; si vita longior esset, operam dare, vt nulla deinceps adhæresceret. Sed ingraueſcente morbo Sacramentis omnibus munitus fæliciter expirauit, desiderio sui relicto nõ solũ domesticis, sed ẽt omnibus ciuibus.

Missus est noster Sacerdos opportunè Saugnesium, quod oppidum tertio milliario abest Montibus Hannoniæ. Ardebat dissensionibus inter populum, Canonicos, & Prætorem; hic primariorum etiam

etiam Canonicorum sæpius appetitus insidijs, sed ex eorum manibus elapsus, & è periculo mortis euasit. Noster ibi per honestam causam concionum substitit paucos dies, vt sensim præparatis animis, ad concordiam inclinarentur. Moram dissuadebant etiam amicissimi quiq;, ne quod incõmodum Societas incurreret. In sententia nihilominus perseuerauit, & ecce concitati animi frangi paulatim flectique cœperunt, tandemque inferiores à superioribus veniam petiuerunt. Itaque immortales egêre Societati gratias, clareque testati nunquam perituram tanti beneficij memoriam.

COLLEGIVM BERGENSE.

TAndem optatus aliquãdo nobis illuxit ille dies, quo summo Magistratus studio, nostro populique gaudio, ex antiquis ædibus in nouum domicilium commigrauimus, iure perpetuo nobis addictum. Quamobrem maiori quam adhuc in reliqua exædificatione laboratum industria Magistratusq; studio, simul etiam auctus magno Senatus approbatione Sociorum numerus.

R.P. Prouincialis augustiori sacrificio nouis scholis initium fecit: quæ cum in tres antea, nunc in Ordines quinque distributæ sunt, assignato cuiq; Magistro suo. Templi supellex adhuc tenuis, sed nunc exiguo calici, in quo venerabile Sacramentum asseruare solebamus, Hierotheca magni sane ponderis argentea successit, eleganter elaborata, piorum nobis liberalitate donata.

Dunckereis vrbe Flandriæ maritima, ad hæreticos in carcere frequentes habitæ conciones. Ex his

ægroti duo ad nosocomium translati sunt, quorum alter quidem pertinax & obstinatus efflauit animam: sed interrogatus alter, an ad inferos collegam sequi vellet, sese colligit, poscit exponi sibi summa fidei nostræ capita, quibus expositis fidem professus, grauiterque de peccatis dolens, paulò post felicior & lætior expirat. Adolescens Batauus annus natus octodecim, Anabaptismi tenebras, agnita fidei luce discussit ex animo, sacroque baptismo initiatus est.

COLLEGIVM ATREBATENSE.

FVerat superioribus annis inter Pastorem & Societatem non leuis excitata Duaci controuersia de lege, sacra Parochorum festis diebus audiendi, ferijsque Paschalibus ijsdem cõfitendi. In ea Pastor magni nominis ferocior & impotentior fuerat, non sine offensione multorũ, quem nolentem culpam agnoscere, septem annos tum Duaci, tum Atrebati, malo pediculari multisque alijs, & grauissimis morbis Deus afflictum reuocauit ad mentem. Igitur accersito sua sponte nostro Sacerdote veniam petijt, maculasque vitæ totius absterfit, paratus illam notam publicè delere, quin etiam incitato quodam mẽtis impetu, rem curauit palam è suggestu Duaci gregis olim sui precib⁹ cõmendandam. Ad hæc si cõualescceret ex morbo, cogitabat iter dirigere ad B. Virginem Lauretanam, inde Romã ad Apostolorum limina, seque admodum R.P.N. Generali sistere, vt reliquam vitam in Societate nostra degeret, sed mors vetuit cogitata perficere.

Sed

Sed istud fortè mirabilius: Religiosus ætate prouectus in multorum munerum functionibus, præfecturisque versatus, incidit in morbũ diuturnũ & grauem, qui mortem præsentiens impetrat ab Antistite Sacerdotem è nostris, cui confessione totam vitam aperiat: sed cum esset bene nummatus, auctore Sacerdote quidquid æris habebat, libens relinquit Antistiti, quod multorum sermone fuit ac fama vulgatum. Interim in dies inualescẽte morbo, Pater qui dies ipsos quinque ab ægri lectulo non discesserat, ab Antistite viatico & vnctionis extremæ Sacramento muniendum curauit, animamque breui interuallo satis quietus efflauit. Quadragesima lux ab eius morte nondum erat, cum ecce tintinnabulum, quod inter diuina mysteria pulsari solitum, & è regione sepulchri positum erat, sonare cœpit, hora ferè post concubiam noctem media sub quartam vespertinam, plerumque sub horam sextam matutinam, adeoque clarum efficiebat sonum, vt ab omnibus quotidiè audiretur. Sed cum omnes id ab aliquo domestico fieri suspicarentur, prouisũ est vt omnes aditus templi occluderẽtur: cumque soni consuetudo sese non intermitteret, æs illud campanum loco mouetur, obserantur ianuæ, custodes excubant, auditoque sono, confestim aduolant, tintinnabulum suo loco repositum plectro adhuc sese agitante, conspiciunt. Quid agerent Religiosi? alterum mensem iam durarat sonus. Antistes horum conscius nostrum Sacerdotem vocat ad sese, rem aperit, quid hoc portendat, inquirit. Ille vt pro defũcto supplicetur, monet, & quamuis vsitatæ preces, essentque pro more iusta persoluta,

luta, tamen instaurari triginta sacrificia suadet. Primus Antistes omnibus præit: singuli denique singulis diebus Religiosi ordine subsequuntur, prodigiosus continuatur sonus. Sacerdote religioso trigesimum peragéte sacrificium, æs illud campanum suo tempore consuetum efficit sonum, sed vehementiorem, quo repente fractum obmutuit, sonique iam expers est, omnibus in admirationem conuersis. Bene feliciterque animæ cedat.

Sacerdos è Collegio grauissimis ischiadis & podagræ, quam vulgus medicorum vagam appellat, decimum mensem doloribus ardet, dies constituitur inurendis de sententia medicorum duobus stigmatibus, eo ipso, consentiente Rectore, peregrinationem ad S. Leonardum sub eius festum diem vouet exsoluendam, cum primum pervaletudinem liceret, vix concepto voto, magnam leuationem morbi percipit, liberaturque omni dolore postridiè. Medicus in ea ratione bene exercitatus exclamat; quod nequicquam arte nostra mediciniſque tentamus, id precibus Sancti momento consequuntur. Noster voti reus iter ad Beatum Leonardum pedes conficit, & votum exsoluit, sanusque in solitis functionibus perseuerat, affirmatque se quidem interdum, quasdam quasi reliquias mali sentire, sed ab officio non retardari, morbumque minari quidem interdum, sed identidem videri precibus eiusdem Diui reprimi.

Adhuc sex ipsos annos alieno satisque incomodo sacello nobis vtendum fuit, tum quod à nostro domicilio iusto interuallo disiunctum esset, & quotidie non sine religiosæ quietis damno, per aliquot

vias,

vias vltrò citroque ad obeunda Societatis ministeria commeandum, tum quod ob loci angustias fructus ad plures manare non posset. Quocirca visum est amicis, vt in aula perampla scholarum publicè nobis primum ædificata, eo vsque nostras exercitatiõnes obiremus, quoad de templo nobis prouisum esset, cuius fundamenta iacere cogitat Deo propitio Vedastinus Antistes, Societatis nostræ singularis Patronus & parens amantissimus.

COLLEGIVM CAMERACENSE.

AVcto discipulorum numero, studia demum hoc anno in debitos suos ordines distributa sunt. Duas scholas perelegantes, quarum ineunte vere fundamenta iecerамus, pene ad exitum perduximus, maximaque in nos Antistitis, Gubernatoris, & ordinum Cameracerij studia in spem nos adducunt, fore, vt tres alias non inferiore splendore videamus.

Instituta est Sodalitas B. Virginis ipso festo Purificationis die, & singulari admodum R.P.N. Generalis beneuolentia, primariæ Romanæ cognomento Conceptionis adiuncta. Huius beneficij literas approbatas, pro concione frequenti populo recitauit P. Rector, præsentibus & audientibus Illustrissimo Archiepiscopo, Gubernatore, virisque primarijs, multa de Sodalitiorum per vniuersum orbem fructu disputauit, vnde solennis ista publicatio, admirationem simul & amorem in magnatum, populariumque animis excitauit.

Natali B. P. N. die, R. P. Oliuerius solenne de Beata

ata Trinitate sacrum cantauit: inter mediam rem diuinam, habita sacra concio ad primores vrbis de rebus gestis B. Patris. Denique constitutus est templo nouus census, liberalitate quorundam ad fouendum lumen ante Venerabile Sacramentum.

COLLEGIVM BRVXELlense.

DVo Sacerdotes desiderati de nostris, quorum alter P. Ioannes Lononius, qui quam summis & infimis ciuibus gratus fuerit, satis illi testati sũt, cum funus eius frequentes honestarunt. Fuerat olim domesticis laboribus addictus, sed ob quasdam virtutes in Sacerdotij dignitate positus superiorum iudicio ac voluntate. Adeptus hunc honoris gradum, se nunquam extulit, sed prioris cõditionis memor, certos sibi terminos finesque constituit, quibus nunquam excederet. Licet vero perpetuis doloribus fractus, & continenter in eo morbus hæreret, animus tamen in debili corpore magnus & fortis fuit, & ad omnes labores paratus. Alter P. Andreas Schapmannus Anglus, vir modestiæ singularis & tranquillitatis animi, missus ad castra, laboribus militibus impensis animam lubens edidit.

Posuimus noui Collegij ac templi fundamenta; illius quidem primos lapides, P. Rector & veterani duo, quibus magna cum B. P. N. Ignatio necessitudo fuerat. Huius autem Sereniſsimi Principes Austriaci Albertus, & Isabella, qui rogati Societatem libenter tum hoc honore dignati. Rituum sacrorum & Cærimoniarum auctor fuit Mechlinienſis Archiepiſco-

episcopus Belgij Primas, qui expiato lapide descēdit in fossam, eumque secuti sunt Principes, & oblatum lapidem cui impressa erant Austraicæ gentis & eleganter depicta insignia, solenni ritu capientes à Pontifice, terram genu tangentes collocarunt. Nunquam videntur aliàs significationem lætitiæ dedisse maiorem: sed mirum in modum Serenissima Nobilitatemque plebemque recreauit, cum trulla inaurata calcem confundere cœpit, & oblitū lapidem firmare. Nummos in vrnam in eo loco positam, coniecerūt paucos quidem, sed præfectum palatij ad Rectorem miserunt, qui nunciaret pro veteri more tantum fuisse coniectos in ædificationem benigne largituros. Porrò tāta fuit in lapidem religio populi, indulgentiarum causa, quas Antistes concesserat, vt terram genu contingentes osculandi modum non facerent.

Hæretici duo ad Christiana sacra conuersi. Primū mulier præcipitata iam ætate Caluinianis opinionibus imbuta. Licet autem Matrona Nobilis eam ad nostrum Sacerdotem perduceret, statuerat tamen errores non deponere, nec confiteri peccata, tamen edocta veritatem, agnitisque Stigmatiæ fœdissimis moribus, ad Catholicos perfugit, & nūc Ecclesiæ Sacramenta Catholico ritu frequentat. Vir alter à puero mala disciplina deprauatus, & obfirmatus in hæresi iudicum sentētia damnatus est, priusquam tamen ad crucem trahatur, de more præsto sunt nostri, lucem veritatis aperiunt, fidemque satis edoctus, superiorē vitam detestatur, cōmissaque facinora, & vitam beato fine concludit.

COL-

HÆreticus Lutheranus Sacerdotem noſtrum de veris Eccleſiæ notis pro concione ad populum differentem audiuit: cuius oratione permotus ſtatuit non ante redire in patriam, quam reconciliatus Eccleſię, & Sacramentorum eius fieret particeps. Itaque luce veritatis illuſtratus, ſuperiorem vitam confeſsione aperuit, Euchariſtiamque percepit, & Deo primum, deinde concionatori maximas egit gratias. Eiuſdem ſectæ miles poſteaquam plures annos cum concubina familiarius vixiſſet, perfidiam ſuam execratus eſt, & concubinam in legitimã duxit vxorem. Deniq; late patet illud eorũ genus, qui in Archiducis exercitu Duce Spinola ſtipendia faciẽtes, amplexi ſunt Catholicam fidem.

Quia Scholæ propter anguſtias erant nobis incõmodæ, tria millia florenorũ laxioribus ædificandis ordines Prouinciæ anno ſuperiore deſtinarant: harum quarto Idus Aprilis auctore Deo fundamenta conſtituta ſunt: & nunc creuit exædificatio, cuius & altitudinem mirantur omnes & artificium, & commoditatem: faxit Deus vt anno ſequenti ad faſtigium felicemque exitum perducatur.

Mirum in modum Societatem hic ſuſcipiunt omnes & beneuolentia complectuntur, optimeque de nobis hoc anno meriti ſunt, ſacram præterea ſupellectilem auxerunt duobus argẽteis calicibus, caſulis & alijs id genus ornamentis: tum quadam acu picta altaris, & artificioſa tabula, auro argentoque diſtincta. Poſtremo reliquiæ præſtantiſsimæ, quas Treuiris obtinuimus, magnum ſacello noſtro ſplendorem afferunt.

ANNVÆ

ANNVÆ LITTERÆ PROVINCIÆ POLONIÆ SOCIETATIS IESV Anni 1606.

NVmerauit hoc anno Prouincia Poloniæ, Socios viginti & vnum supra trecentos; ijs exceptis qui ad Viceprouinciam Lituanię pertinent. In Domo Professa Cracouiensi 20. ex quibus tredecim Sacerdotes, & septem sunt temporales Adiutores. In Domo Probationis ibidem constituta 50. inter quos demptis antiquioribus vndecim, quinque videlicet Sacerdotibus, & sex Administris temporalium, reliqui omnes Tirones sunt. In Collegio Posnanienſi 64. Sacerdotes nimirum nouendecim, quorum nouem docendi munere funguntur: nam duo scholasticam, & duo moralem Theologiam; quintus scripturam sacram ac quæstiones fidei cõtrouersas; sextus Hebræam; septimus Philosophiam, octauus Rhetoricam, nonus Grammaticam secundæ classis profitentur: quibus alij Professores tres non Sacerdotes addendi. Auditores deinde scholasticæ Theologiæ nostri viginti quinque, Moralis, 10. Adiutores denique septem. In Collegio Calisiensi similiter 64. & ex Sacerdotibus octodecim, septem sunt Professores. Primus videlicet quæstionum ad conscientiã pertinentium, controuersiarum de fide secundus, tertius Metaphysicæ, quartus Physicæ, quintus Logi-

cæ,

cæ, sextus Mathematicæ, septimꝰ Rhetoricæ. Cum his præterea docent scholarum inferiorum Magistri quinque, Auditores Philosophiæ ex nostris viginti octo; negotiorum verò administri sunt tredecim. In Collegio Lublinensi septem & triginta, Patres scilicet duodecim, Magistri scholarum quinque, Academici nostri duodecim; Coadiutores octo. In Collegio Iaroslauiensi 32. Sacerdotes viginti & vnus; ex ijsque vnus Rhetoricam profitetur, & duodecim alij tertium probationis annum expediunt. Magistri non Sacerdotes quatuor, Adiutores septem. In Collegio Torunensi quod superiori anno scholis initium dedit, vndecim. Patres quinque, Magistri tres, Adiutores tres. Residentia Leopolienſis alit ex nostris Patres nouem, & Adiutores quatuor. Sẽdomirienſis quatuor Patres, & 4. Coadiutores, Gedanenſis Patres quinque, cum duobus Adiutoribus. In Aulica Missione Sacerdotes tres, & tres eorum socij Adiutores. In Luceoriensi duo Patres. In Moschouitica duo Patres, cum duobus socijs laicis. His omnibus si adiungatur Prouincialis cum duobus socijs, Sacerdote vno, & Coadiutore altero, numerũ initio positum conficient. Decesserunt ex hac vita tres, accesserunt verò ad institutum nostrum viginti tres. Quoniam porro in singulis ferè nostrorum locis iam relatis, aliqua mentio fit grauissimarum tempestatum, quæ hoc anno Regnum Poloniæ mirificè afflixerunt, ideo non abs re visum, à Missione aulica, in quo totius rei series ex professo describitur, annuarum initium sumere. Nec mirum esse debet ordinem nos nonnihil immutare, in tanta Ordinum

dinum omnium huius Regni perturbatione.

MISSIO AVLICA.

AVctus fuit ad finem anni superioris numerus nostrorum in hac Aulica Missione, Patre vno ac socio fratre. Nam cum hactenus duo soli Patres in ea cum singulis socijs fuerint occupati; quorum alter senior, iam inde à primo ingressu in Regnum Serenissimi Regis nostri, hoc est à viginti annis, à concionibus ipsi est, alter ab annis aliquot proximis à confessionibus: hoc tempore occasione nuptiarum Regiarum, ac nouæ Reginæ Serenissimæ Constantiæ Austriacæ, sororis Germanæ Reginæ Hispaniarum, tertius ijs adiunctus Sacerdos, qui eidem Serenissimæ cum suis, ad confessiones sacras deseruit. Facta simul fuit & deuotionis in Serenissimis accessio. Nam præter concionem, quibus continuo festis omnibus ac Dominicis diebus, nostris verba facientibus interfunt; præter Sacramentorum frequentationem continuam, Confessionis inquam & Communionis, quibus singulis mensibus, iterum iterumq; refici solent; hoc anno etiam feria quinta maioris hebdomadæ in memoriam Dominicæ Cœnæ epulum præbuere duodecim pauperibus lautum, quibus ipsimet Reges in persona sua seruiuêre ad mensam, nemine admisso ad ministerij eius Societatem, præter vnicum Regium Filium Principem, ac duos Patres è nostris adiunctis, etiam ad finem prandij Eleemosyna ampla, quam singuli Principum proprijs manibus singulis pauperum insinuauêre.

Sed & nostri Patres ad ordinaria Societatis mu-

nia, his temporibus vnum illud adiunxêre, quod in illorum distributione positũ est. Occasionem enim saluberrimæ Eleemosynæ quæ in tale pietatis officium confertur, aduertentes sibi datam, in tot Principum virorum familiari consuetudine ac notitia, toti se eò applicuêre, vt maximã cõpararint spiritualium librorum copiam, conducto in id etiam, promotoque proprio Typographo, & conquisitis varie varijs eleemosynis, quibus illud effectum est, vt intra annum vnum, ac paucos menses, vltra triginta millia librorum piorum varij generis procurarint, ac bona iam parte, per omnes vicinas Prouinciæ dispersserint. Fuêre autem libelli de imitatione Christi Thomæ de Kempis. De quatuor Nouissimis Francisci Cosseri. Edmũdi Cãpiani Rationes decẽ. Vincentij Lirinensis & alij similes deuotioni promouẽdæ, aut fidei Catholicæ inter hæreticos confirmandæ seruientes. Constitit verò hoc anno etiam alia quadam occasione fructus operæ, aulicæ istius Nostrorum missionis. Cum in Comitijs Regni, primo vere ineunte celebratis, gliscẽtibus iam tum turbis, de quibus infra agemus, hæretici occasione vtẽtes, magno æstu conatuq; sua procurarent; remq; eò deduxissent, vt iam iamq; decreto publico, ijs confirmata esset pax quædam, ac concordia generalis, quò plura ijs concederentur, quam conscientia integra concedi possent, sed ita tectim, vt ne Ecclesiastici quidem, qui Senatui intererant, id satis initio aduerterẽt; Pientissimus Rex nihilominus rem suspectam habuit, ideoq; multa iam nocte, ante vltimę diei conclusionem, Decretum ita vt scriptũ iam erat, cõceptis verbis ad nos secretò misit, diligenter exami-

examinari cupiens, vt ne qua conscientiæ suæ labes aspergeretur. Fecêre Patres ac deprehendêre fraudem. Inuenêre.n. posita in ijs quædam, quibus non solum de pace hæreticis seruanda curaretur, sed ipsi Catholici ad eos in hæresi sua defendendos obligari censerentur. Ergo & Regi ipsi rem vti erat commonstrantes, & summo mane is, qui senior erat inter nostros Concionator Regius, singulos Senatores Ecclesiasticos obiês, summa diligentia ita eos instruxit, vt tãdem vnanimi consensu omnes decreto reclamarent, nec quicquam tale postmodum constitueretur.

Iam extraordinaria non pauca contigêre anno hoc ad recordationem longiorem digna memoratu. Fuit enim annus iste ob varios motus ab hæreticis potissimum concitatos in Regno hoc Poloniæ, cum primis memorabilis, qui propterea simul etiã Societatem nostram cum vniuersam Prouincię huius totius, tum eos vel maximè qui circa aulã sunt, haud parum exercuit, prout cõparatum iam communiter videmus, nullæ vt hæreticorum molitiones in Catholicos prodire possint paulò acriores, quin ijs simul prę cæteris ẽt omnibus Societatis nomen ac personæ impetantur. Initium motuum à viro quodam Regni Primario ac Catholico cœpit, qui cum libertati Regni (cui gens Polona, si qua alia vel maximè est addicta) occasione nuptiarum Regiarũ cũ Austriaca Principe, nescio quid periculi imminere à Germania fuisset suspicatus, & alioqui pridẽ iam nonnulla emendari cupiuisset in Regni administratione, in vulgus spargere cœpit hyeme superiore, varias suspiciones, quib⁹ imminere Regno,

ac nobilitati eius notabilem aliquam oppressionem insinuabat. Quæ cum auidè à plurimis acciperentur ac crederentur, etiã á Catholicis viris; Hæretici qui pauci quidem supersunt numero, si Catholicis cõparentur, sed mira tñ omnes ẽt diuersissimarum sectarum contra Ecclesiam cõspiratione, inter se colligati, occasionem rati sibi datam, ad res suas constabiliendas promouendasq; sub alis Catholicorũ, primi omnium nomina sua dedêre, quasi ad publicæ libertatis defensionem parati. Factaq; subitò fuit eo titulo confœderatio haud exigua, tum Catholicorũ tũ Hæreticorũ, ad simile si quod instaret periculum auertendum. Simul vero etiam passim in Catholicissimũ Regem Regno toto peruolitare libelli famosi, omnia carpentes, omniaq; quæ Regem concernerẽt in odium trahentes, & vera & falsa, interque ea nonnulla etiam quæ ex genere suo maximè videri poterant laudabilia. Res mira fuit dictu. Tanta enim inde inuasit tentatio plurimos Regnicolas, vt impetu quodam abripi viderentur in sinistras opiniones de optimo Rege concipiendas, nihilque paulatim fieret communius, quam pessima quæq; de eius Maiestate & sentire & obliqui, ita vt simillima quædam tempora nostra viderentur illis Dauidis, de quibus in scriptura: Facta est coniuratio valida, populusque concurrens augebatur &c. Nihil iam in domibus Nobilium, nihil in plateis, nihil in compitis frequentius in ore omnium, quam de Rege, de Regni proditione, de Nobilitatis libertatibus viribusque labefactatis. Falsa quidem omnia. Eò tamẽ res paulatim deuenit vt apud quá plurimos mortalium, nil iam odiosus, nil contemptibilius

ptibilius videretur, quam Optimi Regis nomen. Omnia scilicet ista miro artificio machinantibus maximè hæreticis, quibus sudes est in oculis pietas Catholicissimi Principis, qua se in omnibus Regni officijs & dignitatibus distribuendis, perpetuò ab eo, dum pōt, præteriri animaduertunt. Quia verò idem Serenissimus Rex Societatis nostræ, vt & Cleri atq; Ecclesiæ Catholicæ totius, singularis semper fuit Patronus, vtpote à Societatis hominibus, ab ipsis prope cunabulis in omni pietate Catholica institutus, ita vt nunquam alijs ordinariè Patribus spiritualibus, siue ad Conciones, siue ad Confessiones, vsus fuerit, quam nostris: inde paulatim ijsdem quos dixi hæreticis maximè connitentibus, & inuidia magna cum in Clerum omnem, tum maximè omnium in Societatem nostrā deriuata fuit, ac mirificè incensa. Nempe primū, quidquid vspiam forte in Rege erratum videretur, id totum Iesuiticæ esse educationis calumniati, id concionatorum culpam qui non docuissent, id Confessariorum qui nō monuissent. Acuebantur verò eadem etiam vndiq; contractis calumnijs & occasionibus obloquēdi varijs, quas ipsum quasi temp° offerre videbatur. Hic enim præter antiquas illas Gallicas criminationes, quæ passim reuocabantur in lucē, etiam Anglicæ, etiam Hungaricæ, etiam Venetorum, quin etiam Moscouiticę turbę horum temporum exaggerabantur, atq; vnis Iesuitis, tanq̄ malorum omnium authorib° adscribebantur. Ideo. n. recenter iterum hoc ipso anno proscriptos Iesuitas ex Anglia, quia pudendæ illius nuperrimę coniurationis in Regem Parlamentumq; illud totū incentores fuissent. Ideo

clamare Hungaros, nec Collegium illis permittere vllum intra fines suos, quia omnium motuũ Hungaricorum, his annis proximis illi inuentores. Ideo Venetos excommunicatos, quia ipsi Pontifici ad id inflammassent, ideoq; etiam omni Venetorum ditione penit⁹ esse excluſos. Denique ẽt tristissimæ Demetrij Principis Moscouiæ ruinæ (quæ eo ipso tempore iam passim spargebatur) Iesuitas in causa fuisse, eò quod vnus eorum à Demetrio missus Romam iuisset, & alioquin nimis apertè Religionem Catholicam latinam, populis illis vtpote Græcorum schismati tenacissmè addictis, maximè inuisam, in regionibus illis promouere cœpissent, vnde extrema in Principem illum cõcitata fuisset inuidia. Hæc inquam atq; his similia vbiq; in Iesuitas iactari, vbiq; exaggerari, passim verò etiam tanq̃ probabilia credi, fiebatque inde etiam apud vulgus Nobilium, vt sicut Serenissimi Regis, ita Iesuitarũ nomine nihil videretur contẽptibilius, quin iam à multis conclamaretur elminãdos eos esse Regno toto, hæreticis vbiq; frigidam superfundentibus, atque ista omnia amplificantibus in infinitum. Cum motus interim Regni contra Serenissimum Regem in dies serperent longius, Rege frustra rationem dante, atque innocentiam suam in suspicata illa proditione commonstrante; res eo deuenit, vt cum tribus diuersis temporibus aduersa illa pars, diuersis in locis conuentus sibi suos indixisset, quasi de libertatum suarum defensione deliberatura, tertia tandem vice ad initium Augusti, anni huius, ad Sendomiriam notam Poloniæ ciuitatem, plusquam triginta hominum millia magna ex parte Nobilium

Regni

Regni coiuerit: plurimi quidem animo recto atq; integro, nullam subesse fraudem suspicantes, plurimi tamen etiam, interque eos hęretici potissimum, obstinato consilio Regem ipsum loco mouendi, totumque Regni Clerum in ordinem redigendi, ac Iesuitas inprimis toto etiam Regno exterminandi. Subolfecerat tales eorum molitiones tempestiuè primarius quidam Regni Senator, Illustrissimus Stanislaus D. Zolkierolsci, vir prudentissimus, atq; integerrimus, & Regni Poloniæ Exercituum pro tempore Dux Campestris, ideoque iam ad secundam eorum coitionem quam Lublini celebrarant, accurrerat, pro Reipublicæ bono causam acturus, vt motus componeret, ipsomet Rege tum etiam nihil hostile suspicante, vtpote conscientia secura atq; integra ab omni illa imputata proditione, warsauiæ absque exercitu commorante, cum tamen iam tum aduersarij hæretici copias nõ contemnendas contraxissent, quibus Regem inopinatò opprimerent. Dux ille copiarum, quem diximus, cum tentatis omnibus quæ ad pacem spectarent, inaniter se laborare aduertisset, Regem tandem fidelissimè ac tempestiuè admonuit de omnibus huiusmodi machinationibus hæreticorum. Monuit vero illud potissimum, vt in tutiora se aliqua loca Rex è vestigio reciperet, si opus foret postmodum, se quoque breui cum exercitu affuturum. Et paruit Rex consilio confestim, VVarsauiaque discedens, rectà Cracouiam Regni caput contendit, tanta industria, vt aduersarij prope non ante intelligerent, quam viam VVarsauia discedens iniuisset, quàm Cracouiam ipsam Rex ingrederetur. Eluso illo primo im-

mo impetu hostili, cum tandem vt diximus Sendomiriam ingens numerus malè contentorum coiuisset: Rex quoque interim Regnum vniuersum de toto rerum statu commonuerat, conuenereq; ideo etiam ad ipsum sanioris consilij plurimi, interque eos Senatus Regni totius pars potissima, tam Episcoporum, quam Palatinorum & Castellanorũ (qui hic vocantur) ita vt quadraginta circiter Senatores circa Regem inuenirentur. Nobilium etiam magna multitudo, ac militis selecti Exercitus iustus, vnâ cum Duce illo, quem diximus, qui omni hostili incursioni aduersariorum sufficeret. Cum ijs Rex quidquid difficultatũ obijceretur consuluit, quidquid in Reipublicæ statu immutandum videretur, contulit definiuitque, nihil ex parte sua omittens, quod ad animos omnium sibi conciliandos, omnemque scrupulum Regnicolarum de iuribus suis violatis eximendum conferre posset.

At non eo contenti aduersarij, sed summo astu sua tractantes, vtpotè quos inter primas tenerent hæretici: cum vidissent plurimos in tanta multitudine, quæ ad Sendomiriam erat, confluxisse viros bonos & Catholicos, qui consensuri non essent in apertas illorum fraudes, initio nihil aliud tractauêre, quam vt omnes in genere conspirarent, ac nomina sua subscriberent, se quidquid in eo conuentu ad publicam tuendam libertatem (eo enim nomine gerebantur omnia) constitutum fuisset, ratum habituros. Cum verò tempus inde extraxissent, donec sensim maxima pars saniorum discessisset, hîc demum decreta sibi scripsêre, quæ Regi offerrentur, atque ita offerentur, vt nisi ea omnia etiã

etiam ipſe rata haberet, confirmaretque, omnem ei obedientiam in poſterum renunciarent. Inter ea multa iniquiſsima erant, & contra Religionem Catholicam vniuerſam, & contra libertatem omnem Eccleſiaſticam, ac Clerum etiam totum: & nominatim contra Ieſuitas, quos quidem omninò Regio etiam decreto in ordinem redigendos definiuêre, ea conditione, vt quoniam Regni ſe negotijs publicis miſcerẽt (ita enim eorum habebat definitio) Regemque in Regno licet liberrimo ad abſolutam tamen Monarchiam inducendam condocerent; pro concionibus publicis Regni quædam iura ac leges receptas condemnarent: turbas denique tumultuſque vbique locorum concitarent: propterea ex aula primum Regia penitus eijcerentur: externorum vero nationum homines, ſi qui eſſent inter eos, intra duodecim hebdomadarum ſpatium totis Regni finibus exire iuberentur; nullam vero facultatem haberent in poſterum vllum in Regno nouum locum Collegiumuè Fundationemuè acceptandi: quin ex pleriſque etiam ita occupatis ac poſſeſsis, puta Cracouia, Varſauia, Sẽdomiria, Leopoli, Torunia, Dantiſco, Polocia, Riga, Derpato penitus excluderentur: & denique niſi omnibus iſtis decreti huius partibus ad extremum vnguem ſatisfacerent; omnes ſimul etiam Regno toto exulare compellarentur. Hæc omnia iſti de Ieſuitis vniuerſim.

Perſenſerunt vero ea pleraque iam indè ab initio inualeſcentiuum motuum iſtorum Patres, qui circa Regem erant: ideoque etiam tempeſtiuè præmonuerant R. P. Prouincialem, vt & ipſe ne in-

scius esset, quid fieret, deque remedijs opportunis pro sua parte cogitaret. Qui quidem remedia humana sola videns flaccida esse, in tanta rerum omnium fluctuatione communicato consilio cum reliquis Patribus Senioribus, qui interim ad congregationem Prouincialem conuenerant, ad diuina confugit, indictis per totam Prouinciam cum pœnitentijs ac sacrificijs hebdomadarijs, ad finem vsq; turbatum harum duraturis; tum quotidianis etiá orationibus certis, præter alias voluntarias oblationes, ad quas omnes hortabantur. Qui vero circa aulam erant, illud maxime satagebant, vt Proceres Regni, Nobilesque, quibuscunque agendi dabatur occasio, ritè informarentur, de omnibus quæ Societatis essent, ac potissimum ementitas hæreticorũ in nos calumnias, omnium generum detegerent. Allato vero tandem iniquissimo illo decreto, Pater noster aulæ concionator, etiam ex professo ea dere coram & Rege ipso, & bona parte Senatorũ illorum, quos diximus, nec non & Nobilium Regni, verba habuit, ostendens tum innocentiam Societatis in ijs quæ obijciebantur, tum indignitatem talis condemnationis, tam in genere (eò quod & in absentes sententiam dixissent, & in omnes, cum non nisi aliqui potuerint peccasse cõtra ista, & longe grauiori pœna quam pro delicto: & denique meris ex calumnijs.) quã in specie ad singulas sententiæ partes respondendo. Quam quidem defensionem postmodum in lucem edidit, Polonica qua habita fuit lingua, minimè contemnendo fructu. Sed potissimum auxilium nostrum fuit à Domino, qui fecit cœlum & terram. Qui quidem suaui sua prouidentia

uidentia ita disposuit omnia, vt omnes istę molitiones tanquam nullo fundamento substructæ, ex seipsis quasi collaberentur.

Iam toto Regno percrebuerat cõdemnatio ista, longè enim ante etiam quam ad Regem ea veniret, (vtpote pridem hæreticis meditata) & conscripta fuerat & sparsa passim. Iam vbique hæretici plaudere & triumphare, contraq; amici nostri & boni Catholici mirari, ac nobis timere: iam hæreticæ quædam ciuitates, in quibus sedẽ posueramus, vt Dantiscum, Toruniaq; in Brussia, nostros etiam persequi, ac nescio quo iure prætenso, templis ac Domo quibus vtebamur, extrudere: iam ipsi etiam nonnulli, qui circa Regem erãt Senatores, viri alioquin boni & amici, nobis suadere, ferremus ad tempus sententiam, nec magnopere reniteremur, cedendũ enim tempori ac furori populi, rebus iterum pacatis facilem fore medicinam. At ecce antequam ferè sperari poterat, totus ille aduersariorum conatus concidit, diuina sine dubio prouidentia omnia ista suauissimè disponente. Expectabat Serenissimus Rex vna cum Senatu, & qui circa ipsum erant magna cum patientia, vt tandem resipiscerent, qui ex aduersa parte erant, ne ciuili sanguine tellus Polona aspergeretur. Monebat interim omnes identidem, vt pacifica consilia agitarent, & talia tandem concluderent, quæ ferri possent, omnia ex æquo & bono se concessurum. Et sperabantur ad extremum id facturi, cum inaudiretur viginti quatuor ex suis decreuisse ad Regem nuntios, qui eorum postulata proponerent. Communis enim erat opinio, ad pacificã illos tractationẽ compositionemq; ineun-

ineundam missos. Quod si factum fuisset, de singulis placitis eorum disputandum putabatur, & vtrinque saltem aliquid remittendum, vt tandem pax sine sanguine constitueretur. Eo verò rerum statu, etiã circa nos, ne occasionẽ videremur dedisse sanguini, multorũ erat opinio parti aduersæ permitti saltẽ aliquid debuisse. Et ratio videbatur dictare, vt ipsi etiam nos tali tempore cum Iona diceremus: si propter nos ista est iactatio, mittite nos in mare; vtque Aula saltem Regia sponte dimitti peteremus, quantumuis id tali conditione, absque Societatis nota minimè fieri potuisset. Quanquam Serenissimus Rex pro solita sua in nos beneuolentia, ita obfirmato erat animo ad ea deneganda, quæ contra nos vrgebantur, vt palam vni ex nostris quiin Aula versantur, dixerit, se in articulum contra nos nulla ratione consensurum, etiamsi totus Senatus eum probare vellet. At ecce dum Legatio ipsorum auditur, nihil prorsus habere in commissione ad vllam tractationem pacificam inueniuntur, sed obstinatè postulare omnia, vt Rex Senatusq; acceptaret, prout ab illis concluſa fuerant. Id verò indignum videri omnibus, cum multa vt diximus alia non contra Regiam solum dignitatem, sed & contra Religionem, contra Clerum vniuersum, contra Ecclesiam inter ea inuenirentur. Ergo nè examine quidem egere visa, sed magno consensu vniuersim responsum datum, iniqua peti, concedi non posse. Non ita multo post Rex cum exercitu aduersus illos tanquam rebelles mouit. Qui quidem cum se longè iam inferiores aduertissent, cedere loco subito cœpere, sed insecutus eos

tus eos Rex, tãdem paucos post dies supra fluuium magnum Istulam, ad ciuitatem Casimiriam ita eos concluſit, diuina ita prouidentia diſponente, vt ſi cruenta conſilia conſectari placuiſſet, ne vnus quidem illorum facile euadere potuiſſet. Verum benigniſsimus Rex cum iam in acie conſtitiſſet, ac penitus illos, omni ex parte præter fluuij latus corona cinxiſſet, tum quoque miſit primùm pacem offerens, tantum vt armis poſitis ſponte ſe traderent. Et factum fuit, acceptauêre qui factionis capita fuerant conditionem, ac cum Rege in caſtra ea ipſa nocte pacificè rediêre. Quo quidem tempore quantum illis terrorem iniecerit Deus, facile inde eſt intelligere, quod cum compoſitio tarda iam hora, nempe prima noctis inita coiuiſſet, ſtantibus vtrinque in ordine aciebus, & inde qui proximi in conſpectu erant, magna lætitiæ ſignificatione altum vtrinque conclamaſſent, pacem pacem factam, nonnulli qui vltimi ſupra flumen ipſum conſtiterant, exiſtimantes clamorem eum prælij eſſe initium, conſternati toti, recta ſe ita vt erant in equis & in armis, in aquas demiſerint, vt in aduerſam ripam euaderent, nonnulliq; ēt perierint aquis abrepti abſorptiq;. Duos poſt dies dimiſit à ſe Rex & exercitum, & illos ſuos aduerſarios, ſponſione tantũ ab ijs accepta, qua obligabant expectaturos ſeſe quiete Comitia Regni, nec quidquam noui tentaturos, ſtupentibus omnibus tam benignum cum illis proceſſum. Et in hunc quidem modum tantum incendium ſopitum quodammodo erat, non tamen penitus extinctum: nam ſequenti anno iterum exarſit, de quo ſuo tempore: nihilominus ciuilis belli atro-

atrociſsimi iam iam imminentis inſperatum finem, nullus erat qui non ſummæ diuinæ Clementiæ acceptum referret.

DOMVS PROFESSA CRACOVIENſis ad S. Barbaram.

OB grauiſsimos totius Regni Poloniæ motus hoc anno excitatos, omnes quidem reliquę ciuitates, ſed potiſsimum Cracouia Regum Polonorum ſedes ac domicilium, extremam videbatur aleam ſubitura. Hinc & noſtra S. Barbaræ domus, in cõmuni tempeſtate, ad ea quæ imminebant toleranda, ſeſe cõparabat, indictis noſtris omnibus in hac Prouincia ad hunc finem ſupplicationibus, & iam corporis afflictionibus, iam cõtinua diurna oratione per totum temp⁹ iſtarum tempeſtatũ perdurante. Nec defuit benigniſsimus Deus precibus afflictorũ: nam ſine cruento conflictu, præter omniũ expectationem, & perturbatio illa tum temporis ſedata, & Rex ipſe tum grauiſsimis ereptus periculis Cracouiam incolumis redijt, totamq; ciuitatem aduẽtu ſuo maximopere exhilarauit. Porro quamuis hoc anno, vix tutum noſtris eſſet in hoc Cracouienſi diſtrictu, in quo hæ procellæ maximè vigebant, lõgiores, vti alijs annis fieri ſolebat, obire Miſſiones, ob animos contra nos exacerbatos non hæreticorum tantum & Pſeudopoliticorũ, ſed etiam multorum Catholicorum de nobis malè perſuaſorum, ac omni noſtra in peſsimam partem explicantium: in ipſa tamen hac ciuitate haud contemnendum per Dei gratiam animarum prouentum habuimus. Inprimis enim ij qui opera noſtrorum hæreticæ perfidiæ eiecerunt peſtem, triginta nouem erant,

erant, duo insuper schismatici Christi Vicario & eius Ecclesiæ reconciliati. Et quidem ex hæreticis resipiscentibus, non pauci erant Nobiles, quorum ad Ecclesiam reditus, non paruo plurimis alijs speratur fore incitamẽto. Eratque in hoc negotio singularis feruor, tum cuiusdam Pseudoministri vxoris, quæ marito omnibus modis reluctante ad Catholicam redijt Ecclesiam; tum alterius Ludimagistri, qui magno stipendio apud suos relicto, tenuem potius apud Catholicos delegit vitæ rationem, vt ex fidei naufragio emergeret: tum in quadam Anabaptistarum veneno infecta fœmina, quæ diuino lumini obicem remouens, & errorem gemebunda agnoscens, salutari baptismatis fonte iam ætate profecta abluta est. Occasione etiam perturbationum Regni, ob quas bellũ ciuile omninò imminebat, in varijs templis per duos ferè mẽses, continuæ cum fuissent institutæ quadraginta horarum supplicationes, nostrum S. Barbaræ templum ordo tribus vicibus attigit. Toto vero hoc tempore tantam animarum messem habuimus, quanta imminente naufragio, omnibus saluti suæ prospicientibus, fieri solet, præsertim cum valde opportunè sub idem tempus amplissimum ex vrbe Iubileum huc fuisset delatum.

Quidam noster in Collegio Calisiensi discipul⁹, sed scholis ob pestis metum magna ex parte dissipatis, huc Cracouiam à parentibus studiorum in Academia cõtinuandorum gratia missus erat. Statim vero post suum in hanc ciuitatem ingressum, cum nostrum, qui congregationis Dei Matris curam habuit, adijt, & sibi iã antea Calisij Sodalib⁹ adscripto,

vt,

vt adeundi Sodalitatem copiam concederet, maximopere petijt. Annuit facilè noſter, iuuenis verò diligentiſsimè conſuetis exercitijs intereſſe, & omnibus ſingulari exemplo prælucere perrexit. Interim ad nuptias Regias toto ex Regno varijs ad hanc ciuitatem confluentibus, dum ex ſuo hoſpitio egreſſus in ignotum militem incidit, ab eo ne verbo quidem compellatus, lethale in capite vulnus accipit, exanimiſque in terram corruit. Re cognita frater germanus excandeſcens, perditum homicidam, aliquot ſocijs adiunctis inueſtigat, & tandem inuentum, catena ligatum domi detinet, vt ſequenti die extremo ſupplicio pœnas luat. Saucius porro iuuenis vt ad ſe redit, & mortem ſibi iminente aduertit, apud fratrem ac alios ſupplicibus continuò agebat precibus, homicidam vt dimitteret. Illud in tenera ætatula (erat enim annorum quatuordecim) maturè ſubijcēs, & ſibi morituro mortem eius nullum commodum allaturum, & Chriſto iniurias ignoſcenti conformius ſeſe ex hac vita, tali modo deceſſurum. Difficilem hac in re expert' eſt fratrem, cum tamen finem precibus non faceret, & ob id non obtentum anxietate mortem acceleraret, fictè tandem pollicetur frater ſe eum liberaturum. Sed iuuenis veritus quod erat, nè hæc tantum in ſpeciem dicerentur, petijt vt eum ad ſe catenis ſolutum adducerent, idque cum ſæpius repeteret, & lachrymas precibus miſceret, tandem adductus ad eum eſt. Hunc ille vt vidit, ſtatim coram omnibus, quantum potuit clara voce liberum pronuntiat, & proteſtatur ſe necem propriam, nulla ratione vindicare velle, cōuerſuſq; ad eum illa ſubiecit

fecit verba: Deus tibi ignoscat, ora pro me Deum, & Beatissimam Virginem, sicque solutum vinculis abire iussit. Pòst die & nocte integra qua superuixit, nihil aliud præter Angelicam Salutationem in ore habens, munitus omnibus Sacramentis maximo cum pietatis sensu, & singulari sui relicto desiderio, tandem ex hac vita discessit. Non defuit etiam nostris in tempore adeò difficili piorum munificentia ac liberalitas. Moriens enim Matrona quædam, sexcentos florenos Domui nostræ reliquit. Proceres pariter Regni & nonnulli Cracouienses ciues, dum in his turbis obsidio timeretur, victualia pro tanto tempore submiserant sufficientissima. Templi quoque supellex aucta veste sacra ducentis florenis æstimata. Rex etiam Serenissimus ijs elemosynis quas ordinariè huic Domui mittere consueuit, non paucas alias insuper adiecit, qui etiam solitâ beneuolentiâ nobis ostendens, bis hoc anno templũ nostrum inuisit, vnâ cum Serenissima coniuge sua, eiusq; sorore ac fratre Maximiliano Archiducibus, & cum filio proprio ipso Circumcisionis Festo die. Altera verò vice cum ijsdem omnibus, ac insuper cum Matre coniugis suæ Serenissima Archiducissa Maria, quæ nullo modo in Austriam redire voluit, nisi prius nos inuisisset. Inter hospites varios nostros, qui in hac Domo ferè perpetui esse solent, iucundissimi acciderunt nostri exules ex Transyluania, postrema hac vice pulsi, huc enim in Austriã contendentes diuerterant ad dies aliquot, cum Patre Ioanne Argenti Viceprouinciali. Tanta eorum fortitudo & alacritas in calamitatibus toties iteratis, piæ cuidam lætitiæ mixtas lachrymas elici-

ebat. Augebat eaſdem ſingularis diuina vbique eos proſecuta cura & prouidentia, quæ tum in eorũ per tot hæreticorum Regiones felici deductione apparebat; tũ in parte Stephani Botskai qui nuper Tranſyluaniam occupauerat, & qui ex eo poſtquam noſtros exturbaſſet, ipſe etiam vix duobus menſibus exactis, hac ex vita exturbatus eſt; illud moribundum ingeminans, vt ex certis litteris cognitum eſt: en Ieſuitas ſuaſu quorundam ex Tranſyluania innocentes expuli, & ipſe morior.

DOMVS PROBATIONIS CRAcouienſis apud S. Stephanum.

EX tironibus, in hac Domo, duo in alteram vitam commigrarunt, pro quibus tamen Dominus copioſo ſanè fœnore, duos ſupra viginti ad noſtrum tirocinium miſit. Porrò ex vita functis primus erat Daniel Martini, natione Sileſius, Patria Brigenſis, maturus iam, & qui ob egregias naturæ dotes, eximijs virtutibus coniunctas, ad Societatis noſtræ inſtitutum natus videbatur. Et quidem inter cætera quæ in toto quo hic verſatus eſt tempore magis elucebant, prompta erat obedientia, & ſingularis paupertatis amor, & vtriuſque in morbo ſupremo non exigua reliquit argumenta. Cũ enim grauem ciborum nauſeam pateretur, ita tamen alacriter cibos nomine Superiorum porrectos ſumere tentabat, vt præſentibus admirationi eſſet. Dum propterea quidam ei infirmo libellum exercitiorũ, quem propria manu ſcripſerat, offerret, illa verba adijciẽs, en tuus libellus; magno quodam animi ſenſu ſubiecit:

iecit: auferte illum, non est meus, ego quod meum sit nihil habeo. Morte deinde imminente, ad extremum vsque spiritum Sanctissimum nomen Iesu identidem vsurpans, & Beatissimam Virginem ac B. Aloysium Gõzagam, cuius reliquias è collo suspensas gerebat, deuotissime inuocans, placidissime in Domino obdormiuit 18. Februarij, cũ plus quam sesquiannũ in tirocinio posuisset, & annis ferè 30. vixisset. Alter erat Carolus Knott hæreticis, ijsque opulẽtis parentibus Hedani in Prussia natus, à quibus multas, ob Catholicam fidem nostrorum opera susceptã pertulit molestias. Hi enim postquam intellexissent, eum hęresim reiecisse, varijs in primis modis è Collegio Posnaniẽsi in quo litteris operam dabat, eum educere sunt conati; qui cum non processissent, iam sumptus pro studijs detrahere, iam exhæreditationem minitari, nisi eorum dictis morem gereret, cœperunt. Sed vt faces ventis non solum non extinguuntur, sed potius magis inflamantur, ita ille tantum abest vt eiusmodi minis à fide Catholica abduceretur, vt potius ijs, tanquam incitamento quodam, ad vitæ statum Religiosũ in nostra Societate suscipiendum, vti voluerit. Itaq; cum instanter ad nostræ Societatis tirocinium admitti petijsset, voti compos factus est, & egregijs virtutum progressibus dum insudat, non multum post susceptam Societatis nostræ probationem, in morbum grauem incidit, in quo magnam luctam cum dæmone expertus, dum ex ea diuina gratia victoriam reportasset, animam Deo feliciter reddidit, anno vno probationis exacto, & cum ætatis suæ vigesimum primum annum attigisset.

De tironibus reliquis in consuetis Societatis experimentis alacriter pergentibus, nihil attinet iam dicere. Duo tantum memoratu nō indigna acciderunt, vnius scilicet graui afflictione probata constantia, & in alterius vocatione admiranda Dei benignitas. Et quidem is Nouitius Scholasticus, cuius tantopere vocatio probata fuit, superiori anno tirocinium nostrum inierat; cum antea ab hæretico Domino & hæresi imbutus, & ad eandem docendam destinatus fuisset. Aduertens enim dictus Dominus in iuuene acre & viuidum ingenium, eum in Germaniam cum suo nepote mittere, & in Ministrum verbi (ita enim suos falsos Magistros vocat) ibidem formare constituerat. Cum tamen suasu alterius Pseudoministri, qui suum filium ad hoc iter obtrusserat, hic iuuenis à spe itineris Germanici deiectus fuisset, Deo omnia suauiter ordināte, ex aula Nobilis hæretici subduxit sese, Cracouiamque venit. Inde ab vno nostro Calisium ad nostras Scholas missus, in quibus breui egregie proficiens in litteris, hæresim etiam abiurauit, & postmodum Societati nomen dedit. Cum ergo in Domo Probationis aliquot menses supra annum, magno spiritus feruore & profectu exegisset, Lublinum à Superioribus studiorum causa missus est. In hoc itinere cum illum suum Dominum hæreticū casu obuium habuisset, & ab eo agnitus fuisset, statim ab eodem à reliquis Fratribus itineris comitibus, vi abripitur, & currui iniectus ad quoddam oppidum deuehitur, ibique catena ferrea constrictus, duobus famulis custodiendus traditur. Transibat illac tunc temporis quidam Academicus Cracouiensis nostris

male

male affectus. Re cognita Nobilis ille hæreticus Academicum accersit ad nostrum, & disputatione confundendum, & â Societate alienandum. Noster ergo ad certamen adductus breuiter respondet, se ad Philosophicas quæstiones, quas nondum audiuisset, discutiẽdas nullo modo descendere posse; si tamen ad aliqua alia meo statui competentia, bone Academice, inquit, quæstionem cõuerteris, libenter quæ sciam dicam, meum tamẽ non est aliquam mouere quæstionem. Excipiens hæc Nobilis hunc in modum ait: Cum tu nullam velis mouere qnæstionem, ego mouebo, & conuerso ad Academicum sermone: Ostende, inquit, Iesuitas esse pacis publicę turbatores, qui Regi absolutum suadẽt dominium. Annuit dictis Academicus, & insuper addit, Iesuitas ad illud dominium absolutum promouendum, ingentes pecunias Regi dedisse mutuas. Tum noster: Vnde tibi ista bone vir? si tu verus esses Catholicus, non hæc contra homines, quibus nihil negotij cum sæculo, effutires: proinde comprime vocem & ad Confessarium te confer, sapit enim crede mihi, infernum ista tua locutio. Post hæc proposuit Academicus instante Nobili, quæstionem de Actione & passione, quæ ob eius in proponẽdo parum congruam Grammaticis Regulis locutionẽ, risu dissoluta est. Postridiè discessit inde Nobilis, & venit ad suum oppidum, secum Fratrem nostrum captiuum ducens, quem per oppidi plateas, à duobus satellitibus instar latronis alicuius, vt ab omnib⁹ oppidanis conspici posset, deduci iussit. Hunc omnes Catholici qui in eo oppido multi erant, (nam in eo parentes habuit) & eum nouerant, & compassione

ob præsentem miseriam, & simul gratulatione ob eiuratam hæresim prosecuti sunt. In aulam deinde ducitur, coramque eius parentibus Nobilis cum sistit, quos ante ob illius ex aula discessum, diuturno carcere vexauerat, & ita eos alloquitur. En videtis proditorem meum, cuius causa vos grauiter afflixi, domo spoliaui, oppido eieci, & quem vos lachrymis reuocare nequiuistis, ego Deo sic volente casu reperi, cui præterea non est quod compatiamini, dum proditionis dignas luet pœnas, & auricularum abscisione, & compedibus quos ad finem vitæ, nisi resipiscat, non deponet. Ad has minas parentes, nihil præter lachrymas, noster tamen ne mutato quidem vultu, & eos & Nobiles intuebatur. Postera die vocat Nobilis Pseudoministrum Apostatam cuiusdam Religiosi Ordinis, & ad eum nostrum educere iubet. Eductus salutat Ministrum Nobili præsente. Ad quem Minister. Mi Frater quid te compulit vt fidem veram relinqueres? Ego vero, inquit noster, verã fidem amplex' sum. Quærit iterum num esset Iesuita, & num vota fecisset? Respõdet noster ad vtrumque affirmatiue, fecerat enim Nouitiorum vota. Tum Minister. Hæc vota in baptismo fecisti, cum promitteres te immunem ab omni corporis turpitudine custodire. Cui ille, hæc vota in baptismo non fiunt, & si fierent, valida non essent, vtpote facta sine iudicio & deliberatione; ego vero & deliberatè, & recto ac sano ea feci iudicio, quæ ad extremum vitæ spiritum seruare volo, & per Dei gratiam seruabo. Hic auditis Nobilis protulit in medium volumen hæreticarũ concionum, quas noster, dum in hæresi esset, conscripserat,

pserat, & eas Ministro ostendens, aiebat nostrum quõdam fuisse feruentem Euangelicæ veritatis sectatorem. Has deinde noster sibi à Nobili porrectas, nihil respondens ad ea quæ dicebantur, clausit. Nobilis videns se nihil proficere, consilium à Ministro capesit, quid cum illo faciendum censeret, Minister consulit, vt eum compedibus ferreis mitiorem reddat. Placet consilium, compedibus itaque ferreis, & catena ferrea vincitur, & cuidam ex famulis, Catholico tamen commendatur, qui eius curam gerat, & nemini ad eum aditum præbeat. Hunc famulum tamen noster non hostem, sed amicum fidelissimum toto captiuitatis tempore expertus est. Hic eum animabat, ei cibum & potum ministrabat, ac quocunque de se à Nobili sub secreto dicta audiuerat, fideliter referebat, & quomodo se gerere, quos homines fugere deberet, edocebat. Die quadam Dominica iubetur à Nobili synagogam, audiendæ hæreticæ concionis gratia ingredi. Consistit ad ianuam concionem hæreticam obseruans, qua finita, synagogam intrare compellitur, vt à Ministro quocum antea vixerat, conspici posset: quo viso & salutato, Minister oculis in compedes coniectis, lachrymari cœpit, lachrymis nempe Crocodili nostrũ ad perfidiam suam inflectere cupiẽs, quandoquidem verbis se aliquid posse non speraruit. Sed nec illo fallaci fletu quidquam factum. E synagoga vt in aulam noster redijt, varias iniurias expertus erat. Colaphis videlicet, loramento, & framea concussus, vnde duo in capite vulnera excepit, ob quæ caput adeo debilitatũ sensit, vt vix triduum eo liberè vti potuerit. Ab vxore quoque

Nobilis illius variè sæpius vexatus fuit, & sponsa ob oculorum modestiam continuò per ludibrium appellatus. Hæc, occasione commoda arrepta, eum accessit, & compassionem fingens ita eum aggreditur: Vndique miser derelictus es. In Iesuitis spes amplius nulla, nam & ipsi iam de seipsis sunt soliciti, & Rex quem illi liberatorem fore arbitrantur, eos relinquet. Quò te contulisti? Ad homines pessimos, qui Regnis & Vrbibus vndique pelluntur, vt pacis publicæ turbatores: qui tantorum in Regno nostro tumultuum authores sunt. Respõdit noster. Si horum tumultuum Iesuitæ fuêre authores, digni sunt vt pereant, & tanquam infames Regno ejciantur, sin minus, vtinam dispereant, qui contra eos insurgunt. Subiecit illa. Non Euangelicorum tantum ea est de Iesuitis sententia, sed etiam Catholicorum. Num ignoras quæ contra Regem Galliæ sint moliti? Ad hæc noster breuiter ostendebat, quam atroces calumniæ sub hoc Gallico figmento laterent, & cum quidam astantes Catholici, his auditis nihilominus Dominæ hæreticæ dicta contra nos approbarent, expedit se tandem noster ab illis his verbis: Etsi res ita se haberet, non tamen ob vnum Iudam Apostoli omnes laqueo perire debent, nec sequitur omnes Iesuitas esse tales, qualis vnus de quo dicitis, fuit, si fuit. Famulo etiã hæretico ad nostram religionem deserendam, & ministerium verbi apud Pseudoeuangelicos obeundum inuitanti, respondit noster, si custodem pecorum vel Tortorem ageret, feliciorem suam fore conditionem, quam si impium munus Ministri obiret, ac proinde potius se malle ex Polonia cum Societate ejci, quam cum illis

illis viuere. Contigerat etiam quẽdam Catholicum ad Nobilem illum veniſſe, cum quo certamen noſtrum inire iubet, ea conditione, vt noſter Caluini partes tueretur, & ille fidem Catholicam defenderet. A tali leuitate vt ille Catholicus abſtineret, noſter nutu hortatus eſt, cui ille morem geſsit, imo & ad conſtantiam noſtrum præſenti Domino hæretico excitabat, illud addens, minas vt nullas timeret, nam ſi te in his miſerijs contigerit mori, verus eris Martyr. Reſpondenti noſtro, ſe pro fide Catholica mori paratum: ſubiecit ille. Sic fac & viues. Poſt aliquot dies venit eò quidam Pater è noſtra Societate literas ad Nobilem, ab illuſtriſsimo Cardinali Macio ouio Cracouienſi Antiſtite, & ab Illuſtriſsimo Domino Hieronymo Goſtomslci Palatino Poſnanienſi deferens, quibus cum illo de dimittendo fratre noſtro ſerio expoſtulabant. Excepit Nobilis hic Patrem humaniſsimè, fratrem tamen dimittere noluit, imo ad maiorem contemptum curta veſte militari indutum, in Patris conſpectum produci imperauit, & poſt diſceſſum Patris catenis ligari mandauit, ne aliqua ratione clam à Patre tolleretur. Obtulit quadam vice noſtro Nobilis hic librũ de Tranſubſtantione à Miniſtro quodã editum. Sed noſter vt titulum aſpexit, librum abiecit, ac pro ſimplicitate, (necdum enim de hac materia quidquam audiuerat) reſpõdit Chriſti verba: Hoc eſt Corpus meũ, non poſſe intelligi de ſpirituali manducatione, valde enim, inquit, rudis eſſet iſta Metaphora, ſi ad locutionem: Hæc eſt veſtis mea: Hic pileus meus &c. ſignum tantum veſtis & pilei intelligeremus. Hoc reſponſum dum noſtri frater germanus, qui

huic hæretico fuit ab obsequijs, in scripto detulisset & legisset; ille dentibus frendens, & pugnis calcibusque legentem concutiēs illud ingeminabat: Etiam tu perdite vis esse Iesuita. Nostro verò ad compedes pro tali responso iussit adiungere catenas Sex interea continuis mensibus, dum compedibus ferreis constrictus noster in custodia detinetur, & de sua constantia nihil remittit, nec vllam accedēdi ad hæresim, aut hæreticę prauitatis Ministrum agendi, quę duo ab illo perpetuò exigebantur, spem saltem apparentem aut daret, aut dare vellet: Nobilis hinc exacerbatus durius cum eo agere perrexit, iam frigore intenso affligendo, iam cibum denegādo, iam varijs alijs modis agitando. Famuli tam illius Nobilis, imo & virgines hæreticæ, quæ vxori dicti Nobilis ab obsequijs erant, cibum sufficientem clam, quotidie submini strabant. Et præcipuè quædam hæretica, ipsi Dominæ præ cæteris valde chara, antequam alij quicq̄ de cibo attigissent, Nostro prius quantū necessariū erat occultè mittebat; & quia non paruam ad fidem Catholicam inclinationem præ se ferebat, à nostro dum eum cum quibusdam aliquoties inuisisset, varias pias orationes edocta; Cui etiam persuasit, vt salutationem Angelicam, à qua antea ob spiritum hæreticum abhorrebat, recitaret quotidie, examenque conscientiæ faceret. Imo & modum meditandi à nostro sibi præscriptum libenter accepit, & pollicita est se quamprimum posset, eiurata hæresi Catholicæ fidei adhæsuram. Alios præterea in illo carcere manēs noster, eos videlicet qui eum custodiebant, & alios qui ad eum visitandum identidem ventitabant, doctrina Christiana

imbue-

imbuebat, seipsum interim non negligendo, sed & meditationes, & examina conscientiæ, & alia pia ac Tironibus nostris consueta exercitia, quotidie diligenter expediendo. Nec deerat ei diuina bonitas, cum in alijs, tum potissimũ in aduersis magno animo & libẽti tolerandis, de quibus sic in quibusdam suis ad Patrem Rectorem Domus Probationis ex vinculis datis perscripsit. Compatitur mihi R. V. Gratias ago, verum iste dolor non tangat R. V. Scit enim bene qualis fuerim, quomodo vixerim, laus ergo Deo, quod pro commissis peccatis eodem in loco me puniat, quæ pœna (si eo nomine digna est appellari) loco ineffabilis gratiæ à Deo est recipienda. In perferendis omnibus quæ mihi accidũt, adeo mirabiliter Dominus Deus me sustentat, vt nunquam tristis extiterim, imo verò inuictum animum semper prætulerim, pro quo dono dilecto Iesu, qui me in Societatem suam vocauit, pares gratias referre non valeo. Hæc ille. Ex his calamitatibus, tandem Dei benignitate, ipsemet die sacro S. Thomæ, valedictione quam carmine Rithmico conscripserat, ipsi nobili & omnibus eius domesticis ad valuas synagogæ relicta, fuga euasit: compedibus secum acceptis, quos duobus ante diebus, limam sibi subministrante quodam aurifabro, contriuerat: & rationem cur illos secum acciperet, in scripto relicto Nobili illi reddidit, quod videlicet eos sibi ab eo dono datos, non dubitaret: quanquam potissimum illam ob causam eos acceperat, ne ex ijs lima dissectis, aurifex qui limam subministrarat, deprehenderetur. Dum fugeret, conciones hæreticas (quas dum in hæresi esset descripserat, & quas diu seruatas Nobilis

lis illi dederat, vt supra diximus) discerptas & dilaceratas per viam oppositam viæ in fuga tenendæ disseminauit, vt per illam si insequutores habuisset, fugisse existimaretur. Interim ad Parochum facti conscium, & Societatis nostræ amicum, duobus milliaribus ab oppido ex quo fugiebat distantẽ, noctu peruenit, à quo humanissime exceptus, cibo & calore recreatus, eques cum ductore ad pagum Nouitiatus Stempocieusem dimissus est. Vnde sequenti die lætus & incolumis ad Nouitiatum peruenit. Eum in vinculis cõflictum Illustrissimus Palatinus Siradiensis quinquaginta militum manu liberare iam constituerat. Alius idem vir perillustris, rebus quibusdam non parui momenti impio Nobili oblatis, redimere cupiebat. Sed & Superiores sub idem tempus certum hominem proposita mercede destinarant, qui eum vinculis solutum nobis restitueret, nam litibus cũ illo Nobili agere, præsertim sub hoc tempus, quo in hoc Regno omnia erãt perturbata, non expediebat. Benignissimus tñ Deus his pijs licet variorum conatibus non admissis, ipse eum liberare voluit, vt totum ei acceptum referremus. Et hæc de isto tirone, cuius vocationem Dominus ita voluit probare.

Alius à prima ætate ad Societatem se vocari sentiens, prauorum consortio illos diuinos motus ferè in se extinxerat, vnde instabilis iam ad litteras, iam ad aulam animum applicuerat, & aula iterum relicta litteras repetebat. In locis varijs, nempe Cracouiæ, Olomucij, Viennæ, Grecij; vbi tandem nonnihil substitit, & non pœnitendum in litteris profectum est assecutus. Ibidem aggressus spiritualia nostræ

ſtræ Societatis exercitia, plurimis quæ illi Religionis ſtatum perſuadebãt, inordinatum parentum amorem ac vehementiores carnis moleſtias opponebat. Tandem poſita tẽpeſtate, & ſerenitate reddita, qua diutius euocanti Numini obluctatus eſt, & feruentius in Societate iam poſitus, ſolidarum virtutum ſtudium eſt complexus.

Non parum præterea deuotionis & conſolationis attulit omnibus tironibus, & ijs qui aderant veteranis, ſolennis reliquiarum B. Aloyſij Gonzagæ, & B. Stanislai Koſtlia ad Sacellum B. Matthiæ Apoſtoli, quod in Domo Probationis eſt, translatio, octaua Martij celebrata. Cui tamen ſoli noſtri aderant, & foribus ſacelli clauſis, tota illa ſolennitas peragebatur, accedentibus ad ſacrum epulum omnibus tironibus, & per exhortationem vnius Patris ad res ſimiles imitatione exprimendas excitatis.

COLLEGIVM POSNANIENSE.

NVmerauit hoc anni decurſu Collegium perſonas 64. vt initio diximus. Ex ijs P. Hieronymus Stephanorolsci ad Cõgregationem Prouincialem Vilnam in Lituaniam profectus, ob itineris moleſtias in febrim incidens, ob eadem victus in ſuperiorem congregationem, vti ſperamus, locum ſuum tranſtulit.

Philoſophiam quadriennio, ſacram ſcripturam biennio: Theologiam Scholaſticam quinquennio, cum magna eruditionis laude, & ſingulari in defendẽdo dexteritate profeſſus eſt. Et licet talis tantuſque eſſet, caſuum tamen lectionem, quietem auerſatus à Superiore in ſequentem annum, ſi per vitam

vitam licuiſſet, impetrauerat. Zelum ipſius litteræ ad R. P. N. teſtante quibus Indicam miſsionem poſtulauit. Nec vero domi languidior: nam ex pœnitentibus, non tam multis quam paucis, optime ex eius directione in via Domini procedentibus, colligere id erat. Peſtis tempore duobus annis, non ſine deuotionis peculiaris guſtu, nauũ Catechiſtam ruſticorum egit, hocque ſi quando in miſsione verſatus eſt, ſemper obſeruauit.

Huc ſpectat labor in exſcribẽdis epiſtolis S. Bernardi contemptũ mundi inducẽtibus, pulchro quem habuit charactere, quas iis adoleſcentibus quos ad diuinos ſatus progenerandos aptos iudicabat, impertiebat, quibus hoc conſequebatur, vt non pauci Societatis noſtræ aliorumque Religioſorum inſtitutum complecterentur. Colloquia illi ſuper menſa ſecularium, de rebus ad ſpiritum pertinentibus fuêre, tum vero quę conciliandis Societati maleuolis, ignariſque rerum noſtrarum inſtituendis cura potiſsima. In recreationibus domeſticis, Fratribus Coadiutoribus fortitudinem patientiamque in laboribus ſtrenue perferendis, futuræ felicitatis præmio condiebat. Hæreticorum hoſtis acerrimus è libris Polonico idiomate editis internoſcitur. Nec vero circa ſe remiſſus, quod liber manuſcriptus ab ingreſſu Religionis piarum illuſtrationũ fructuumque orationum indicat, aſylum hoc illi fuit in ſpiritus ariditate, & incẽtiuum ad maiorem alacritatem in vbertate conſolationis. Charitate præſtans erga valetudinarios, dum lectos ſternere, & alia officia exhibere pro commoditate non detrectauit. Obſeruatum in eo argumentum humilis ſubmiſsiq;

animi

animi non exile, quando veniam ab inferioribus, si quæ offensa interceſsisſet, precibus euincebat. Absolutis curſus Philoſophici prælectionib⁹, Cracouiã tertium annum probationis facturus venerat, cum aduentus ipſius fama exciti Patres Dominicani & Academici ſalutatum illum, rogatumque vt actus publici celebritatem oppugnatione theſium adornaret, conuenerunt. Vocatus itaque per ianitorem ad portam, è culina veſte attrita, ſordidaq; indutus venit, quibus poſt multa ſe non ad diſputandum, ſed ad diſcendam humilitatem miſſum eſſe atteſtatus eſt. Sicque bene contentos à ſe dimiſit. Mirum eſt quàm Cracouienſem Academiam ædificationis odore impleuerit. In ſumma, deſiderium ſui, non apud incolas ſolum, ſed etiam apud Nobiles relictũ, quantus fuerit abundè oſtendit. Equidem vna grauis matrona, pro more patrio ad eius animam iuuãdam, agapen lautam pauperibus dedit, centum & amplius Miſſarum Sacrificijs adiunctis. Non defuit & alterius officium, quæ per multum temporis Miſſas defunctorum à ſeculari Sacerdote impetrauit.

Iniquæ hæreticorum calumniæ, non mediocriter quietem domus, exiſtimationiſq; integritatem hoc anno non tantum labefactare, ſed etiam expugnare attentarunt; at irrito conatu maiori labore, maxima verò ſua infamia. Exuſta etenim ſynagoga Lutheranorum nocte concubia diei Cœnæ Domini, abactis excubitoribus ab hominibus, ob habitum ementitum peregrinum ignotis. Noſtri mox autores facti cum ſtudioſis conſilio planè temerario pronunciantur, proinde nõ modicum, hoc præſertim

tim tempore, quo voluntates Nobilium maximè inter se dissidebant, hæret ciq; nouis rebus studebant, & omnes ferè contra nos status insurgebant, perhorrescebamus calamitatem, & eo magis quod pro Comitijs res exaggerari cœpta ab hæreticis & Pseudopoliticis. Res certè triste quidpiam portendebat, verum à P. Rectore litteris ad R.P. Prouincialem datis, Regique & alijs Senatoribus ostensis, quę modum conficti facinoris, & allitæ perperam infamiæ explicabant, effectum est, vt Regia authoritate, & procerum fauore, furor, vesanaque rabies vtcunque coercita deferbuerit. Instantibus tñ Sectarijs apud Regiam Maiestatẽ, ne eam iniuriã suæ professioni infligi impunè pateretur: neue omnio Rex dissimulatione tantũ cum sui nominis inuidia probare videretur, iudices qui rem dispicerent destinauit, vtq; in Principes harũ turbarum pœna animaduerent, potestatem fecit. Cumq; plurimi & varij in iudicium vocarentur, mirum fuit, quod nostri atq; studiosi, qui tamen initio classicum exustioni cecinisse propalam iactabantur, tunc alto silentio pressi sint. Accidit hic diuini præsidij tutelæque suorum non leue indicium. Nam ex duobus acerrimis falsitatis sectatoribus, ad hoc iudicium cum alijs deputatis, in quibus omnis spes Lutheranorum vindictæ consequendæ recumbebat, vnus è nobilitatis ordine inter præcipuos non vltimus, gremio S. Matris Ecclesiæ eiurato errore, & perfidia damnata, restitutus est, qui tanto magis fraudulentas machinationes illorum confudit, quo firmius in eo sue insaniæ fundamentũ stabiliuerant, ob prudentiam qua pollebat, & praxim olim tranſigẽdorũ ex voto,

quam

quam tenebat non mediocrem. Adiuuit eius conuersionem plurimum morbus, quo grauiter periclitabatur. Post multa ergo cum autorem excitati incendij, omni humana diligentia adhibita ignorarent, vno publice cæso qui spectator suspicionem incurrerat, damnum pudore consequenti terminare debuerunt. Addendum hoc tamen, quod Catholicorum vicinorum nullo damno incendium sopitum sit. Et quoniam Pascha celebrandum fuerat, quo suę prædicationis Pseudoeuangelicæ & deuotioni magis satisfieret, cœlo aperto, non sine plebeculæ sarcasmis & popismatibus, solennitatem exegerunt.

Singularis etiã cœlestis patrocinij cura circa nos apparit in eo, quod dum Nobilitatis ordines fere omnes contra nos, non ex nobis odij causa, aut maleuolętiæ suscitata insurgebant, nihilq; aliud quam expulsionem ex toto Regno acriter perurgebant; vnus ex ijs singulari pietate & Religione motus, rerum nostrarum vitæque penitus ignarus, ruri suo quoad malum pestis extingueretur, ad habitandum aulam concessit, neglectis proprijs angustijs. Omnia hic nobis peruia, nihil clausum, quin & animus ipse quem æstimare, non videre poteramus, plenus officiorum apertus. Magno suam felicitatem æstimabat, quod tot seruos Dei domi suæ habere potuerit; ædificabat illum plurimum animorum licet diuersarum nationum summa coniunctio, tum vero regularis disciplina & modestia, adeo vt nostram Angelicam vitam alijs etiam vicinis Nobilibus persuadere studuerit. Optima sane data occasio nobis parum fauentium conciliandorum, vt colligere ex

certis à liberalitate profectis indicijs potuimus. Locus hic (Prhybinæ nomen est) in finibus Silesiæ situs, olim Catholica Religione sacer. Verum postq̃ vt fit à vicinis malis virus Lutheranæ perfidiæ hausisset, profanatus est, quo factũ vt sylue scente agro quondam Euangelico, ob inopiam Sacerdotũ Catholicorum, spinæ & Zizania opera ministrorum diaboli consita, sementem optimam extinxerint. Hòc itaq; acrius sese opera exercuit nostrorũ, quò hæreticæ rubigini abstergendę erat incumbendum enixius. Nec vano temporis aut laboris dispendio. Nam in primis ea in ipso loci domino eiusq; coniuge (licet Catholici semper fuerint) vitæ secularis in spiritualem cõmutatio subsecuta, vt ex frequẽti vsũ orationis & Sacramẽtorum, interna consolatione delibuti, in aceruandis virtutibus obuias difficultates victores facile proterant. Præter concionẽ Polonicam vnam, & Germanicã aliam, duplici quoq; idiomate doctrina Christiana rudib⁹ maiori, quam angustiæ oratorij paterentur, cõcursu proposita explicataque est. Natalitia festa non absimili spiritus feruore transacta.

Amplus alius labori campus oblatus est, qui prę-ter septa monasterij, Prometensis oppidi incolas, ad vicinos quoque pagos quatuordecim sese extendit. Hic itaque inprimis custodia clausuraq; melior procurata, abusu mulierum in perambulando sublato. Reuerendissmus Abbas ad alia beneuolentiæ argumenta confessionem publicam in templo vni ex nostris addidit, hocque vt fratres religiosi imitarentur, persuasit, ad ostium Capituli, quoad omnes absoluerentur, expectando.

COL-

COLLEGIVM CALISSIENSE.

REditus nostrorum in fine Mensis Ianuarij ex dispersione ob pestem superiori anno grassantem, gratissimus fuit ciuitati, nostris tamen minus tutus: pestis enim quæ sedata omnino videbatur, iterũ aliquot capita prostrauit: amouit tamen Deus omne periculum à nostris, siquidem hortatu nostrorum Magistratus diligentiam adhibuit in perpurgandis, domibus rebusque infectorum. Clausa adhuc erant templa alia ciuitatis, cum venissemus propter, sepulturam tumulosque cadauerum ex contagione. Quare in templo nostro institutæ & habitæ conciones cum magna auiditate audientium, quam ex diuini verbi fame diuturna conceperant. Communis vox erat, ciuitatem, templa, pietatem reliquasque res spirituales, ob nostrorum reditum reuixisse. Prima Dominica Quadragesimæ Scholæ apertę, intraque breue tempus ad sexcenti discipuli numerati.

Porro vt ab initio huius anni nos, nostrasque Scholas, diuina bonitas tutata est; ita & toto autumno, quando iam octingenti discipuli conuenerant. Nã cum rursus pestilentia aliquot dom⁹ occupasset, eadem & Studiosos aliquos in ijs commorantes non præterijt. Vnus ex illis cum à Magistratu clausus domi retineretur, nec signa pestis ad certum tempus appareret, liber tandẽ dimissus fuit. Ergo lætus sequenti die ad Scholas properat, sed tunc casu manente Patre Præfecto in Collegij ianua

nua, ingressu scholarum prohibetur. Deo procul dubio suggerente, qui etiam illi statim iniunxit, vt domum sese quamprimum ad parentes conferret, scholis tantisper relictis. Paret ille nonnihil inuitus, & ecce duo milliaria progressus in itinere peste extinguitur, quæ scholas omnes nullo negotio inuasisset, si iuueni eas frequentare permissum fuisset. Alter ex alio hospitio pariter pestilenti, de quo nec Magistratui, nec nostris constabat, periculosior fuit; nam peste correptus scholas adibat, tertioque tantum ante obitum die eas reliquerat, sed Deo protegente nulli inde studiosorum periculum creatum, licet omnes morte inopinata consternati fuerint, & nonnulli ad certum tempus scholas reliquerint.

E Sodalibus ciuicis vnus oppidum hæreticum pijs persuasionibus ad confessionem pertraxit. Alter consultijs inter se agentes, per visitantis B. Virginis diem, & patronum, quem illi sors illo mense obtulerat, obsecrans composuit, & vt sacra exomologesi peccata delerét, persuasit. Sanctissimũ Sacramentũ ad infirmos deferentes, pulchro ordine, multos à sua congregatione ante alienos, ita permouerunt, vt ad eandem quamprimum admitti expeterent. Inusitatam in hac ciuitate supplicationem, pro Regni trãquillitate, ad ædẽ B. Virginis in pago Dembe sitam, plusquam vno milliari Polonico distantem instituerant. Ibant primo oẽs scholæ orantes & cantates, prælata effigie Christi ex Cruce pendẽtis; sequebatur deinde minor studiosorũ cõgregatio, ante quam effigies B. Virg in paita sede locata, vndiq; sericis circũducta, à quatuor pueris ornatis ferebatur.

tur. Tum maior Sodalitas eiusdem Dei Matris, cui vnus ex Sodalibus deauratam & altissimam Christi Crucem cum insignib⁹ passionis præferebat, quam iuuenes quatuor faces gestantes cingebant. Vltimo ciuiũ sodalitiũ procedebat, ante quod, velut quædam Arca, Imagibus Christi & B. Virg. vndiq; collucens portabatur, expanso supra eam velo damasceno, quod latissimè explicatum duo tenebant. Deniq; Clerus cum populo toti⁹ ciuitatis ibat, quibus Christus è Cruce pendens obiectus. Ibant verò summo cum silentio, & cum oratione continua in tanta multitudine, instar Religiosorum modestissimorum. Vbi ventum ad locum, sacra tum in tẽplo, tum in cœmiterio, ob ingentem populum peracta, concio instituta, Litaniæ decantatæ, cæteræque de Christo & B. Virgine orationes recitatę. Postquã in loco duabus horis deuotioni vacatum, redire cœperunt domum: eodem quo venerant modo, & ieiuni tertia post meridiẽ hora, cum sexta mane exiuissent, ad templum nostrum descendentes, gratijs Deo persolutis finem supplicationi fecerunt, ac domos proprias repetierunt. Missi ex Auditoribus externis hoc anno ad Tirocinia Societatis nostræ decem, ex quib⁹ 4. Philosophi, reliqui Rhetores: Domi nostræ spiritualibus commentationibus eruditi vndecim, vbi & multi desiderium cõstans Religionis suscipiendæ conceperunt, & in posterum modũ bene orandi & meditãdi, singulis diebus didicerũt. Ex hæresi extracti 36. Nec defuerũt molestiæ, qbus Dñs nostrum hoc Collegium visitauit, tũ ob limites hortulanorum nostrorum per quosdam ciues disturbatos, tum ob nostros studiosos Notarios publi-

cos vulnerantes, tum ob nonnulla alia. Sed illud hac in re accidit acerbius. Magister noster discipulum vagum ipsemet ad hospitium pergens ad scholas adducere tentat. Ille aduẽtum Præceptoris subodoratus, sclopum onerat, & in nostrum dum ianuam hospitij aperit, exonerat, brachiumque dextrum in partem vtramque globo traijcit. Omnis iuueni audaci culpa cõdonata, pacificeq; à scholis dimissus est. Huc spectant Prælati Gnesnenses à Capitulo missi, Bursæ Karnkouianæ regimen tollere à nobis hoc anno volentes, putantesq; hac in re nos difficiles futuros. Verũ cum nostros sine cũctatione id onus deponere velle aduerterent, & illud tantum obnixe rogare, ne iterum illud imponerent, obnixe petentes, vt in eo permaneremus, discesserunt.

Nec illud videtur omittendũ. Liber Patris Pladi de bono statu Religiosi, in hoc Collegio per vnum è nostris in Polonicã Linguam cõuersus, & hic Calisij impressus, multarum Religiosarum familiarum desiderio satisfecit. Domus etiam pro pauperibus studiosis liberalitate vnius Virginis empta, nõ paucos alit pauperes, magno & illorum & aliorum emolumento.

COLLEGIVM LVBLINENSE.

ACerba totius Regni procella nostros Lublinenses speciali quadam ratione hoc anno direxauit, ob milites sub hac ciuitate conuentus suos celebrantes. Constans tamen & erectus in tanta rerũ dimicatione omnib⁹ animus, precum vs⁹ frequẽs, ac afflictionũ voluntariarũ angustiæ reb⁹ nostris accisis fortiter toleratę. Adeoquippe prędia p hospitium militũ exhausta, vt nisi multa quæ prudẽ-

prudentiam raptorum effugerent, asportata ante fuissent, vix aliquid nobis superfuisset. Alebantur in proximo prædiolo ferociſsimi, hostiliterque à nobis dissidentis viri militares copiæ, quæ in omnia obuia inuolabant & spoliabant. Domui nostræ sæpe multi male ominabantur, dum vel agmina militariter instructa per campum Collegio vicinũ procederent, vel à conuentu, quem in altera ciuitatis parte agebant, redirent, & omninò nisi ab Illustribus viris tempori subuentum fuisset, nulla vis periculo nos exemisset, quanquã diuino potisimum præsidio tunc nostri armare sese contendebant, in sacello domestico exposita sacra hostia, imminentia pericula deprecãtes, & Beato Stanislao Kostka propugnatore apud Deũ vrentes. Dilapsi demum Proceres, nulla quidem re tum constituta, præter conuentum ad Sẽdomiriam toti Regno indictum: cuius causa, dum belli vires ad armandam audaciam comparantur, milites quinquageni supra centenos in prædijs nostris statiua delegerunt. Sex hebdomadis re frumentaria cum reliquo commeatu sustentati, carpentibus interim bona alijs incerti stipendij militibus. Quare & contentionum alienisimo tempore, & detrimentorũ affatim fuit. Stimulabat egentiores milites depositæ apud nos innumerabilis pecuniæ opinio; iactare passim omnes, templi supellectilem immensi ponderis asseruatam, regium thesaurum defossum, domesticum æs in fornices abditum, effecisseq; falsa suspicio non parum mali, nisi dispositorum in superiore templo bellicorum tormentorum, conscriptiq; militis deterruisset inanis opinio: nec defuerunt, qui palam experiendi causa venirent, quive sua nomina ad militiam

litiam nobis darent, si vellemus. Si quando porro digredi extra domum contigit, conuitijs plerumq; obuiorum excepti sumus, & nonnulli domo euocati cum contumelia dimissi, ob hanc causam domi nos continere aliquot mensibus debuimus, proximis tamen, quantum iniquitas temporum patiebatur, non defuimus. Hæretica labe infecti septemdecim reconciliati, quorum vnus Arianis parentibus procreatus, ac in ea peste educatus, cum ambigeret, essetnè salutaribus tinctus aquis nec nè (quadragenario enim maior erat) illam baptismi conditionem, quæ in tali casu conceditur, acceptauit. Fœmina proposito præmio ac dote, & splendidi matrimonij illecebra, ad Caluini errores, à Iudæorum perfidia inducta, postquam Patronam suam inopina mors oppressit, ad Romanam fidem se contulit. A Græcorum pertinaci schismate ad pacem Ecclesiæ seni reducti. Sacramentorum vsus mirũ in modũ increbuit, indigenis loci miratibus, & gratulãtibus.

Vocatio adolescentis ad Bernardinorum sacram familiam insignis fuit, nec miraculo caruit, nam offerente Missæ sacrificium Sacerdote, attollenteque Sanctissimum panem, Monachus S. Francisci habitu supra hostiam illi apparuit, tam diu que perstitit, donec ea reponeretur in altare. Conspecto ergo iuuenis ille Monacho, recurrit ad quendam Magnificum, qui propè aderat, percũctaturus videretnè visum illud diuinitus ostensum; cum ille responderet nullam huiusmodi speciem sibi oblatam esse intellexit à Deo vitæ genus Religiosum, in S. Francisci familia inchoandum sibi inspiratum. Quare potestatem ineundæ Religionis constanter petit &

expe-

expectat. Ad sacros aliarum Religionum Ordines sex se contulerunt, vnus ad nostram Societatem.

Inuentus rei litterariæ dedita ingenio ac virtute pariter excellit. Exhibiti ab ea Dialogi cū laude priuatim. Publice vero inductus B. Stanislaus Kostka mundo renuncians, in scenam cultu & apparatu splendidissimam, Auditorumque nobilitate & frequentia inprimis illustrem, quam mira omnium secuta est approbatio. Præcesserat paucos ante dies laudatio eiusdem, cum cantu & symphonia puerorum genere, forma, studio præcellentissimorum, acclamationibus. Orator conscensa pergula illustria Diui facinora Auditorib⁹ non solum oratione proposuit, sed etiam libellos de eiusdem B. laudibus typis mandatos distribuit, in quos trecenti ante ab eo erant collati floreni, carminum etiam affixio de eodem Beato palam in templo data varijs picturis elegans. Nec B. Aloysius meritis caruit honoribus, cuius laudes Auditore frequente relatæ, oratione pòst prælo subiecta, & Supremo Regni Marsalco, iam pridem in familiam Gonzagarum ascito, dedicata. Cuius viri quoniam mentio incidit, non abs re erit publicum eiusdē hic interere testimonium, quo morbum miraculosè per preces Beati Aloysij à se remotum, iureiurando interposito testare voluit. Eius autem verba hæc sequuntur.

In nomine Domini Amen. Vniuersis & singulis quorum scire interest, per hoc publicū instrumentum manifestum volumus. Quomodo Anno à Natiuitate Domini sexcentesimo sexto, indictione Romana quarta, Pontificatus Sanctissimi D.N.D. Pauli Diuina prouidentia Papæ quinti, die vero vn-

decimo mensis Februarij, Sabbatho hora tertia pomeridiana, in medio horologio Cracouiæ Metropoli Regni Poloniæ, in curia Illustrissimi Domini Sigismundi Myshoroslki Gonzagę, Marchionis de Miron, Supremi Regni Poloniæ Marsalci, corã Reuerẽdissimo Domino Paulo Dembski Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Laodicensi, Suffraganeo, Canonico, Vicario in spiritualibus, & Officiali Generali Cracouiensi, in mei Notarij publici, ac testium infra scriptorum ad hunc actum specialiter vocatorum & rogatorum, præsentia, personaliter constitutus prædictus Illustrissimus Regni Poloniæ Marsalcus, & ad instantiam admodum Reuerendi Patris Decij Striuerij Prouincialis Societatis IESV in Regno Polonię legitime ad perhibẽdum testimonium veritati, ad futuram rei memoriam inuitatus, viuæ vocis oraculo, beneficium quod per inuocationem B. Aloysij Gonzagæ Societatis IESV à diuina maiestate obtinuit, sub iuramento coram Reuerendissimo supra nominato Suffraganeo, & Officiali Cracouiensi, & alijs hisce conceptis verbis luculenter confessus est. Anno Domini millesimo sexcentesimo quinto. Cum essem à Serenissimo Poloniæ Rege Domino meo Clementissimo, nuntius in Carinthiã designatus, in ipso itinere die decima Octobris, in oppido Bohemiæ Budroas, circã horam mane Sacro Missæ sacrificio assistentem, quidã repẽte insolitus dolor inuasit, ipsis medicis inexpertus, qui & in lectum me prostrauit. Proxima nocte media dum dolor somnum excuteret, venit in memoriam, quoddam scriptum, quod in transitu Pragæ ab Illustrissimo Domino Guilelmo de Sancto

Cle-

Clemente Regis Hispaniarum oratore penes Cæsaream Maiestatem degente, acceperam; in quo Beati Aloysii Gõzagæ Societatis IESV nonnulla sanctitatis testimonia continebantur. Colleg me nonnihil legendo, & imaginem Beati impressam, ipsiusque merita contemplando, auxilium ipsius implorare cœpi. Res miræ! sopor repente membra occupat, & ad horas aliquot diurnæ lucis protractus, ita dolorem sustulit, vt experrectus Deo & Beato gratiis actis, perfectè sanus iter susceptũ prosequerer. De quibus omnibus præfatis admodum R. Pater Decius Striuerius Prouincialis Societatis IESV per Poloniam, petijt à me Notario publico sibi instrumentum seu instrumenta vnum aut plura confici aut conscribi, prout confeci & conscripsi rogatus & multoties requisitus, præsentibus Venerabilibus & Nobilibus admodum Reuerendis D. Stanislao Skarsleroslki Canonico Cracouiensi. Stanislao Radzinslki Societatis IESV Presbytero, & alijs testibus vocatis, & ad præmissa rogatis. Huc vsque testimonium recuperatæ per preces Beati Aloysij valetudinis.

Domesticæ res in tanta militum deprædatione non caruit pecuniario auxilio. Data enim tria millia florenorũ magno domui ad exoluenda debita commodo fuerunt, diuina videlicet prouidẽtia in rebus perditis prospiciente. Bibliothecæ insuper accessio facta, libertalitate Magnifici D. Ioãnis Koniocposlki Iudicis Terrestris Lublinẽsis, qui moriturus libros suos nobis testamento legauit, sexcentis florenis æstimatos. Cõtrouersiæ inter nos & D. Præpositum templi nostri oppidani, cõditionibus optimis compo-

posi-

posita. Fundus quidã perpetua certaminum ac cædium seges limitibus circumductus, in quo cum ducentis prope annis perpetua esset cõtentio, neutraque pars haberet exploratũ, ad quam pertineret, ac nulla monumẽta supereſſent, iurgia sunt vniuersa deposita, distracto in duas partes agro, quarum vna nobis addicta, altera concessa aduersarijs.

COLLEGIVM IAROSLAuiense.

REdditi sunt Ecclesiæ Catholicæ 38. inter quos ab hæreticis 19. defecerunt, ab schismaticis totidem. Permulti in iis erant annorum 60. alij quinquagesimum attingebant. Certè è schismaticorum numero e gregiè fœmina quædam probauit cõstantiam; vbi enim semel Catholicorum institutum arripuit, nè verborum quidem asperitate, aut munerum amplitudine, deijci de proposito potuit. Externarum nationum duo eiurarunt suos errores. Prior Anglus erat miles strenuus, posterior Turca annorum 30. Hìc captus ad Budam Dominoque sectæ Anabaptistarũ traditus, cum ad baptisma ritus Anabaptistici tũ precibus, tum pollicitationibus (aiebat enim fore vt in hæredem suorum bonorum eum adoptaret, si sibi morem gereret) solicitaretur, fortiter restitit, adijciens; sibi quidem Religionem Catholicam cordi esse, sed non Anabaptisticam, proinde si illi sectæ adhæresceret, non secus se facturum, ac si è profundo ita emergeret cœno, vt profundiori se immergeret lacunæ. Postmodum Domino Anabaptista relicto, ad Catholicum se contulit, qui postquam quadriennio constantiæ hominis periculum

culum feciſſet, cum deſiderium ſacri lauacri indies creſcere & augeri in eo cerneret, voti compotem fecit. Euocat itaque vnum è noſtris ex Collegio, qui Turcę baptiſma conferat, renuebat noſter, quod id munus Parochi eſſet, verum vicit Magnifici voluntas, qui vnâ cũ vxore Turcâ de ſacro fonte leuauit, prędmiſſa à noſtro, prout res exigebat, de Sacramento Baptiſmatis concione. Vbi menſæ accubuerunt, nouum Chriſti athletam, in capite collocat ipſe Dominus, illud adijciẽs, hoſpiti Regi meritò hunc hoſpitem, qui Chriſto hodie natus eſt, eſſe præferendum. Eodem ſacro lauacro pueri ſeptem tincti in locis hæreſi infectis, quibus acceſsit octauus, qui Arianum profeſſus erat, annos iam 30. natus

Res quædam caſu quidem, non tñ ſine quorundam ædificatione duobus noſtris extra Collegiũ accidit. Dederant ij lineas veſtes ad lauandum, eaſq; laceras, paupertas celari non potuit, tota id ciuitate percrebuit, Societatis homines ſic veſtiri, quæ res multis admirationi fuit, atque eo magis attonitos reddidit, dum poſtridie multæ oblatæ, modeſtiæ ac ædificationis cauſa, paucæ ſolum eſſent ſuſceptæ. Eiuſdem generis eſt aliud. Nobilis quidam non poſtremæ conditionis, peſsimè de Societate noſtra perſuaſus, ſiniſtram de noſtris opinionem depoſuit, dum noſtros videret feria quinta maiori pedes pauperum abluere ac exoſculari: complures primarios viros exemplo noſtrorum ductos, hoc idem facitare: imò quendam erga pauperes Chriſti accenſum amore, coegiſſe noſtros, vt illarum Cærimoniarum ritus, faſcijs lineis auro ſericoque depictis, præcincti perageret: ſimilibus linteis pedes ab-

ſterge-

stergerent: subito prorumpit in lachrimas, se indignam bono homine de Societate opinionem habuisse profitetur, velle se omnem subire satisfactionem promittit, errorem suum omnibus palam facere vult, quod perfeciſſet, nisi á nostris prohibitus fuisset. Res hæc multum potuit ad conciliandum infensum animum, cum animaduertêre, nostros in tantum suorum aduersariorum parcere famæ, vt propriæ subire iacturã malint, quam pati vt aliquid de aliorum apud homines existimatione decedat.

B. Stanislaus Kostka quantis apud Deum meritis esset, vno alterovè exemplo patuit. Adolescens quidam è Sodalitate B. Virg. eo die globo bombardæ traiectus, quo solitas ad Sanctissimã Virginem fundere preces propter occupationes Scholasticas intermiserat, acribus ex vulnere premebatur doloribus, in quibus & in ipsa euulsione ossium à chirurgo facta, cum nomen B. Stanislai inuocasset, spemque totam recuperandæ valetudinis in ipso fixisset, subitò vim morbi remisisse, ac domum se perfectæ sanitati restitutum esse affirmauit. Senserunt & alij duo, nõ se frustra preces ad Beatum fudisse, quorum alter aquæ hausto, quæ reliquiam B. Stanislai abluerat, ex ardentissima febri conualuit; alter dum se facturum recepisset, vt præcipuo cultu B. Stanislaum coleret, grauibus tentationibus liberatus fuit.

Aucta est nonnullis templi nostri supellex donarijs. Illustrissima Ducissa thecam argenteam gemmis lapidibusque pretiosis distinctam, & centum sexaginta florenis æstimatam, ad includendum B. Stanis-

Stanislai Kostka reliquias donauit. Velum item pensile duplex, alterum in vsum aræ maximæ, auro argentoque intertextum filo, sexaginta supra centum florenis constans, alterum quod à lateribus ferculi quo Sanctissimum Sacramentum populo exhibetur, fluat, quadragita aureis æstimatum. Alij pij homines varias eleemosynas tum in rebus, tum in pecunijs Collegio contulerunt, quæ ad sexcẽtos viginti florenos creuerunt. Ex altera verò parte non deerat varia patiendi materia, ob motus in Regno excitatos, qui id agere videbantur, vt & statum Reipublicæ funditus euerterent, & Societati nostræ incommodarẽt vel maximè. Militi per summam licentiam omnia debebant esse ad diripiendum peruia, horrea, prædia, tota demum supellex domestica; certè cum magna bonorum nostrorum iactura, miles aliquoties sua in nostris pagis fixit tentoria, damnaq; ea suscepimus, quæ vix sexcẽtis florenis æstimarentur, & præter milites pecora ac alia id genus diripientes, accesserat etiam atrox lues, qua pecudes extinctæ, ducentorum quinquaginta florenorum æstimationem æquarunt. Quidam atrox militum Præfectus, cum frequenter in factione hæretica Ducem egisset, & infestum Catholicorum hostem se præbuisset, hoc vel maximè anno in Spirituales omnes vires suum exeruit, & à Collegio nostro primam occœpit rapinam; prædium enim nostrum sic diripuit, vt omnia pecora abegerit, externorum militum manu sub vesperam, clam eius rei gratia, submissa. Non pepercit supellectili, cibarijs & cæteris huiusmodi, quibus famelicus miles indigere solet, factricem nostram vsque

adeo

adeo male acceperunt milites eius, vt semi necem sauciamque reliquerint, famulos in vincula coniecerint, ab ijs curiosius perquisierint, num P. Procurator alicubi lateret, ex eius enim tergo se cingula velle incidere iactitabant. Inuaserat eadem militum cohors alterum nostrum prędium, sed cum Illustrissima Ducissa suos contra eam milites expediuisset, illico ex prædio statiua summouit. Præfectus horum rapacium militum cum passim diaboli nomine conuenienti factis suis nuncuparetur, & omnes eo nomine potissimum illum accusarent, quod externum militem in Regnum introduxisset, volens aliquam sui in nos furoris prætendere causam, hoc vtrumque in illum iactatū, à nobis profectum aiebat. Erat sane cur nostris rebus metueremus, si penes turbulentos victoria stetisset. Egimus quod ad diuini numinis iram tali tempore placandam facere videbatur: præter orationē quadraginta horarum crebrius institutam, singulis diebus festis, exposito Sanctissimo Sacramento diurna durabat oratio, quæ concione & voluntaria pluriū diuerberatione communiter claudebatur. Annuit diuina bonitas precibus, cum ij tumultus præter spem omnium sine sanguinis effusione fuissent sedati. Quod vbi certis nuncijs significatum fuisset, publica supplicatio in gratiarum actionem indicta, ad ædem D. Virgini sacram in campis extra ciuitatem sitā. Eam Illustrissima Ducissa cum omnibus suis subsecuta, magno deuotionis sensu, præcedentibus omnibus nostris studiosis. Ad templum postquam ventum fuisset, vesperæ, quibus Deus in nos nostramque patriam tam beneficus, collaudaretur, decantā-

cantatæ, concioque in eum finem habita.

In reditu è conuentu Nobilium præter Episcopum Kijouiensem, qui sacro Missæ officio in templo nostro peracto, familiarissimè & humanissimè multis de rebus contulit nobiscum; & Illustrissimum D. Castellanum Cracouiensem, Ostrouiensem Ducem, qui à studiosa iuuentute salutatus est; diuerterat ad nos Illustrissimus D. Adamus Stadnisiki Castellanus Calisiensis, Capitaneus Præmisliensis, homo de nostri Ordinis hominibus optime meritus, & Illustris D. Stanislaus Stadnisiki Castellanus Præmisliensis Societatis nostræ singularis amicus, & Collegij insignis benefactor, prioris germanus frater; redibat vterque nouis tunc dignitatibus, ob egregia in Rempublicam & Regiam Maiestatem merita, auctus. Hîc cum placuisset in nostro Collegio prandium sumere, tertium inuitarunt secum magni nominis hæreticum, qui in nostram prædium cohortem immiserat, vt supra dixim⁹: erat enim de eadem familia, de qua tanti nostri fautores, & in conuentu contra Regem, & consequenter contra nos fuerat. Excusabat se is primò, dicebatque metuere se, ne sibi venenum Iesuitæ propinarent, postea tamen libens acquieuit. Hospites ergo excepti nõ epulis tantum, sed etiam versibus & breui oratiuncula; multa tũc de fide & de alijs rebus perutilibus colloquia habita, & id effectum, vt hæreticus ille humanitate & beneuolentia nostrorum victus, & libellos aliquos pios legẽdos à nostris dono acceptauerit, & is damna omnia per militem suum illata compensaturum pollicitus fuerit. Verum sat fuit illi promisisse.

SCholæ nostræ præterito anno inchoatæ, magis florere, & egregia incrementa sumere, magna cum admiratione cœperant. Floruissent sane illæ, nisi dæmonis & hæreticorum inuidia obstitisset. Iam ducentorum numerum studiosi nostri excesserant, & in pietate eximios progressus fecerant, per congregationem à R. P. Prouinciali hoc anno institutam. Erãt in illam adscripti selecti iuuenes vltra quadragĩta, qui frequenti communione & confessione, morumque honestate alios ad pietatem alliciebant.

Hæc causa fuit hæreticis nos magis diuexandi, & grauioribus iniurijs, quam antea afficiendi, ita vt nec domi nec foris vnquam tuti fuerimus. Tota enim hæc ciuitas hæretica est, & egentiores tantum in ea Catholici quidam morantur. Itaque nos primo quidem domi in ipsa recreatione ex vicinis domibus petulantiores ancillæ & pueri lapillis, putridisque pomis ac ouis petiuerunt, fenestras domus & scholarum aliquoties excusserunt: foris vero iam clamoribus & scomãtibus, iam lædorijs quas contra nos iaciebant, iam famosis libellis & pasquillis contra nos impressis, affixis, recitatis, nos diuexare non dubitarunt. Processionem Sanctissimi Sacramenti ipso Corporis Christi die, plateis circa forum catenis ferreis clausis, & manu armata impediuerunt; opifices ad reparandas scholas & domum denegarunt, studiosos ad tumultum & seditionem excita-

excitarũt, familiæ ſuæ Catholicæ templi noſtri aditũ interdixerũt. His tamen iniuriis non cõtenti vltra perrexerũt. Hoſpitia nimirum noſtris ſtudioſis denegare, falſiſsima quæque de nobis confingere & in vulgus ſpargere, apud omnes, ac inprimis apud Nobilitatem & Senatores, atque adeo apud ipſum Sereniſsimum Regem, aliquoties ſupplicare & vrgere cœperunt, vt Torunio quamprimum amoueremur. Sed cum nec Senatorum, nec ipſius Regis Sereniſsimi reſponſa ac mandata ijs arriderẽt, multis cõſultationibus inter ſe cũ aliis ſuarũ partiũ hominibus habitis, & occaſione arrepta ex diſsidio inter Nobilitatem, multoſque Proceres ac Regem hoc anno excitato, deſcenderunt tandem in eã ſententiam, vt nos domo, ſchola, ac templo pellerent, ijſque nobis omnibus interdicerent. Itaque ſexta Octobris citant nos intra vnam horam trina citatione ad prætorium. Reſponſum ijs eſt, nos ad illud forum non pertinere, ideoque nec poſſe, nec debere hac in re morem gerere, ſi quid nobiſcum haberent, agerent coram Reuerendiſsimo, cui nos hac in re parati eſſemus ſubijcere: Quo reſponſo accepto, ſequenti die edictum calumnijs plenum ad fores Prætorij affixerunt, eiuſque exemplar nobis per ſuum Secretarium domum miſerunt, cuius ſumma erat. Quod nos violenter, & contra pacta Scholas & Eccleſiam Parochialem occupauerimus, quietem & pacem ciuitatis turbauerimus; Magiſtratum ex ſuggeſto & publice traduxerimꝰ & priuatim: priuilegia eorum violauerimus: per ſtudioſos noſtros turbas dederimus, ac proinde ab ijs citati fuerimus. Quoniam ferè non comparuimus, ideo totum Se-

natum & Ordines ciuitatis mandare, vt intra dies tres domo, schola, templo cedamus. Addiderant in fine sui edicti, se ad talia contra nos non odio Religionis, sed studio pacis conseruandæ in ciuitate, ac suorum priuilegiorum, descendere. Huic edicto sicut non debuimus, ita nec paruimus, sed mortem potius expectauimus. Tertio igitur post die famuli Reuerendissimi Episcopi Culmensis, huiꝰ loci Ordinarij, ab eo ad defensionem nostrã missi, in prætorio protestationem fecerunt, de violata iurisdictione Reuerendissimi, ingerendo se in res Ecclesiasticas, & regimẽ Sacerdotum, ac pœnam sibi vendicando. Idem fecit Parochus (cuius tamen causam ciues se agere & promouere asserebãt) Respõsum ad hæc distulerant ciues, ad duodecimũ Octobris, promissa interim nobis securitate. Eo die aduenient e, miserunt per Secretarium suum responsum in scripto, quod nobis audientibus legit, idque per modum Reprotestationis. Lecto responso mox Secretarius cum alijs ad Scholas properat, & eas occupare conatus, verum quia ob vacationes eius diei occlusas repererunt, nec aperire potuerunt, re infecta abiere. Sequenti die, quæ fuit tertiadecima Octobris, summo mane veniunt quidã ex prætorio à Senatu missi, comitante eos ingenti plebe, & plurimis scloperarijs, quibus totam domum nostram cinxerunt, plateasque vicinas repleuerunt, occlusis interim portis ciuitatis, ne aliqui ex Nobilibus, aut Catholicis suburbanis, nobis in subsidium veniret. Dum ergo porta Parocho pulsanti aperiretur, domum nostram magna vi ingrediuntur, claues ianitori violenter, nec sine manꝰ læsione, eripiunt, Nobiles

biles iuuenes inde exturbant; demum vociferantur, se non inde egressuros, nisi nos cesserimus. Nos è contra cum aliquot Nobilibus, qui tunc adesse poterant (non enim ingredi permittebantur) inter quos etiam fuit vnus Regius cubicularius, totam tragœdiam lachrymabundus spectans, exclamauimus, ac protestati sum⁹ vim nobis inferri. Interea plebs insana, quæ & templum & cœmiteriū impleuerat, sacerdotibus celebrantibus illudere, ora in illos intorquere, mala omnia imprecari, imagines & altaria conspuere, pedibusque proculcare; mappas ex altaribus detrahere, Sacerdotes ab altari redeuntes protrudere, & in sacristia clausos insectari non desinebat. Per quatuor horas domi nostræ cum illis egimus, qui eam impleuerant, illius violentiæ atrocitatem ostendentes & inculcantes. Sed demum impetum illorum diutius sustinere nō valētes, cedere furori coacti sumus. Cumque ad alteram domum Parochi ipso consentiente migrare vellemus, nec hoc nobis concessum est. Ideo coacti sumus Magnificum & Generosum D. Fabianum Plemiechi, insignem benefactorem nostrum (qui ob eandem causam Torunium aduenerat) rogare, vt nobis suas ædes ad tempus pro habitatione concederet, quod ipse ob iniuriam nostram lachrymabundus, non tantum libētissimè fecit, sed & equos & currus ad res deuehendas, vltrò obtulit. Conuiuantibus igitur & potantibus illis domi nostræ (eò enim potum ac cibum pro se afferri curarant, ne indè nisi nobis pulsis discederent) res nostras colligere atque componere cœpimus, iuuantibus nos fidelissimè studiosis Nobilibus, qui dum currus, qui-

bus res noſtræ deuehebantur, comitari, & ne quid eriperetur, aut periret, cuſtodire nō dubitāt, luto, & ſaxis ab hæreticis petuntur, ſed omnia æquiſsimo animo tolerant. In domū ergo Generoſi Domini Plemechi noſtri commigrarunt, ibique deinde quique tantū morati ſunt, alijs ex R. P. Prouincialis ordinatione, poſtquam rem quæ acciderat cognouiſſet, aliò miſsis. Et hi quidē qui Torunij manſerāt, in templo ſacrarum Virginū, extra mœnia ciuitatis ſito, confeſsionibus audiendis, concionibus & ſacris faciendis occupabantur, quod vt hæretici impedirent, diebus Dominicis omnes portas ciuitatis claudebant, vnica tantum eaq; remotiſsima aperta, vnde nec nos, nec alij ad illud templum ſine magno labore, & moleſtia recedere potuerunt. Interea Nobilitas Catholica vicina, ea videlicet quæ in diſtrictu Cuiauienſi, qui Torunio adiacet, moratur, poſtquam tantum facinus agnouiſſent, Dei, Religionis, noſtram & ſuorum librorum tam atrocem iniuriam iniquiſsimè ferentes, ex conuentu ſuo aliquos ad Torunenſes amandarunt, qui ob tantam audaciam iura vicinitatis Torunenſibus, eorum nomine denegarent, niſi nos ſtatim reſtituerent. Perculit ea res aliquantulum Torunenſes, & ideo reſponſum in re, vt aiebant, adeo graui differentes, legatos eluſerunt. Non minus etiam Sereniſsimus Rex de nobis ſolicitus, ſerio cogitauit & effecit, ne vltra duos menſes templo & domo noſtra priuaremur. Secretarium enim ſuum 29. Nouemb. ad Torunenſes miſit, præcipiens & mandans, vt locis noſtris reſtitueremur. Proterui hæretici reſpondērūt, ſaluis ſuis priuilegijs ſe id non poſſe facere, niſi prius

cum

cum alijs ciuitatibus, Gedanensi videlicet, & Elbingensi, quæ cum illis sunt confœderatæ, rem conferrent. Quod responsum licet Nuncius Regius non acceptaret, pergere tamen vlterius non potuit. Nostertamen Reuerendissimus, qui tunc cum nonnullis proceribus Torunium venerat, authoritate pastorali, inuitis & reclamantibus hæreticis, introduxit nos inprimis in domũ nostram, in qua ipse hospitatus; deinde die sequenti, quæ in Dominicã primam Aduẽtus, & 3. Decemb. inciderat, nos Cathedram intemplo cõscendere, verba adpopulũ facere, sacra celebrare, & cõfessiones pœnitentiũ excipere iussit, cum oím Catholicorum, qui aderant summa gratulatione, & hæreticorũ obgannientiũ ac impedire conantiũ, concursu. Nihil tñ tunc sunt ausi, nisi quod vim sibi fieri, & priuilegia sua infringi clamitarent, publicè protestantes, se post discessum Reuerendissimi nostros iterũ expellere velle, quod proculdubio feciſſent, nisi diuina prouidentia affuisset. Eodem enim die, dum adhuc in templo cum Reuerendissimo & alijs proceribus maneremus, allatæ à Serenissimo litteræ salui & vocant conductus, quibus Serenissimus significabat, se nos nostraque omnia in suam protectionem & defensionem recipere, seuereque prohibebat, sub pœnis grauissimis, ne quid iniuriæ aut molestiæ nobis inferrent; mandabat præterea Magistratui Torunensi, vt eas litteras publicarent. Læti omnes tanquam de manu Domini hasce l.teras excepimus, easque quinto Decembris ciuibus ad prætorium misimus. Non libenter quidem, sed tamen reuerenter eæ à Torunensibus acceptæ, & lectis illis, cum nescirent quid

agerent, stylum mutare, ac se intra limites continere debuerunt. Et publicarunt quidem eas, sed non sine nostra iniuria, scripto quodam sigillo ciuitatis munito, & conuitijs in nos pleno addito, in quo aiebant se per nostros apud Regẽ traductos, & nos per malam informationem saluum cõductum obtinuisse: præterea se ad Regiam Maiestatem prouocare, eique meliorem informationem dare velle, se priuilegijs suis cedere nolle. Addebant tamen in fine eiusdem scripti, veriti videlicet, ne tanquam rebelles postea iudicarentur, se à fidelitate & obedientia erga S. Regiam Maiestatem & Regnum vniuersum, ne in minimo quidem recedere velle. Et his omnibus necdum contenti, cum alijs Prussię ciuitatibus hæreticis, iam ab vno & amplius mense agunt, vt secum in nostram expulsionem conspirent, extrema volẽtes tentare potius, quàm nos secum habere.

Nos interim in tãtis tempestatibus consueta Societatis munia obire non desiimus, in concionibus, confessionibus, infirmorum visitationibus, non sine maximo afflictorum Catholicorum solatio. Nec deerat aliquis in agro sterili per Dei gratiã prouentus. Absoluti ab hæresi quindecim. Disidia inter Nobilissimos quosdam coniuges, & nonnullos vicinos extincta.

Puella quædam Catholica, cum ab hæretico parente ad Ministri sui concionem audiendam impelleretur, maluit ei ceruicem amputandam porrigere, quam hæretici Ministri concionem audire, quo exemplo mater eius permota, hæresim etiam abiurauit. Alia Catholica hæretico inseruiens Domino,

cum

cum intellexisset Iubileum in templo nostro promulgatum, petijt à Domino licentiam, templum nostrum adeundi ad consequendas indulgentias; sed cum à Domino bis repulsam pateretur, impetrauit id tertia septimana ab ipsa Domina, ea conditione, vt dum abesset domo, aliam in locum suum substitueret, quod & fecit. Porro tempore Iubilei in templo Parochiali D. Ioannis, quingenti supra duo millia confessi sunt, & communicarunt, quo tempore etiam duorum Monasteriorum sacrarum Virginum confessionibus excipiendis, aures datæ sunt. Spem porro magnam in Domino habemus, & Scholas breui reducendas, & hanc tempestatem tranquillitate terminandam.

RESIDENTIA LEOPOLIENSIS.

REdditi Ecclesiæ vndecim. Schismatici quatuor; Turca vn⁹; Iudæus vnus; Armena vna; Hæretici quatuor; inter quos insignis fuit vnius Anabaptistæ ad Ecclesiam accessio. Miles is erat nobilissimis natus parentibus, postea tamen & vitæ superioris, & militiæ, & hæresis pertæs⁹, vt faciliorem ad Catholicos accessū haberet, baiulum vilissimum strenuè agere non dubitauit, & ita incognitus, liber ad nostrum aduolat, sacras Baptismi vndas supplex petens. Noster collaudato eius studio, diem certum cõstituit rei quam optauerat perficiendæ. Interea hostis euigilat, auum Adolescentis perfidum contra nouum Christi militem euocat, diu varia molitur, sed frustra, & cum deinde ne alloqui quidem fortem Christi athletam posset,

neci eũdè dare cõstituit, sed irriti & irrisi conat⁹. Postridiè ergo sũmo manè, sacris vndis abluitur miles Christi, auus verò pudore suffusus, vanas minas intentans, & ingemiscens abijt. Non minus grata fuit Turcæ cuiusdam ad Christi fidem conuersio, qui audita vnius nostri concione, ad eum illicò accurrit, & vt sacro lauacro ablui posset, vehementer rogat, quod & postea impetrauit. Iudæus etiam, rerum sectam suam concernentium, valde perit⁹, cum ad fidem Christi aspiraret, in conspectu præcipuorum Iudæorum elementis fidei primum instruitur, & postea salutaribus aquis tingitur. Hîc vix Baptismo expedito, magno zelo ad suos Israëlitas, stupentes & attonitos, de omnibus fidei articulis sermonem habuit, cupiens videlicet aliquem ex ijs suum imitatorem habere.

Cum varijs Nobilibus, qui sub hoc tempus Regias partes oppugnabant, & castra castris, militem militi opponebant, Societatemque nostram opprimere iniquissimè laborabant, actum à nostris non infeliciter. Multorum enim animi ad Regem conuersi, & ex hostibus nostris amici effecti adeo, vt iniqua contra nostros decreta rescindere non dubitarent, erroremque suum gemebundi agnoscerent, & ob noxas per Sacramentum pænitentiæ eluendas, ad nos accurrerent. Declarauit tum horum tum aliorum, tunc animum in nos prolixa liberalitas, qua Domui Leopolienſi nostræ, eleemosynæ nomine quatuor millia florenorum & quingentos contulerunt.

Deuoluta etiam hoc anno ad nos Synagogæ Iudæorum ex decreto Regio possessio. Hinc vigesi-

ma

ma octaua Mensis Februarij, in eam à nostris iuridicè factus ingressus. Aderant Nobilissimi quique cum Magistratu & Regio & ciuili. Plebs ēt. tota ex ciuitate ad id spectaculi sese effuderat. Vbi ergo ad Synagogam ventum, Iudæi Synagogæ portam reserant, clauesque nostris magno suo dolore in manus tradunt. Vulgus acclamat, gratulatur, & quod visu non iniucundum erat, accensos cereos in arā, in qua suum antiquū, vt appellant, testamentum Iudæi recondere solebant, acruatim proijciunt, vel hoc indicio aram vero Messiæ Christo ac nostræ Societati consecratam esse cupientes. Et res quidem hæc post tot contentiones nō omninò adhuc ex sententia cessit; adegit tamen Iudæos ad varia quærenda media, quibus nostris in hac ciuitate locus commodus inueniretur & coemeretur, de quibus sequenti anno.

RESIDENTIA GEDANENSIS.

ANnus hic nostris Gedanensibus benignior in ingressu, quam in progressu fuit. Dederat enim magnam spem certi alicuius loci potiundi, pro residentia hac in futurum stabilienda, verū indefessa diaboli inuidia, hæreticorumq; malitia non solum locum, quem sperabamus, sed etiam templum quo iam fruebamur, nobis eripuit. Rem breuiter narrabo. Est Gedani Monasterium S. Brigittæ, cui adiacet templum, in cui⁹ angustissimo angulo (ipsū enim templū ante viginti annos, ad circūstātes vsque muros ignis absūpserat) Patres nostri à duodecim annis, iussu loci Ordinarij sacris opera-

ra-

rabantur, concioneſque ad populum faciebant. Contigit igitur, vt ante ſexennium Illuſtriſsimus V Vladislauienſis Epiſcopus Ioannes Tarnaroſci felicis recordationis, ſuam viſitando diœceſim, Gedanum quoque diuerteret; vbi cum edoceretur, quo fructu ac animarum lucro, in angusto illius templi angulo conciones fierent, adiecit animum ad totius templi reſtaurationem, ac duodecim millibus florenorum Polonicorum perfecit. Cum reſtaurato templo, cœpit ſenſim reſtaurari populus Chriſtianus, reuertebantur profugi, timidioribus nouus acceſsit animus, tantuſque fiebat indies hominum concurſus, vt intra breue tempus notabile damnum ſenſura crederetur hæreſis. Imo ad ipſas adiacentes moniales, quarum duæ vtcunque vetulæ ſupererant, fructus concionum promanauit. Cum enim antea ſine ordine viuerent, & noſtrorum conſuetudinem vehementer deteſtarentur; ſuperiori anno animum ad nos applicuerant, & apud vnum è noſtris totius vitæ confeſsionem fecerant. Hoc ergo modo ipſæ innouatæ, Zeloque lucrandarum animarum tactæ, plurimum referre putabant, ſi certo loco, & quidem templo huic proximo, noſtri reſiderent. Atque adeo re pertractata cum admodum R.D. Officiali, qui omnia ad nutum loci Ordinarij expedit, Virgines ſupradictæ locum noſtris aſsignant, qui quondam erat Monachorum Brigittanorum. Non ita diu pòſt noſtrorum opera, & plures Virgines ad Profeſsionem diſpoſitæ, & Monaſterium reformatum, & fores eiuſdem, quæ vtrique ſexui promiſcuè patebant, arctius cuſtoditæ eſſe cœperunt. Aduertit

hunc

hunc successum Magistratus hæreticus, ac qua ratione conatibus Sanctimonialium obuiam eat, seriò deliberat. Itaque sine mora Secretarium ciuitatis vnâ cum duobus ciuibus ad Moniales ablegat, sciscitatum, an earum scitu ac consensu Iesuitæ locum Monasterij iuxta templum situm occuparint. Responderunt illæ non solum nostro scitu, sed etiam rogatu huc migrarunt, annuente loci Ordinario, supra hanc rem à nobis per litteras requisito: tum illi: at Magistratus noster, cum ius Patronatus sibi vendicat, id factum vestrum reprobat, negatque Iesuitas sine Senatus licentia hic residere posse. Rogamus, inquiunt Sanctimoniales, vt Magistratus Gedanensis nostris priuilegijs ac legibus nihil derogare attentet: regulæ enim nostræ huiusmodi negotia ad spiritualem Magistratum remittunt, cuius est ouibus de pastore prouidere. Hoc responso accepto Secretarius abijt, alteraque die reuertens, vbi intellexisset perstare Virgines in pristina sententia, minas iacere, terrores promere, excidium totius Monasterij proponere cœpit: quibus tantum abfuit vt frangerentur Virgines, vt & postmodum arctissimam clausuram seruare, ac ne ipsos quidem nuncios à Senatu missos, intra septa Monasterij amplius admittere constituerint. Magistratus igitur animaduertens Sanctimonialium constantiam, & vt ipsi vocabant, pertinaciam, ad extremum mittunt monitum Sanctimoniales, vt nihil innouent circa clausuram Monasterij, sed morem antiquum à tot annis vsurpatum sequantur, ni faciant, inuenturum Magistratum viam aperiendi Monasterium. His & similibus minis Virgo superio

rior timidior reddita, à primo proposito & constantia concepta desilit, reclamanteque toto sororum conuentu, fores Monasterij reserat, & ad veterem dissolutionem relabi patitur. Quamuis autem Magistratus hæreticus persuasus erat, hisce ausibus ac motibus omnia ruitura, tamen Deus misericors nihilominus Sanctimoniales pleraſque, ex quibus vna est, quæ Prioriſſa dicitur, tanta fortitudine armauit, vt à feruore semel cõcepto, & spiritu hausto ne latum quidem vnguem discedant, speſque sit, vbi motus Polonici quieuerint, omnia rursum Gedani conualitura. Animosis deinde & varijs scriptis ac responsis ad Magistratum datis, partes nostras Sanctimoniales propugnabant. Suspicans ergo Magistratus inexpectatam hanc Virginum mutationem, ac masculum animum, relictis Monialibus, Superiorem Residentiæ ad Prætorium, vbi tum considebat frequens Senatus, vocat, idque semel atque iterum factitat, Superiore nunquam domi reperto. Omnium enim sententia erat, abstinendum esse â congressu, donec palam fieret apud populum, cur ad Prætorium resuitæ vocarentur. Cum enim populus maximè pronus sit ad malè loquendum de omnibus hominibus, tunc vel maxime occasionem nacti fuissent, quiduis Societatis hominibus siniſtri imponendi, cum maximo detrimento bonæ famæ, quando nec author quidem in tanto populo siniſtri rumoris inueniri potuisset. Interim recusanti Magistratui causam reddere vocationi Patrum ad Prætorium, Admodum R. D. Officialis Patrum nomine respondet, se salua auctoritate ac iurisdictione loci Ordinarij permittere nõ

posse,

posse, vt Patres Societatis apud Senatum compareant: omnis enim nouatio periculosa, consuetudinem nunquam fuisse Gedani, vt spirituales in Prætorio iudicentur. Præterea negotium præsens, inquit D. Officialis, non ad Patres spectat, sed ad loci Ordinarium, ac ad ipsas Sanctimoniales, quarum iussu ac consensu Patres Societatis Iesu tàm templi, quàm adiacentis loci vsum hucvsque tenuerunt: se rogare vt spectabilis Senatus tamdiu negotium præsens differat, donec copia sit Reuerendissimi Episcopi, qui tunc publicis Regni negotiis detinebatur, conueniendi. Quod si mora displicet, tum Amplissimus Senatus vnum aut alterum è suo ordine ad Domum D. Officialis destinet, qui potestatem habeant coram Officiali, de omnibus cum P. Superiore tractandi & decernendi. Sed ne hoc quidem impetratum fuit. Pater Superior nihilominus adiit vtrumque Consulem, & quid circa templum ac locum tẽplo adiacentem fuerit actum, exposuit: tum quidem alter coram respondit, se nihil priuatum, quod agat cum superiore, habere, oportere illum comparere in Prætorio, alter verò cœpit excurrere in nostrum Ordinem, perniciem vocans Christiani orbis, turbarum ac in primis Polonicarum authorem. Cui responsum fuit humaniter à Superiore Residentiæ, turbas maiores multò quam nunc, orbem ac ciuitates tenuisse, antequam nomen Iesuitarum audiretur; circa nos agi hoc, quod contra primitiuam Ecclesiam, in quam quidquid cladium orbis sentiret, reijciebatur. Sic ab inuicem discessum est. Haud multò pòst quando vel maximè disidia Polonica feruebant, Senatus Gedanen-

danensis ad valuas rempli affixit scriptum, quo sub graui pœna, templo, habitationeque intra triduum discedere, Societatis homines iubebantur. Continebat autem scriptum has præcipuè causas eius in nostros latæ pœnæ. Primum quod inscio Magistratu Gedanensi Patres templum occuparint: deinde quod sine facultate eiusdem Magistratus ibidem exercitia, sacraque sua peregerint, tum quod in administrationē Monasterij sese ingesserint, atque in Senatu comparêre detrectauerint: denique quod vbique gentium nouis rebus & motibus studeant. Purgandi locus non dabatur, alioquin ostensum fuisset, rationes allatas partim fictas esse ab aduersarijs, ad exturbandos Patres de possessione sua, partim contra iurisdictionem Episcopalem militare, cuius vt fuit Patres in eo loco constituere, ita inde amouere. Paruimus tamen, quia vi non iure agebatur, rem Deo commendantes, ac hucvsque adhuc in Domo R. D. Officialis pacificè habitantes, priuato sacello ad sacra peragenda vtimur. Sanctimoniales iniquitate rei vehementer commotæ, legationem paulò pòst expediuêre ad Senatum, petentes humiliter, nè in suis sacris impedirentur, idque bis teruè factum, sed frustra. Interea Caluinistæ libellis famosis apud populum Societatem nostram traducere nituntur, sed quia per Dei gratiam horum nihil in nobis, qui multis annis familiariter illis vtimur, deprehendunt, sensim criminantium mendacia in lucem prodeunt, eaque ipsimet erubescunt.

Etsi itaque ob huiusmodi turbas in vinea Domini non tantum laboratum fuit hoc anno, ac superiori-

rioribus', absque fructu tamen omnino non abijt. Ad Ecclesiam ab hæresi reducti sunt triginta, multi nutantes in fide confirmati, inimicitię reconciliatæ, exhortationes in varijs Monasterijs magno cum fructu habitę, exercitijs spiritualibus, tam Religiosi quam seculares imbuti, libelli controuersi in populum vtiliter sparsi, & quod mirum est in hac ciuitate, pedetentim is feruor ac amor erga Deum in animis quorundam insedit, vt primitiuæ Ecclesiæ Christianos referre videantur. Adolescens viri primarij huius ciuitatis filius Ecclesiæ restitutus, apud parentem in suspicionem venerat, de secta patria deserta. Licet enim iuuenis mirè quod in animo gerebat tegeret: tamen prodebat eum indies magis magisque morum integritas. Parens tandem iuuenem varijs interrogationibus aggreditur, si qua ratione verbo lapsum deprehenderet Catholicum. Subinde etiam abducens eum ad recreationes extra ciuitatem, scisscitabatur apertis verbis, numnè iam imbibisset Iesuitarum spiritum. Sed Adolescens tam dextrè respondebat, quàm vafrè Parens interrogabat. Vbi interrogatiunculis nihil proficeret, iubet filium ad confessionem ac cœnam faciendam Lutheranam, ostendit se filius promptum; ventum est ad templum D. Catharinæ, vbi considebat Prædicans. Dumque parens primum accedit, filius clam se subtrahit ex templo, domumque abit. Parens Perfecto suo opere circumspicit (instruxerat enim Prædicantem, quid ageretur circa filium) quærens iuuenem, quo non inuento, plenus ira domum properat, verberaque minatur filio, ni sine mora ad Prædicantem redeat.

Iuuenis causatur ægritudinem, & ingentem pedis vnius dolorem, qui non est diutius eum in templo remanere passus. Calua, inquit parens, excusatio, vade nî manus meas experiri velis. Accepta ergo à parente certa pecunia (nam Gedanenses Lutherani ad suos Ministros confessionis causa, sine ea non veniunt) ad templum properat. Non inuento Prædicante, ibi domum illius petit, hisque affatur hominem verbis : Domine Prædicans, scito me propter conuersationem quam habui cum Iesuitis, quosdam articulos nostræ fidei non approbare, cupereque primum à te instrui ac conuinci, antequam tibi confitear. Tum Prædicans: Fili mi, non vacat modò tecum de his rebus agere, est enim crastina die mihi habenda matutina concio. Miror adhuc te hæsitare in ijs, quæ toti mundo nota sunt. Quis nescit Papistas plusquam in Cymmerijs tenebris versari ? tum Iuuenis. Bene habet, differam ergò cœnam meam & confessionem, vsque dum Witenbergam venero, & hæc dicens pecuniam quam parens dederat, Prædicanti tradit. Accepta pecunja, iuuenis domũ abijt, ac quæ gesta erant Parenti significauit. Breui pòst dum iam iter witembergense Adolescenti immineret, insigni epulo omnes Prædicantes parens excipit, qui conuiuio ad mediam vsque noctem detenti, à diuexando iuuene omninò abstinuerunt, eo præcipuè nomine, quòd Witenbergam pergeret, quo in loco omnes Papisticas opiniones eum nullo negotio depositurum arbitrabantur. Itaque die sequenti onerant Prædicantes Adolescentem infinitis litteris ad amicos & Professores witembergenses datis, qui-

quibus acceptis iuuenis, ad decem milliaria à parente, qui metuebat ne clam Gedani maneret, deducitur. Peruenit iuuenis witembergam, ibique hæsit per octiduum, quo exacto ait se in mandatis habere à parente, vt antequam ordiatur studia, prius videndum Lipsiam excurrat. Annuentibus Professoribus, rebusque suis acceptis discessit, & redijt in Poloniam ad nostras Scholas, in quibus hodie Philosophica studia tractans, ignotus versatur, probitatis ac profectus in litteris magnum de se præbens specimen.

RESIDENTIA SENDOMIRIENSIS.

ANnus hic non ciuitati tantum Sendomiriensi, sed vniuerso huic districtui & memorabilis & miserabilis omninò fuit, ob incredibiles depopulationes militum, quorum ex toto Regno ingentes copiæ, à Nobilitate & à multis Proceribus adductæ, Sendomiriæ stationem per quatuor ferè menses habebant, atrocia quæque contra Regem, Senatum, statum Ecclesiasticũ, & nostram Societatem minitantes, & decernentes. Nostri toto hoc tempore non ad res magnas agendas, sed ad omnia acerba toleranda, sese comparabant. Deus tamen Clementissimus ita aduersarios contra nos frementes cohibuit, vt & in bonis nostris vix aliquod detrimentum subierimus, quod à multis tanquam miraculum quoddam habitum fuit, & ipsorum nostrorum hostium, non exiguum fauorem aliquoties fuerimus experti. Et quidem

ille qui tantorum motuum author erat, contraque nostram Societatem grauiter exacerbatus, multorum falsis contra nos delationibus credebat, non tantum humanissimè nos excepit, dum ad eum salutandum veniissemus, sed etiam facti sui rationem fusissimè nobis reddebat, iudicium nostrum requirebat, facilem aditum ad se quoties vellemus, offerebat, & nostra bona defendebat. Illustrissimus vero D. Hieronymus Gostomslci Palatinus Posnanensis, in his tumultibus semper Regi fidelissimus, licet eò quod partes Regias sequeretur, ingentia damna subierit, quæ ducentis millibus florenorum æstimata sunt; in tantis tamen suis angustiis, nam militum præterea multas cohortes in gratiam Regis semper fouebat sumptibus maximis; & damnorum & sumptuum propriorum immemor, nostri nolebat obliuiscì, præter varias eleemosynas, ornamentaque altaris trecentis florenis æstimata, nobis misit. Ciues etiam nostri, eius montis, in quo Collegiũ situm habere debemus, egregiam partem ad Istulam fluuium sese protendentem, post primam nostram postulationem liberalissimè nobis donarunt. In ripa porrò eiusdem fluuij obstaculum hoc anno nostri posuerunt, ad aquam auertendam, quæ montem in quo Collegij fundamenta sunt iacta, non leuiter labefactabat.

MISSIO LVCCORIENSIS IN VOLIniam.

MVlta contra nos sub hoc turbulentum tempus per Voliniam à maleuolis sparsa, magnam alienationem à nobis variorum effecerant: sed Dei auxi-

auxilio, qui malorum disipat consilia, falsæ narrationes ita efficacibus rationibus conuulsæ manserunt, vt præcipui quique conceptam de nobis opinionem, qua ob famosos libellos passim contra nos volitantes imbuti erant, deposuerint, & cognita Instituti ratione, vehementer illud probauerint, petierintque, vt aliquo libello in lucem edito, tantas contumelias in nos iactatas diluueremus, quod & factum est. Sub idem tempus aliquot excu. sionib' duo millia hominum ad pœnitentiæ Sacramentum adducta, inter quos septingenti reperti, qui à plurimis annis confessionem intermiserant, nec aliam tantæ negligentiæ causam dabant, præter Sacerdotum in hac regione defectum. Quod audientes quidam Prælati eius Diœcesis, obortis lachrimis petebant, vt aliquantò plures operarij Societatis ad frangendum paruulis panem eò venirent. Offerebat vnus ex illis certam pecuniæ summam, pro nostrorũ perpetua missione in illis oris, ne animæ Christi sanguine acquisitæ, deficiente cibo spirituali, fame & inedia miserè pereant. Exaggerabat hãc compassionem, multorum singulare studium, quorum alij à septem, nouem, decem, & duodecim milliaribus Polonicis confessionis causa ad nostros accurrebant. Plurima enim in Podolia & Volinia vastissimis regionibus, talia extant loca, in quibus populus, sine altari, sine Sacerdote, sine Ephod, sine Teraphim, miserabiliter remanens, nullam Dei ac diuinorum cognitionem habet. Ibidẽ viginti schismatici, & septem hæretici Ecclesiæ sunt redditi. Matrona quædam Nobilis, dum videndi nostri causa ex curiositate ad templum Catholicum veni-

ret, bono dolo ad fidem Catholicam est adducta, subornato videlicet Magnifico, qui nos ad se vocauerat, vt eam in domum suam inuitaret, & ad colloquium de Religione cũ nostro adduceret, quod vtrumque cum fuisset factum, ejecta per confessionem hæresi, cum alijs totius vitę noxis, domum alia quàm discesserat, redijt. Magnificus quidam, & Regni Poloniæ Senator, semper antea alienumà nobis gerens animum, & in varijs Regni conuentibus nostros perstringens, odium nostrorum in magnum amorem & beneuolentiam commutauit hac ratione; inuitauerat amico quodam nostro suadente, ad Festa Natalitia, nostros: ob primam solennitatem, quam in templo recens à se magnis sumptibus extructo, peragere constituerat. Non recusarunt nostri, libenterque hanc occasionem conciliandi sibi hominem, in quo illis in partibus nõ parum momenti esse positum sciebant, arripuerunt. Manentes ergo ibi nostri, toti concionibus & confessionibus omnium, quicunque accederent, etiam egentissimorum, pro more Societatis, occupabantur. Hoc dum ille accuratiº illis diebus obseruasset, non tantum conceptam de nobis malam opinionem deposuit, sed etiam viginti millia florenorum, pro fundando in suis bonis Collegio, offerre non dubitauit, & duos milliones laterũ, quos ad extruendam arcem contexerat, statim Collegio extruendo applicare voluit, bonaque nonnulla immobilia in eandem rem designauit, idque planè eò tempore, quo in toto Regno de nostris è varijs Collegijs pellendis agebatur. Concludam hanc missionem mirabili quadam Ministri hæretici blasphemi pœna

diui-

diuinitus immissa, quæ in hac Luccorienſi Diœceſi contigit. Cum Dominus Niemiera, Venator Podlachiæ, cũm ſorore ſua cadauer matris ſuæ hæreticæ in templũ Catholicum, quod ipſorum eſt iuris Patronatus, inſcio Epiſcopo, & fruſtra reclamante Parocho, introduxiſſet ac ſepeliuiſſet; duos ſecum Miniſtros Lutheranos pro funere adduxerat. Ex his vnus ſaxagenarius, magnæ apud hæreticos reputationis, cum funebrem concionem haberet, vehementer in ſacras imagines, ac præcipue in imaginem B. Virg. Cheſtochouienſis, quæ in Regno Poloniæ ſumma Religione colitur, inuehebatur, & blaſphemis iocis eam proſcindebat. In eum ſtatim dum è templo egrederetur, & ſecurus inter alios incederet, ſex equi Domini Sadoroſlci Catholici viri, qui tunc currui iuncti, aurigis etiam inſidentibus, non longè à templo ſtabant, ſumma ferocia incurrerunt, & dentibus dilaniarunt, nec prius, niſi mortuum reliquerunt, fruſtra prohibere conantibus aurigis, & alijs circumſtatibus. Hoc poſtquam equi feciſſent, quietè nemine alio læſo, cum ſuo curru conſtiterunt. Et licet Deus præpotens ita iniuriam ſuam ſit vltus, Reuerendiſsimus tamẽ violationem Eccleſiæ, pro exemplo impunè abire non patietur, acturus de ea cum dictis Nobilibus ſuo loco & tempore.

ANNVÆ LITTERÆ VICEPROVINCIÆ LITHVANIÆ ANNI 1606.

SVnt in hac Viceprouincia de Societate 250. In Varsauiensi Professorum Domo 12. Sacerdotes 8. Temporales Coadiutores 4. In Collegio Vilnensi 59. Sacerdotes 16. & ex his in Missionibus duo occupantur. Prælectores 12. nempe Grammatices 4. in totidem Classibus. Humaniorum literarum vnus; Rhetorices 1. Mathematicarum 1. Philosophiæ 1. Scholasticæ Theologiæ duo; Scripturæ & Controuersiarum 1. Casuum conscientiæ 1. Scholares Theologiæ 16. Philosophiæ 7. Coadiutores 14. In Vilnensi Probationis Domo 36. Sacerdotes veterani 3. Scholastici 24. Coadiutores 9. è quibus tres sunt veterani. Ad Professorum Domum Vilnensem, vbi D. Casimiro Templum ædificatur, manent septem, Sacerdotes 3. Coadiutores 4. Brunspergense Collegium alit ex nostris 35. Sacerdotes 16. ex eorum numero tres sunt Præfecti, vnus Pontificij Seminarij; alter Diœcesani; tertius Conuictorum curã habet. Præceptores septem, nempe Grammatices 3. in totidem classibus; Poetices 1. Rhetorices 1. Philosophię 1. controuersiarum & casuum conscientiæ 1. Scholasticos in Philosophia 8. Coadiutores temporales 7. Collegium Pultouiense habet personas 28. Sacerdotes 11. quorum vnus Seminarium regit. Prælecto-

lectores grammatices 4. Humaniorum 1. Rhetorices 1. Philosophiæ 1. Controuersiarum 1. Casuum conscientiæ 1. Philosophiæ Scholares 8. Coadiutores 6. In Collegio Niesuisiensi manent 33. Sacerdotes 13. inter hos tres in Missionibus frequentibus occupantur, profitentur grammaticam 2. in totidem Scholis; Humaniora 1. Rhetoricam pro Academicis nostris 1. Scripturam & controuersias 1. Casus conscientiæ vnus; Audiunt casus, scripturam & controuersias quinq; nostri; Rhetoricã totidem, Coadiutores habentur 8. Polociæ numerantur 19. Sacerdotes 9. Præceptores grammatices 2. Humaniorum 1. Coadiutores 8. In Collegio Rigensi sunt 13. Sacerdotes 7. vnus Prælector poeticæs, alter grammatices; temporales Coadiutores 5. Derpati habitant 5. Sacerdotes 3. Coadiutores 2. Agunt tertium probationis annum in Collegio Iaroslauiensi, 5. Sacerdotes. P. Viceprouincialis habet penes se Sacerdotem vnum, & Coadiutorem alterum. Admissi in Societatem hoc anno 16. vita functi 7. Sacerdotes 6. temporalis Coadiutor vnus.

DOMVS PROFESSA VARsauiensis.

PRæter consuetas Eleemosynas, accesserunt hoc anno è liberalitate vni⁹ amici, & Benefactoris insignis, pro templi structura floreni 500. tum pro sacrosãcta Eucharistia asseruãda, & distribuẽda, ferculũ opere perelegãti elaboratũ, florenos 100. circiter constans. Duæ quoq; pro sacrificio vestes sacræ ex auro serico intertextæ. Ad Ecclesiam opera nostro-

rum reducti 12. vitam impuram abiecêre 18. èquibus vnus fuit, qui noſtrum Concionatorem, peccati damna explicantem, audiens, meliorem deinceps vitæ curſum tenere inſtituit. Duæ proſtitutæ fœminæ & quæſtum reliquêre, & locum mutauere, nec porrò vllis pollicitationibus, miniſue reduci ſe ſunt paſſæ.

Quædam graues pedum dolores perpeſſa, ſacras Sanctorum reliquias Varſauiæ viſere ſpopondit, & ſanitatem recepit, vt quæ ſe ſponſione exolueret, pedibus ab octo milliaribus Varſauiam venit, vbi animæ quoque ſalutem, per pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta percepit. Iniuriam acceptam quidam, quinque annis fouit in animo, vindictæ occaſionem quærens, ob idque & Sacramentorum vſum poſtpoſuit. Cum verò voti compos fieri non poſſet, de ſemetipſo vindictã ſumerẽ, ſibique mortem conſciſcere ſtatuit, aquas adijt, profundum petijt, mergi obſtinatè cupiuit, ac intra aquas ſeſe abijcere laborauit, ſed adfuit auxiliatrix Dei manus, quæ illum opus cœptum perficere, profundumque ingredi prohibuit, tamdiu, quoad interuenirent, qui illum cum aquis luctantem compererunt, & à propoſito depulerunt. Id beneficium poſtea retulit acceptum vni poſt Deum Virgini Matri ſanctiſsimæ, cui ſeipſum in tutelam offerre, ſalutationiſque ſexagenariæ penſum, nunquam omittere conſueuerat. Fuit quoque qui è vulneribus in extremo verſabatur vitæ diſcrimine, quem Sacerdos noſter adijt, & ad pœnitentiam hortatus eſt. Differebat ille, nullius noxiæ habere ſe conſcientiam aſſeuerans: tum Sacerdos inſtare, & ſolicitè obſecrare, ne vna

cum

vna cum corpore animam quoque perditum iret. Victus tandem cohortationibus illis, magna humilitatis, & contritionis significatione, seipsum accusauit, & ad meliorem vitæ frugem se recepit.

Numerata sunt vltra quinque millia pœnitentium; Et quamuis in tam conferta turba alter alterum comprimeret, ac præuenire ad Sacerdotem contenderet, nemini tamen mora, quamuis diuturna molesta fuit, dum certò haberent, spem & expectationem suam vanam non futuram, qua assiduitate, multorum ex animis sublata est illa opinio, nos non dignari pauperes nostra consuetudine, & opera in obsequijs spiritualibus, sed eam nonnisi magnatibus, solitos esse impedere; Ex qua re Societis nomen illustrius, & commendatius vulgo esse cœpit.

COLLEGIVM VILNENSE.

HOc anno Socios sexaginta numerauit. Sacerdotes 18. Magistros 6. Auditores Theologiæ, & Philosophiæ 22. Alij rem domesticam procurarunt. Ex his omnibus Sacerdotes duos, optimè de Ecclesia & Societate meritos, ad cœleste præmium, post multorum annorum labores, Deus euocauit. Primus Laurentius Manikievvich, Lithuanus, aliquot supra 40. annos habens: In Societate annorum 24. quos exegit in magna mansuetudine, humilitate, ac obedientia: optimèque munus Procuratoris Collegij Vilnensis, Conciona-
toris Lithuanici, & Confessarij obiuit, pauperum potissimum, ac simplicium hominum, peccatorum exomologeses excipiendo, eorumq; saluti secun-
dum

dum vires aduigilando. Alter P. Gaspar Moraris, Vilnensis, Professus quatuor votorum, eximiè doctus, in virtutibus solidus, quas multis annis, quibus Rectorem in Societate egerat, multaque alia officia ac munera præclarè obiuerat, licuit aduertere. Duæ virgines Nobiles, ad Catholicam fidem concesserant, quia verò parentum offensio erat maxima, succubuerunt minis, fidem deseruerunt. Hanc Deus perfidiam displicere sibi euidenter ostendit. Alteram enim vt corrigeret exemplo, alteram acerba inualetudine afflixit. Vnus quia parentum facultate ad Ecclesiam redire non potuit, quod potuit fecit, simulque & hæresim, & parentes deseruit. Vnus Schismaticus, cui morbus auditum & sermonem interceperat, solis nutibus conuersionem fecit, & nutibus peccatorum explicuit confessionem. Alij sex Nobiles, & alij octo supra centum, Deo & Ecclesiæ se restituerunt. Alij non pauci, qui ad fidei ruinam inclinabant, nostrorum doctrina & monitis, iterum se ad constantiæ grauitatem, firmitatemque erexerunt.

Quendam Deus peculiari exemplo à crapulæ vitio absterruit. Totos ille decem dies potui impenderat, non minori temporis, quam salutis dispendio. Dies enim festos Pẽtecostes adeò poculis violauit, vt nec templum ex pietate adierit, nec ex debito Missam audierit. Præterfluxerat decimus dies, qui sanctissimæ Trinitati sacer erat, cuius noctem cum vigilasset, sub gallicinium procubuit, & vigilabat adhuc homo miser, quando Æthiopes quatuor tumultuaria vi fenestras effringere, & domum irrumpere. Sed ille potu & terrore amens, alios qui

proximè

proximè in eodem conclaui erant, inclamare non potuit: æthiopes verò missis alijs hunc solum occupant, quia enim, inquiunt, multis diebus tu Deum reliquisti, Deus vicissim dereliquit te, & tuis te Dominis commendauit: nobis tu fideliter seruisti, pensabimus tibi nunc mercedem. Nunc à nobis laniandus es, nunc infernis, æternisque ignibus, vstulandus. Dixerant, & corripiunt hominem, reluctatur initio ille, sed eluctari nequit tantas vires. Ergo abripitur, raptus vocem, & mentem, diuinitus recepit. Dolet de peccatis, & salutare nomen ingeminat, vociferantem domestici audierunt, excitantur, suppetiantur: istorum accessu æthiopes saluo homine disparuerunt, mox homo periculum æstimans, & beneficium venerans, prosternit sese, atque perpetuam abstinentiam à cereuisia vouet. Deinde ad Sacerdotem nostrum properat, votum cum peccatis suis aperit, ac etiam num benè perseuerat. Accidit vt hæreticus aliquis generosa domo natus, in capitalem carcerem cogeretur, prius tamen, quàm pœna decerneretur illi, menses abiêre aliquot. Tempus hoc & occasionem noster vnus non neglexit. Adit hominem, & monet & docet, sed ille primum contumax, ridet omnia; Cum noster iterato illum adiret, semper illi conscientiæ aliquid, & religionis instimulauit, donec ille ex integro Catholicam videret, & acciperet fidē: quod vbi factum, lachrymis anteactam vitam repetijt, & cōfessus est, tamq; asperè pœnituit, nihil vt solatio concederet, cilicium quod à nostro susceptum, induerat semel, quatuor septimanis deposuit nunquam, vsque adeò vt in cilicio toto, humani vermiculi

culi nidificarint,& ipsum corpori accreuerit,auellique ante obitum ægrè potuerit, rogatus vt nonnihil sibi indulgeret, respondit, consentaneum esse, vt vitam quam per indulgentiam sui vendidisset, cum dolore redimeret. Nobilis quidam senex, & parens cuiusdam ex nostris, raræ erat virtutis & ætatis, centum enim viginti annos superauerat. Is benè adhuc validus, nihil in vita desiderabat magis, quàm vt filium in Societate sacris initiatum videret, ab ipsoque diuina mysteria perciperet, sic deinde mortem in lucro ponebat. Petijt ergò obnixè filium in quadam tunc missione, non procul inde versantem, & obtinuit: venientem eo affectu accepit, vt lætitia absorptus videretur. Præter res diuinas, nihil ipse loquebatur vel audiebat, mox confessionem, communionem sacram, apud filium instituit. Nõ multò pòst, morbo corripitur, in lectum prosternitur, & cũ extremum sẽsisset, atque dixisset morbũ, rogauit filius, an extrema vellet vnctione muniri? Ego quidem, inquit ille, de hac vnctione nihil scio, sed tu fili scis omnia, quæ mihi salutaria, tu fac quæ tuo arbitrio libent. Breuiter igitur de hoc Sacramento doctus, spontè illud petijt à filio, & accepit, ita animosus, vt omnes articulos vngendos, ipse porrigeret. Venerat hora, quæ illum vita eriperet, alijs adhuc extra periculũ videbatur: ipse verò Cereum benedictum poposcit, & monuit omnes, vt in genua procumberent, sibique opẽ à Domino implorarent. Eodem fere temporis momento obdormiuit, tam piè & sanctè, vt homo quidam opibus & hæresi potens, qui tunc aderat, non aliam sibi mortem cuperet. Sed finitimis locis, vel maximè

mè rusticis auxilio itum est. Ea enim inter illos est barbaries & inscitia, vt si non omnes, permulti saltem à diuinis exorbitét, solo Baptismo aut nomine Christiani, Dei notitiam vel tenuem habent, vel omnino nullam, vel ita impiam, vt religiosas aures blasphemijs incessent. Qua ignorantia Deus illis nulli est religioni, & alienis Dijs sacrificant. In hoc igitur campo nostrorum industria exercita frugiferè. Obibant nostri pagos, in quibus singulis elementa doctrinæ Christianæ explicata, & ne ad solatium eorum qui aderant, abesset aliquid, propositæ sunt illis Christi Cruce pendentis imagines & distributæ, vt illarum obtutu, & Dei meminissent, & Deum orarent. Hæ imagines magnam hominum frequentiam vndique ad nostros ciebant. Eo exercitio nostri adultos duos, alios vndecim longè extra infantiam, & infantes 263. salutari fonte lustrarunt. Audiendis & absoluendis peccatis impensè laborarunt; Septingenti die vno ad Confirmationis Sacramentum in quodam oppido eruditi, quos omnes confirmauit Reuerendissimus Vilnensis Episcopus, magno quidem suo labore, sed maiore cum lætitia, quam & verbis affatim, & humanissimo Patris nostri amplexu significauit. Fuit ibi Adolescens, qui cum vertiginis spiritu vehementer esset agitatus, nec diem, neque noctem liberam habuit. Is postquam fidei articulos perdidicisset, & conscientiæ maculas expiasset, quietem à Deo impetrauit. Vna superstitio pro felici fruge apud plures communis erat: seruabant lapidem super orificium foueæ, cui quicquid in esculentis aut poculentis habebant, promiscuè ingerebant. Fecit

Patet

Pater vt domo lapides exturbarent, & foueas humarent. Similes alios erroneos ritus, & gentilitias consuetudines quotidiè dediscunt, & iam multis in locis, nulla impietatis vestigia. Sed Dei beneficentia, vt rebus alijs curandis, ita medicandis corporibus efficax. Fœmina vna trimestri affixa per morbum lectulo, manus & pedes immobilis, & humanitus omni ope destituta, vix animum peccatis emancipauerat, quando & corpus ægritudine liberauit, vt intelligeret, non prius potuisse morbo corpus, quàm religione animum liberari. Altera fœmina in extremo posita periculo, nec sperare vitam potuit; fœtu enim intus emortuo, magno dolore & inani labore parturiebat. Suggessit illi Confessarius, vt spem precesque ad Patrocinium B. Xauerij & S. Casimiri erigeret, paruit misera, Sãctos orauit, opem exorauit, mox enim partum enixa, & doloribus soluta valere cœpit. Nobilis vir nostrum Patrem domum suam accersérat, vt filiolum deploratè febricitantem inuiseret. Discedens ab illo Pater, obliuione quidem sua, sed Dei prouidentia, capsulam reliquiariam apud illum reliquit, quam mater piè seruatam filio applicuit. Vix factũ, & filius matrem blandè inuocat, suamque valetudinem testatur.

Omnes hoc anno quantum & pietatem, & patriam colerent, multis argumentis probarunt. Laborabat patria, & aduentitio hoste, & inteſtinis multorum diſsidijs. Hæc tamen periculosa magis, quia non Regi tantum, sed Regno, sed Religioni etiam Catholicæ exitium portendebant, tunc Sodales se ad Deũ conuertêre, & vt à se iram ei⁹ auerterent,

terent, illum voluntaria oratione, inedia, afflictione deprecari; ex instituto dies singulos litanias Sanctorum orabant, prouoluti genibus ante Sacrosanctam Hostiam; sabbathum ieiunio dabant, Dominicos dies maculis eluendis, & Christianis epulis decreuerant, quintam feriam in reuerentia & Patrocinio D. Casimiri colebant, eius sepulchrum visitabant, & Missæ Sacrificium ibi persoluebant. Alios festos dies diurnis & successiuis precibus, atque disciplinis in oratorio peragebant, quibus modis, longè festiuius, dies Virgini Natæ & Assumptæ sacros celebrarunt, vertente octauo Assumptionis die, ad Diuam Trocensem, quæ milliaribus quatuor abest, peregrè iuerunt, vbi vires non tam corporis, quam animæ reparārunt, supplicationes alias, quæ varijs in templis Antistitis iussu quadraginta horales erant, pientissimè sunt venerati. Eadem supplicatio cum templum nostrum ex ordine attigisset, induebāt se ciues, & corpus verberationi apparabant, prę̄moniti sunt Sodales, vt pro sua moderatione & valetudine hac vice à verbere abstinerēt; facere tamen multi non potuerunt, quin alijs se sociarent, & in se ad sanguinis profluuium sœuirent. Triduum ante diem Cineralem feriari moris est, quibus diebus vti olim bacchari & insolescere consueuerant, ita nunc ad omnem quietem & Sanctimoniam se componunt; causa est exhortatio, quam diebus illis nouo decreto omnes auscultant. Anniuersariam Quadragesimam optimis studijs impenderunt, quintis ferijs hospitalem & valetudinariam domum adierunt, quo loco egregia Sodalium constitit pietas: & quantum suæ pietati, tantum

miſerorum animis, atque inopiæ faciebant ſatis. Rudibus rudimenta fidei tradita, egentibus ære collatitio opitulatum. Magna feria, quæ Cœnam Domini recolit, ipſi etiam quà poterant, Domini exemplo ſe conformarunt. Pauperib⁹ in pauperum domo, liberale adornarunt epulum, cui non alieni, ſed ipſi miniſtrabant, eo obſequio, quo omnibus magnam Religionem inſpirarent; neque illotos pauperes reliquerunt, omnibus pedes emaculati, cum humili pedum oſculo, & quia quilibet has partes ſibi depoſcebat, eas tantum lectiſsmi è primaria virtute & nobilitate Adoleſcentes obtinuerunt. In ſequenti feria ſexta, multi Ordines nudi pedes, ſaccis inueſtiti, proceſsione longa per rigidam glaciem & gelans lutum, acriter ſe diuerberarunt, nũquam intermiſsis ictibus; videre erat, multorum terga ad liuorem macerati, & in multis rorare ſanguinem. Certabat flagellantium ardor, cum lacrymoſo ſpectantium imbre, imò ſuperabat ille, & quod iſti vix videre poterant, illi faciebant. Idem jiſdem animis iterarunt, octauo poſt Paſcha die, qui dies in primis Annunciatione Virginis, deindè oratione quadragenaria in templo noſtro ſolemnis erat. Multi præterea ex hac Sodalitate luculenter oſtẽderunt, quid in iſta virtutis palæſtra atque officina profecerint, quando ſe Deo & Religioni conſecrarunt. Octo ad Societatem tranſierunt, vndecim alij ad alias familias. Alij multi Religionem habẽt in votis, ſed eorum propediem maturantur deſideria: ita ſimul & Matri, & filio filij accreſcunt. Atque hic eſt hoc anno noſtrorum labor, hæc ſeges & vbertas, quam perpetuam quotannis velit Deus.

COL-

COLLEGIVM BRVNSBERGENSE.

TRiduo Bacchanaliorum, instituta fuit oratio quadraginta horarum, cum promulgatione Indulgentiæ plenariæ, quo tempore præter omnem spem & expectationem, miram licuit videre populi deuotionem, tam in peccatis per confessionem expiandis, ac sacra Synaxi se alieno licet tempore reficiendis, quàm in dicta oratione frequentanda, haud aliter sanè, quam festo aliquo solenniore consueuêre. Ad excitandam ac alendam deuotionem populi habitæ sunt conciones, ac exhortationes, primo quidē die quatuor, altero tres, tertio, quod tempus aliter non ferret, duæ: accesit & assidua sub vesperum seipsos flagellantium processio, ex congregatione Virginis Annunciatæ. Ab hæresi tam domi, quàm in vicinia ad vnitatem Ecclesiæ Catholicæ reducti 42. inter quos vnus præsertim vir Nobilis Polonus, idemque magnatibus multis admodum charus, mirum quanto feruore lumen, quod ipse magna cum animi consolatione hausit, & familiæ suæ toti communicare satagat.

Congregatio ciuium B. V. Mariæ in Collegio superioribus annis instituta, sensim efflorescit, ac Sacerdotū frequentiore vsu excellit. In diuersis Missionibus, aliquot millia confessionum sunt audita. In his generales multæ, maximè tempore proximo Iubilei. In quadam Missione cum duobus Prædicantibus hæreticis, altero Polono, Germano altero, de veritate, & firmitate Ecclesiæ Romanæ, coram viris nobilibus, ac oppidi primoribus, &

plebe vtriusque sexus actum est. Responderunt palàm aliquoties viri seductores, tanti se non esse, vt ad dictam propositionem responderent, exiguamque laudem Iesuitas relaturos, si se coram eo cœtu confudissent. Placuit Catholicis Ministrorum temonium; contra admodum displicuit hæreticis, contrarium enim in cathedris palam aliquando deblaterarat, vnusque eorum eò arrogantiæ deuenerant, vt Cardinalem Bellarminum publicè refellendum suscepisset,

Reuersus est hoc anno è Scotia quidam Pater qui Anno 1588. ex Collegio Brunspergensi in Scotiam discesserat. Inter alia quæ hic narrat, hæc lectu, audituque digna visa sunt. Reperiuntur in Scotia quàm plurimi Magnates, Comites, Barones, Equites, Plebeij homines Catholici, ad numerum scilicet aliquot millium. Ex his non pauci post ipsius in Scotiam aduentum hæresim exuerunt, & ad Catholicos laborante illo se aggregarũt. In Scotiam cum è Polonia appulit, statim proditus, à Mercatoribus Scotis vnà Gedano abeuntibus, captusque à Comite Boduallio, Regni Admiraldio, fuit. Persuasus à mercatoribus fuit, Patrem onustum diuitijs à Papa & Hispano, ad euertendum Caluinismũ Scotiæ, venisse: quare eum in honestà custodia post multa verba vltro citroq; habita detinuit, arbitratus q, dictam gazam in suam potestatẽ redigeret, sed eum fefellit Patris pauperies, apertis namq; vasis, nihil auri repertum est. Dimisit igitur post aliquot hebdomadas Patrem, non tamen sinè spe lucri, cum enim eum dimissurus erat, dixit: Magister Roberte, eram in hac opinione, te attu-

lisse,

lisse magnas summas pecuniarum, quandoquidem vno anno aut altero, ante tuum accessum, venerunt aliqui ex Gallia, tuleruntque secum magnas summas, distribueruntq; inter præcipuos Principes; si ex illa poteris mihi aliqd procurare, nec Rex, nec Ministri te videbũt. Respõdit Pater facturum se quod posset abs se fieri, & sic abijt. Vexatus est nihilominus Pater ab Aulico eiusdẽ Admiraldi, qui res Patris, quas iubẽte Dño reddi ab ipso oportuit, per bienniũ fermè detinuit, sibiq; ex ipsis pstantiores delegit. Nauclerus etiam post liberalitatẽ nostri Patris singularem, præcipua quæq;, dum ea Admiraldio proponit, ex rebus Patris subtraxit, vixque amicorum importunis persuasionibus flexus est.

Passus est hic Sacerdos per tot annos, graues admodum Caluinistarum, maximè Ministrorum, persecutiones; ex quibus aliquas referam. Aduenerat in oppidum, dicitur Dumfarmlinum, vt Catholicam fidem clam promoueret; exceptus est à Cognato; Subolfecerunt aduentum Prædicantes Caluinici duo, quare ingressi domum, aggrediuntur hospitem, & cum eo de Iesuita seductore, furiosè expostulant. Noster his in superiori cubiculo auditis, parat se ad discessum. Interea hospes Ministros, vt potest à se abigit, at illi acrius insurgunt, & vt alter consulem aduocet, ab altero monetur, abijt vnus, alter interim ostium apertum dorso ne claudatur impedit, tum hospes accepto gladio, Ministrum inuadit, & fugat, ostiumque occludit. Concurrit mox tota ciuitas, cingitur domus, aduolant etiam Catholici plebeij, Nobiles, Aulici Reginæ; Noster, cuius petebatur caput, in infimo

abſconditur penu in ciſta vaſta, in qua farina ſeruabatur. Venit tandem Conſul cum quatuor Socijs, quos baliuos vocant, venerêque Miniſtri furijs acti, Conſulem, qui occultus fuit Catholicus, cum ſocijs, & alijs Catholicis hoſpes ad ædes admiſit, Miniſtros reiecit. Luſtrauit Conſul domum, nihilque ſe tale quid, quod ſpargebant Miniſtri, reperiſſe teſtatus eſt.

Erat Regina in eodem oppido puerpera, cui Aulici tumultum præſentem retulerunt, quem moleſtè tulit, Miniſtriſque grauiter comminata eſt, nî deinceps à cœptis deſiſterent. Sub noctem obſcuram, venit Marſalcus Reginæ, cum aliquot aulicis. Erat is Patris conſanguineus, eumque veſte aulica indutum abduxit.

Alio quodam tempore, ad Comitiſſam quandam, quæ in oppido Sancti Ioannis degebat, aduenit hic Sacerdos, vt eius & ſororum pediſequarumque Catholicarum ſaluti operam nauaret, Comite Marito inſcio, qui cum ſuis hæreticus erat, domique continuo agebat; poſt triduum Pater diſceſsit. Erat in eadem ciuitate tunc conuentus Miniſtrorum, intellexerunt hi factum Patris; mox tanquam in rabiem verſi, aggrediuntur dictas Dominas, vexant, exagitant, ad ſuas conciones & cœnas compellere nituntur, ſed fruſtra; nec ſatis hoc erat. Impetrãt commiſsionem à Cancellario Regni hæretico cum 16. Equitibus, quos Guardiam vocant, qui varijs in locis extra ciuitatem domos, cubicula, angulos, caminos, Patrem quærendo, cum exploraſſent, irrito conatu redierunt. Poſtquam autem

autem percrebuit, Ieſuitam hunc in Regno agere, hominem videlicet ætate, & iudicio maturum, rerumq; vſu præſtantem, fermè inſanierunt Miniſtri, eoque negotium perduxerunt, vt ſingulis ſemeſtribus, vel trimeſtribus ſpatijs aliquod ſeueriſsimũ edictum Regium in ciuitatibus contra Patrem promulgaretur, præmijs amplis propoſitis, ſi quis eum Regi aut Concilio ſiſteret. Hoc verò potiſsimum anno vltimo quàm diſcederet, patuit: euulgatum enim fuit edictum Regium, vt omnino Pater caperetur, lataque fuit ſententia, vt captus in carcerem teterrimum compingeretur, nulloque cibo reficeretur, præterquam particula proprij corporis. Animaduertẽs Pater tot ſe indicijs appeti, & nunquam, nec interdiu, nec noctu, vitæ ſuæ ſecurum eſſe, faciendum ſibi putauit, vt omni induſtria fraudes Miniſtrorũ eluderet: mutauit quocirca perſæpe habitum. Et ne in manꝰ Miniſtrorũ captus deueniret, (ſexcentis namque technis eum intercipere deceptores moliebantur) noctu plerumque iter faciebat, non abſque magnis vitæ ſuæ periculis. Bis enim dum peruadere fluuios altos, & rapidos, nititur, à vado aberrans, vi aquarum, vna cum equo in gurgites abreptus eſt, ſed DEI auxilio incolumis euaſit, non tamen ſine valetudinis graui iactura, vltimo præſertim caſu, cum eſſet acris hyems, & ipſe ætatis prouectæ.

Eueniebat etiam non raro, cum Catholicos in ciuitatibus hæreticis iuuare vellet, vt aut noctu, per poſticum appoſitis ſcalis ad tertiam ædium contignationem ſcandere debuerit, aut ipſi

Catholici, sic ad eum conscendere coacti fuerint, Omnes tamen has difficultates Pater animo ingenti ac hilari pro amore Christi superauit, præsertim, quod fructus animarum, laborum diuturnitatem, & numerum longè excederet, permultos enim his viginti annis, Christo lucratus est, non solum sortis inferioris, sed etiam generis nobilioris, Comites, Barones, Vicecomites, sexus vtriusque.

Vno in loco, spatio duorum mensium, sexaginta sex homines, fidei Catholicæ adiunxit. Hinc colliger e licet, quid per viginti annos varijs in locis acciderit. Senio igitur, laboreque confectus, quia per edicta Regia, ac Comitiorum prohibitum erat, nè vllus vllibi admitteretur Sacerdos, qui in transmarinis partibus educatus fuisset, sub amissione fortunarum & vitæ, R.P. Nostro Generali annuente, Brunsbergam post missionem vigiti annorum reuersus est.

Excurrerant hoc anno in Daniam duo exploraturi occasionē promouendæ rei Catholicæ, sed cum viderent negotium omninò adhuc differri, opportunè Brunsbergā redierunt, ad fidem Catholicam duos adduxerunt, vnum reconciliarunt. In itinere apud quendam Canonicum Catholicum versati, ipsum multis instruxerunt, eius confessionem cum familia exceperunt, Sacramento Eucharistiæ refecerunt, intra domesticos parietes, solus enim hic Catholicus in ea ciuitate reperitur. In Dania hospitem Catholicum nacti, eum cum vxore Sacramentis munierunt, in hospitio Regiæ ciuitatis, multi Nobiles, & alij honestiores viri, eos conuenerunt, inter quos aliqui in fide Catholica instructi, Mini-

ſtri verbi valde eorum aduentum extimuerunt, effeceruntque vt noſtri redire compulſi fuerint.

COLLEGIVM PVLTOVIENSE.

EXceſſerunt è vita in hoc Collegio quatuor, quorum primus P. Ioannes Gerardinus Belga Leodiēſis, Profeſſus votorum quatuor, morbo quam vocant lienteriaco, quadrageſimo tertio anno ætatis ſuæ confectus, vir & virtutum ſtudio, & ſcientia conſpicuus, vtpote, qui Philoſophiæ & Theologiæ totum emenſus curriculum, Philoſophiam, & ſacram ſcripturam non paucis annis profeſſus eſt. Ac virtutum ille quidem ſuarum, quibus in vita deditus fuerat, imminente morte, argumenta luculenta reliquit. Non timeo, aiebat, mori, habens à Chriſto Syngraphamad cœlum, duplici eius ſigillo munitam, ſigilla intelligebat, Amen, Amen dico vobis: Syngraphamverò; Qui reliquerit domum, patrem, matrem, rem, vitam æternam poſſidebit. Iam verò ad Deiparam Virginem ita exclamabat: O MARIA certè tribularer nimium, ſi neſcirem tuum patrocinium, quæſo Pia Mater, Clemens Patrona, Dulcis Virgo, in hora mortis, tuo præſidio fulciar, tuo munimine protegar, tu quaſi terebintus extende ramos, & me laſſum refocilla. Animam porrò propriam, iam propèmodum animam agens, ſic alloquebatur. O anima mea, iam hic malè tractaris, iam pelleris, iam non noſceris, en domicilium tuum iam quaſſatur, baſes nutant, & vacillant, fundamenta dirnuntur, parietes finduntur, & per rimas & fiſſuras,

iam ſpiculis dolorum infirmitas te pellit, quid igitur moraris, exi ocyus, exi læta, inſtar columbæ miſſæ ex Arca, reditura poſtmodum cum virenti ramo oliuæ. Iam ardens deſiderium videndi Deum, illa verba Dauidis recitans, indicabat: Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſidetat anima mea ad te Deus &c. Quid præterea de virtute obedientiæ ſentiret, circumſtantibus expoſuit. Qui vult, ait, lætus eſſe in agone, ſit obediens Superioribus, & reſignatus ad omnia officia. Alter peſte extinctus eſt, Pater Florianus Gozlinski Subſyluanus, formatus Coadiutor Spiritualis, propè quinquagenarius, vir ſingulari obedientia, humilitate, caritate, ac zelo animarum præditus, & inexaudiendis hominum, pauperiorum potiſsimum, ad Sacramenta pœnitentiæ accurrentium, peccatis indefeſſus, rebus item ſpitritualibus ab ingreſſu Religionis ad ipſum diem mortis ſuæ, apprimè deditus. Hîc cum in membris conceptum virus ſœuire, & mortem ſibi iamiam impendere perſentiſceret, humi toto corpore proſtratus, manibus in modum Crucis expanſis, animam Deo reddidit. Eadem lue extinctus P. Thomas Radoſicenſis Polonus, a iquot annorum ſupra trigiuta. Hic in zelo animarum enituit, in quo vitam finiens, à Chriſto cœleſtem mercedem recepit. Denique Laurentius Shorunicenſis, Mazouita, annorum ferè quinquaginta, ſocius prædictorum Patrũ, in peſte relictorũ & ab eadem extinctorum, extinguitur & ipſe, ſanctè & religiosè, vtpotè qui Religioſam & ſua vocatione dignam vitam, viuus exegit. Homo humilis ſemper, fidelis, manſuetus, laborum patiẽtiſsimus, & de-

& deuotus, atque in gradu Coadiutorum temporalium à decem annis collocatus.

Ciues nostri ardenti in Christum pro nobis passum amore flagrantes, tum feria quinta hebdomadæ maioris, in æde Virgini Deiparæ dicatæ, tum in templo nostro, die Paraſceues egregiè sese flagellis diuerberarunt. Baptismatis fonte abluti, frater cum sorore, Arrianorum proles, & ad Ecclesię gremium reducti. Liberati ac soluti ab hęreseos vinculis alij tres.

Toto eo tempore, quo pestifera lues grauiter & diu ciuitatem nostram infestabat, plurimosque incolas enecabat, nostri qui in Collegio reliquis ad pagum secedentibus, manserant, egregiam saluti proximorum nauarunt operam, peste infectos permultos, & in supremo vitæ discrimine positos adeuntes, eosque tum per Sacramentum pœnitentię, tum per sacras exhortationes, ad mortem disponentes. Tertius Sacerdos qui superuixit, tam in ciuitate, quam in pagis vicinis, nondum cessante peste, ad duo hominum millia, per sacram Exomologesin, Deo reconciliauit, in defectu Sacerdotum, periclitantes de vita pueros, aliquot baptizauit. Excursiones fuequenter factæ tempore pestis, ab his qui in pago degebant, ad vicions pagos Nobilium, magno cum fructu proximorum, vt & ante ad duas ciuitates Regias, Prasinesium, & Lomzam profestis Paschalibus missio facta, fructu non pœnitendo. Lomzæ definitus ad confessionem adeuntium numerus iniri non potuit. Nam à Sabbatho Palmarum, ad feriam quintam post Pascha, nullus erat dies, quo non plures eius gratia accurrerent, quàm

eis

eis potuerit satisfieri, ex Paræcijs etiam longius dissitis, à proprijs huc submissi Curionibus. Machinationes in cuiusdã infamiã, & graue admodũ detrimentũ exhæreditationis impeditæ, cui⁹ authoritate nitebãtur cæteri; lis diuturna iuris processu iniquissimo producta, afflictis criminibus innocentissimis hominibus vt tandem abrumperetur, effectum est, & compensatio detrimentorum interim acceptorum, per compositionem procurata. Satisfactio vulneratis pleriſque, per iniuriam & inuasionem in temulentia, mutuaque conciliatio gratiarum ad effectum deducta. A vaga libidine abstracti minimum 13. adiutus vir quidam Nobilis, carceri addictus, cui ea à Magistratu gratia facta est, vt occultè in Sacristia nostro Sacerdoti confiteretur, sacramq; Synaxim perciperet, & à feria quarta hebdomadæ sacræ, per omnes festos illos dies diuinis in eodem loco interesset officijs, & concionibus magno suo solatio. Additum ad præcedentium annorum deuotionem, haud parum in frequentia eorum, qui disciplinas vt vocant fecêre. Primo crepusculo nocturno dici Parasceues, confluxerẽ plurimi, productique sunt quinque ordinibus sibi succedentibus, ita vt in singulis sedecim septemdecimue paria essẽt, durauit res ad vndecimã noctis, necesseq; fuit alios prohiberi omninò, qui doleter passi sunt repulsam.

COLLEGIVM POLOCENSE.

Mille hoc anno, & sexcentorum, ex homologeses exceptæ, inter quas septingentæ eorum numeratæ, qui in decrepita ætate, ad primam huius Sacramenti perceptionem sunt adducti:

adducti: eorum aliqui ab annis viginti sua peccata Sacerdoti detegere neglexerant. Hæretici quatuor sacrę Romanę Ecclesię sunt recõciliati. E Ruthenis amplius viginti nostris potius, quàm suis Popis, conscientias aperire maluerunt. Frequentes ad vicinos pagos institutæ missiones, in quibus præter doctrinam Christianam, nonnullis Baptismi, alijs Matrimonij Sacramenta collata. In hisce missionibus magna cum apparatione, & emolumento proximorum P. Felix Pozihalius Lithuanus versatus, è viuis excesit, absorptus in reditu suo à flumine. Annorum fuit supra triginta aliquot tantum. Vir obediens, humilis, deuotus, ac mortificationi addictus, post repertum corpus, in templo Collegij, in quo viuus in confessionibus & doctrina Christiana singularem nauauit operam, sepultus. Duo præsertim alicuius notæ fratres germani, qui sese capitalibus odijs prosequebantur, lite dirempta, in pristinam concordiam sunt restituti. Quidam alij Nobiles non minus graues à se habebant simultates, sed suasu nostrorum, eò ventum est, vt inimicitias sibi donarent. Aliorum item, qui Magistratum habebant, lis quædam plena periculi erat, quippe capitis agebatur, ea tamen nostrorum interpositione, est composita, vt propterea non minus illi sibimetipsis beneuoli, quàm nobis redditi fuerint affecti: & quamuis plerique addictos sese nobis, rebusque nostris f auentes exhibebant, subinde tamen maleuolorum debacchata est in nos licentia, minitari illi bonorum Collegij direptionem, quin & nostri ipsorum, ex ædibus in quibus nunc degimus, exturbationem. Quidam eò audaciæ processerat, vt

Pa-

Patrem Procuratorem Collegii vice quadam in aperto campo, additis equo calcaribus, armatus adoriretur, probrisque & maledictis vexatum, ferro insuper cogitaret transfigere, vbi tunc quidem Pater deflexit de via, & furori cessit, modestiaque Religiosa, & sermone leni, mitem reddidit; sed digressus inuasor, paucos intra dies, multis vulneribus est affectus. Cuipiam alteri homini temulento idem prorsus infortunium accidit, postquam è limine Collegij pedem extulerat, prius in nos acerbissimis conuitijs iactatis.

COLLEGIVM NIESVISIense.

TAm Villanæ, quam Vrbanæ genti, obsequia nostra benignè contulimus. In varijs pagis multi aquis salutaribus abluti; confessione & Eucharistia expiati: à flagitoso toro ad legitimum, à discordijs ad concordiam, à Schismate Græco, ad Romanam Ecclesiam sunt traducti. Sedecim pagi, recepto Calendario reformato, cui pertinaciter semper resistebant, se deinceps per omne vitæ spatium, in fide & obedientia Pontificis Romani futuros promiserunt. Doctrina Christiana passim rudibus explicata, & qui in ea profecerunt, aliorum Doctores per domos constituti. In abstrusioribus locis, templo & Sacerdote destitutis, vbi sæpè infantes sine Baptismo moriebantur, modus baptizandi pueros in extrema necessitate fœminis prudentioribus traditus. Nec defuerunt clariora nonnulla, in homines simplices & rusticanos, diuinæ bonita-

bonitatis argumẽta. Quidam iuuenis, cui nũquam confessio delictorum fuit curæ, cum lapides ex agro die quodam Dominico colligeret, & cœlum fragore ac fulminibus personaret, ita subito animo corporeq; conciderat, vt vix ad domunculam suorum parentum, quæ agro proxima erat, adrepere potuisset. Hunc affixum lecto, quarto post die inuisit noster, & vt Deum vi pœnitentiæ redderet sibi propitium, admonuit, fecit quod erat monit⁹, post factum cum liberiorem se ab infirmitate sentiret, tum causam suæ infirmitatis esse neglectam semper confessionẽ affirmauit. Non absimile huic est, quod Russa mulier, annos sexaginta ferè nata, cum in afflicta valetudine, Sacerdotem Græcæ Religionis confessionis causa vocari ad se iussisset, atque is non inuentus, vel malè dispositus repertus, non veniret, pertæsa moræ, & de morte solicita, nostrũ quantocius, qui missionis munere fungebatur, quæri mandasset, statim in hoc ipso pio proposito, vt ipsamet retulit, leuamen quoddam cruciatuum sensit, ac deinde adiuta Sacramentis, melius habere cœpit, tandemque perfectè conualuit, & grates, quam potuit maximas, pro collato beneficio Deo egit, Romanè facta Christiana In ciuitatibus, à Lutheri Secta quatuor deterriti, quorum vnus reclamantibus multis, pœnitentiæ & Eucharistiæ præsidio munitus, Catholicè magna constantia in aliam vitam commigrauit. Tres discipuli nostri, sunt minimè iam commentitiæ fidei Lutheranæ addicti, Caluinistæ etiam quinque, Arrina vna, in potestatem Ecclesiæ redacti, diuinas Christi leges complectuntur. Vna omnium infelix mu-

mulier, dum in morbo graui Confessionem procraſtinat, linguæ impos, mentis vix compos, in hæresi vt putatur mortua est. Aliqui præterea in populo falsis dogmatibus dementati, spem non dubiam exhibent conuersionis.

COLLEGIVM RIGENSE.

SPectabilis fructus reportatus ex varijs huius anni Missionibus, habitis per Liuoniam atque Samogitiam, adeò vt salutari confessione animarum suarum maculas expiauerint, 4695. ex quibus 1020. prouectę ætatis homines, nunquam alias vita sua confessi, 231. pluribus annis confitendi vsum prætermiserant. Plurimi præteritas confessiones plurium annorum non integras, repetiêre. Sacra synaxi refecti 2875. Ab hæresi absoluti, ad Ecclesiæ gremium rediere 113. Inter quos nobiliores personæ octo. Eschismate 8. in missionibus Baptismate initiati 274. paria 150. Matrimonij vinculo iuncta. Plures quæ matrimonij vincula ruperant, cum maritis in gratiam reductæ. Non pauci qui in necem aduersariorum conspirauerant (inter quos quidam, quominus à tam immani facinore deterreretur, ne templa iam quidem frequentabat) odium cum charitate commutarunt, suorumque maculas scelerum expiarunt. Sacerdos quidam noster, diu multumque cuiusdam Arcis Liuoniæ præfectum adhortatus, ne populum (qui Beatissimæ Virgini, tota Liuonia, etiam sub Dominis hæreticis deuotissimus existit, vtpote qui à maioribus suis didicit, Liuoniam Mariæ terram semper nuncupatam, omnium rerum abundantia Mariæ patrocinio olim

ōlim vſam) Aſſumptæ Deiparæ die ad labores cogeret, ac inde aliud nil, præter contumelias reportauit, manifeſtam diuini Numinis iram, Sanctiſsimę Matris ſuæ iniuriam vindicantem, expertus eſt, cum priuſquam duarum hebdomadarum tempus elaberetur, fulminis ictus, omnia Præfecti præfati, ac ſubditorum eius frumenta planè in nihilum redigeret, quo miraculo Præfectus attonitus, ſerò tandem promiſit Sacerdoti noſtro, ſe nunquam in poſterum ſuos diebus Beatiſsimæ Virginis ad labores coacturum. Eodem feſto ante paucos annos Nobilis quidam ſubditos ſuos ex malitia impediens, nè templum Beatæ Virginis Aſſumptæ in Vbner celebre, viſitarent (vbi tunc quidam ex noſtris diuina peragebat) cogens tunc illos maximè ad labores meſsis, effecit vt ſereniſsimo cœlo, extemplò ſeſe denſiſsimæ nubes, cum tempeſtate ac tonitruis miſcerent, ac domo illius tacta, ipſum cubiculum in quo præfatus Nobilis tunc meridiè quieſcebat, penetrarent: ignis quidem maturè lacte extinctus, ſed ipſemet Nobilis immobilis, mortuo ſimilis lecto inhærebat, quo poſt plures ſeptimanas vix leuatus eſt. Matrona item Nobilis, cum eodem die Beatæ Virginis ſacro, diras quaſdam in Glorioſam Deiparam blaſphemias ore hæretico euomuiſſet, inſanabili labiorum morbo illicò correpta, nullibi remedium inuenire potuit, donec labijs exeſis, dentes patentes, linteo, pœnam diuinam celare cupiens, opprobrium hominum ipſamet effecta, tegere inſanabilis cogeretur, quæ omnia homines fide digni, ſe ita vidiſſe, coram Sacerdote noſtro teſtati ſunt. Æſtiuo tempore peragrauit quidam ex

nostris Sacerdotibus loca circa Positen & Ludzen, in finibus planè Moschouiæ sita, quæ ad viginti milliaria, densissimis syluis, ac horrore plenis paludibus ferè inuia, incolas habent ab antiquis temporibus idololatriæ & veneficijs deditos, qui pro varietate creatarum rerum, varios Deos in certis arboribus (potissimum tamen in quercu & tilia, quarũ istam masculum, hãc fœminam nuncupant) quas sanctas dicunt, colunt: alium Deum cœli, terræ alium, quibus reliqui subsunt, vti Dii piscium, agrorum, frumentorum, hortorum, pecorum, equorum, vaccarum, ac singularum necessitatum proprii. Equorum Deum vocantes Vseling, vaccarum Moschal, agrorum ac frumentorum Cereklicing, in quorum sacrificia offerre solent, in certis lucis, alijs magnum panem in forma serpentis aperto ore, & prominente cauda: aliis panem paulò minorem, formam canis aut porci referentem: alijs duo oua (quæ certis temporibus quercui supponunt) butyrum alijs, lac, caseum, aut adipem in rogo cremantes, alijs bouem, aut gallinam, aut porcellum, aut hircum, singula nigri coloris. Sacrificulos habent aliquos senes, quorum Primas oblaturus aliquam prædictarum hostiarum, adiunctis sibi duobus senioribus, conceptis verbis, submissa voce murmurando, sub aliqua sanctarum arborum, oblationes offert, quo facto accurrunt aliquot, qui cum præfatis arreptum vas cereuisiæ, in altum eleuant, in quam demum fronde tiliæ intincta, populum aspergit: tum variis ignibus accensis, adipeque singulis iniecto, crematoque (sine qua Ceremonia nullam hostiam faciunt) per gyrum

san-

sanctarum arborum choreas ducendo & concinendo, ad ebrietatem bestialem (sine qua nefas est oblationem consummare) cereuisiam haurientes, gratissimum talibus Diis obsequium præstant: Epicuri vitam meritò imitantes, vtpotè qui resurrectionem mortuorum non credunt, quæ omnia ac alia plurima, senex quidam nonagenarius illius loci Sacrificulus (in quem cæteri huius idololatriæ causam conijciebant) Sacerdoti nostro populo ibidem catechizanti, manifestans, ac culpam tantæ ignorantiæ, atque idololatriæ in defectum Sacerdotum conferens (quorum in locis istis à septuaginta annis, iam tertia vice, nostrum aliquem viderunt) ipse tandem sacra confessione expiatus, spem fecit aliorum conuersionis. Nec minor illorum superstitio circa sepulturas, ac animas defunctorum: sepeliendis quidem mortuis panem alterum supponunt capiti, futuræ famis remedium: alterum manui imponũt, quem Cerbero offerant, ante paradisum alligato, addentes duos solidos, soluẽdos ei qui illos per fluuium transuehat, Brumali tempore, etiam plaustrum lignorum sepulchro superimponunt, vt anima habeat, quo se calefaciat. Die vero animarum, in domos suas animas suorum aduocantes, nominatim quamlibet, paratoque prandio eis exprobrant, quod ab eis non fuerint defensi à bestijs, tonitru, & aliis damnis, quo facto proponunt eis panem cum cereuisia, inuisibiles tractantes, quæ tandem in ignem abijcientes, scopis domum vndique verrunt, animas accersitas inde expellentes, arreptaque securi, hinc indè parietes domus secant, nè quæ alicubi hærcant: quibus

bus hoc modo pulsis, ipsi sine mensura, ethnico more epulantur. Spes facta eis à nostro Sacerdote, commodiore tempore eos inuisendi, animosque illorum doctrina Christiana plenius imbuendi, admirabundi contentos sese declararunt. Cum hoc autumno Suecus Volmariam, vna cum alijs minoribus Liuoniæ castris, hostili manu iterum occupasset (eodem planè Dominico die, quo Sacerdos noster ibidem Iubileum SS. D. N. Pauli Papæ V. promulgare voluit, qui hostium agminibus Volmariam vndique cingentibus, fluuium Gouiam transmittens, vix vno equo cum socio, curru cum rebus relicto, euasit, tanto dolore hostium, vt Mansfeldius Dux eorum centum taleros promitteret ei, qui Iesuitam ei traderet, sed frustra) ac ciues Volmarienses omnibus fortunis orbati, cum liberis suis fermè nudi, die S. Michaëlis Rigam veniissent, intra septa Cemeterij nostri, ab hæretica ciuitate, eò quod Catholici essent, nihil humanitatis experti, recepti, charitatis obsequijs, per aliquot septimanas refocillati sunt, donec Dux Exercitus nostri, ex Lithuania cum recente milite rediens, hosti occupatas arces denuò eriperet: in quo quidem opere, Sacerdos noster cum socio, militi nostro, auditis ante insultum illorum confessionibus, multum animi addidit, ad opus illud (vti factum est) strenuè & feliciter ad mœnia vsque, tempore assultus, eos deducendo, peragendum. Quin toto hoc anno crebrius per nostros, exercitui nostro, animæ ministeria exhibita, pauperes ab illorum direptionibus defensi, ipsi milites á libertate spoliandi deterriti, qui frigidi erant in fide Catholica, ad feruorem accensi;

multi

multi qui hæreſeos peſte infecti erant, ad Eccleſiam reducti, fructuſque varius ex eis reportatus. Duo quoque iuuenes Rigenſium filij hoc anno cum Eccleſia Romana, ingratiam rediere, quorum alter certis diebus cum alijs quibuſdam per æſtatem P. Rectorem adiens, ac præcepta quædam Mathematices diſcens, ſimul præcepta veritatis agnouit. Alter quoque familiarius noſtrorum conuerſatione vſus, quodam die apoſtatam quendam Monachum audiens, inſultantem Catholicis, ac doctiſsimum quẽuis Ieſuitarum prouocare haud erubeſcentem, ſtipulata manu promiſit, in craſtinum ſe in domum maternam Rectorẽ ipſum Collegij adducturum, quo cum peruentum eſſet, apoſtata quidem promiſsis minimè ſtetit, cum domeſticis ibidem tamen de fide fuſius actum, ipſe iuuenis præfatus ſolus, paulò pòſt confeſsione facta, publicè communicauit. Vterque conſtans, plurima tum à ciuib⁹, tum à parentibus ſuſtinere propter fidem haud verentur. Hac æſtate quoque prodigi filij hiſtoria, publicè coram multo populo, in Cemeterio S. Iacobi exhibita. Eleemoſynis etiam piorum militum Eccleſia atque Collegium aucta, quę ſeptuaginta florenorum ſummam fermè attingunt, quas ſua liberalitate auxit Illuſtriſsimus D. Carolus Chothievvich Dux exercitus Lithuanici, ac Generalis S. R. Maieſtatis per Liuoniam Commiſſarius, qui pro inſigni caſula, (cum noctu Natiuitatis nobiſcum in Collegio diuinis officijs nocturnis nati Domini, intereſſe cupiens, egiſſet) materiam pretioſam, Deo & Eccleſiæ noſtræ donauit. Cum pauperib⁹ ac paruulis crebrius doctrina Chri-

ſtiana cum fructu tractata. Ædificia benedictione ſacra, ac domus tam nobilium quam aliorum, exorciſmis Eccleſiæ, ab infeſtationibus dæmonum, ac maleficorum nocumentis grauibus, liberata ſunt.

COLLEGIVM DERPATENSE.

HÆretici quatuordecim ad Eccleſiæ gremiũ reuocati: ad vnionem reducti Schiſmatici ſex. Concubinariorum vel ritè copulata, vel ſeperata paria quĩdecim; duæ à turpi vita reuocatæ: diſcordiæ graues partim inter coniugatos, partim inter alios compoſitæ ſeptem. Communicarunt autem in vniuerſum hoc toto anno 1745. Quod ad miſsiones attinet, etſi per hoſtiles metus quotidianos, & frequentes eorundem incurſiones, qui itinera minus tuta reddebant, voto ſpeque rariores fuerint, non tamen pro ea miſsionum paucitate pœnitendus relatus eſt fructus. In ſeptem namque miſsionibus, generali confeſsione expiarunt conſciẽtiam ſuam 63. particulari 408. Schiſmatici quinque, Hæretici octo, Eccleſiæ Catholicæ adiuncti, 41. baptizati ſunt, præter 26. infantes; clandeſtina matrimonia ritè iuncta 18. communicarunt autem in his omnibus miſsionibus 405.

DOMVS PROBATIONIS VILnenſis.

DOmus Probationis Vilnam, cum approbatione R.P.N. translata, Deo incremẽta dante, multò melius, quàm in alijs duobus, in quibus

quibus fuerat aliquandiu locis, succedit, habent enim Vilnæ non infrequentes & percommodas occasiones tirones Societatis nostræ, excitandi sese in varijs nostræ Religionis experimentis.

DOMVS PROFESSA FVTVRA VILnensis ad S. Casimirum.

IN hac Domo septem ex nostris manent, Sacerdotes tres; Coadiutores temporales quatuor. Sacerdotum vnus ædificio templi præest, & Ordinarium templi S. Ioannis Concionatorem Lithuanis agit. Alter Procuratorem domesticum agit. Tertius eleemosynis conquirendis attendit, ita vt vterque nihilòminus Confessionibus in æde Collegij excipiendis det operam, reliqui re domestica familiari, & ædificio templi occupantur. Toto isto anno ex eleemosynis 2489. floreni percepti sunt: perceptique plures fuissent, ni motus Regni, insolitaque rerum perturbatio impediuisset. Plurimi sunt, qui vehementer id optant, vt D. Casimiri Patroni M. Ducatus Lithuaniæ in hac Metropolitana ciuitate, ædes ante biennium solenniter, non minus feliciter inchoata, quàm citissmè in altum crescat, & perficiatur. Quare numen diuinum, patrociniumque D. Casimiri imploramus, vt operi huic auxilia ferre dignentur.

Iam proximè præterita æstate, notabilis muri structura erecta est. Sequenti Vere Sacellum 70. pedum, in parte eiusdem Ecclesiæ, Deo dante, aperietur.

FINIS.

Ex libris collegij Societatis Jesu Paderborn.

Annuæ So-
cietatis
Anni M.DC
VI.

Th
5176

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN